IUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM

⁂

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/iuspublicumeccle0000cfra

P. MATTHAEUS CONTE A CORONATA O. M. Cap.
: : DOCTOR ET LECTOR IURIS CANONICI : :

IUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM

INTRODUCTIO AD INSTITUTIONES CANONICAS

AD USUM SCHOLARUM

5870

261.1

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

TAURINI - (ITALIA)
Domus « PIETRO MARIETTI » anno 1820 condita
MARIO E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae
et S. Rituum Congr. necnon Archiep. Taurinensis Typographo, possessore
—
MCMXXIV

Cum opus, cui titulus : *Ius publicum ecclesiasticum,* auctore R. P. Matthaeo a Coronata, Provinciae nostrae Ianuensis alumno, Iuris canonici Lectore, a duobus Censoribus, quibus id commisimus, examinatum et approbatum fuerit, utpote nihil contra fidem et bonos mores continens, praesentium virtute facultatem facimus, ut, servatis ceteris de iure servandis, typis mandari possit.

Datum Romae, e Curia nostra Generali,
die 21 Ianuarii, 1924.

Fr. Melchior a Benisa, O. M. C.
Proc. et Comm. Gen.lis.

Nihil obstat.

Cherii, 17 Ianuarii 1924.

P. Angelus Taverna, S. I.
Rev. Archiep.

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Deleg. a Vic. Cap.*

---

(30) Ius proprietatis vindicabitur (19-II-24-2M).

PRAEFATIO

In manualibus iuris canonici quae prae manibus alumnorum scholarum theologicarum habentur, nimis restrictus generatim reservatur locus quaestionibus iuris publici.

Ad huic incommodo obviandum et ad praebendum manuale parvae molis, quod facile possit, iuxta mentem S. Congr. de Seminariis et Universitatibus studiorum (*Cfr. Instruct.* 26 *April.* a. 1920, IX), *primo anno cursus theologici in schola evolvi, hoc iuris ecclesiastici parvum manuale in lucem edi non inutile putamus. In quo tamen, multa quae ad ius publicum ecclesiasticum pertinerent, omisimus, quae ex ethica naturali nota alumnis quibus volumen destinatur, supponimus: itemque alia omisimus quae partim in theologia generali seu fundamentali, praesertim in tractatu* De Romano Pontifice, *partim etiam in* Institutionibus iuris canonici *proprie dictis, videri solent; in quo eiusdem S. Congreg. monitis annuere voluimus* (*cfr. cit. instruct., loco citato*), *quae hortatur ut evitetur tractatio de iisdem quaestionibus in duabus vel pluribus scholis, cum inutili temporis prodigentia.*

Contentus fui principia de independentia Ecclesiae interna et externa tradere; doctrinam veterum magistrorum praesertim cl. Card. Cavagnis secutus. Novam ad maiorem claritatem elaborare tentavi theoriam de natura iuridica immunitatum ecclesia-

De Vecchi — Institutiones canonicae.
Douais — L'inquisition - Paris, 1906.
Eichmann — Lehrbuch des Kirchenrechts - Paderborn, 1923.
Emmanuele de Sarzana — Manuale di diritto costituzionale della Chiesa catt. apost. romana - Bruxelles, Desclée, 1914.
Fanfani L. — De iure religiosorum - Romae, 1920.
Ferrari — Summa institutionum canonicarum.
Ferraris — Prompta bibliotheca canonica - 1889-1899.
Ferreres I. B., S. I. — Institutiones canonicae - Barcinone, 1917.
Ferrini C. — Manuale di pandette, ed. 3ª - 1917.
Friedberg — Corpus iuris canonici, ed. 2ª - 1922.
Gasparri Card. Petrus — De sacra ordinatione - Parisiis, 1893.
Gigli Gaetano — Brevi cenni di storia del diritto romano, ed. 4ª.
Hergenröther-Hollweck — Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts, ed. 2ª - Herder, 1905.
Hergenröther-Kirsch — Storia universale della Chiesa (trad. E. Rosa).
Hilarius a Sexten O. Cap. — De censuris ecclesiasticis - Moguntiae, 1898.
Hinschius P. — Das Kirchenrecht der Katholischen und Protestanten - Berlin, Guttentag, 1869-1897.
Hurter P. — Compendium theologiae, ed 11ª - Oeniponte.
Knoll P., O. M. Cap. — Theologia generalis.
Iemolo — Chiesa e Stato - Torino, 1914.
Lega Card. — De delictis et poenis, ed. 2ª - Romae, 1910 — Praelectiones: De iudiciis ecclesiasticis civilibus, ed. 2ª - 1905.
Leitner — Handbuch des Katholischen Kirchenrechts - Romae, Pustet, 1919.
Liberatore P., S. I. — Del diritto pubblico ecclesiastico - 1887 — La Chiesa e lo Stato, ed. 2ª.
Macksey — De ethica naturali - Romae, 1914.
Many — De locis sacris - Parisiis, 1904.
Maroto Philippus — Institutiones iuris Canonici - Madrid, 1918.
Marucchi — Manuale di archeologia cristiana - Desclée, 1908.
Matthaeus a Coronata, O. M. Cap. — De locis et temporibus sacris - Augustae Taurinorum, Marietti, 1922.
Monetti — La società dei popoli.
Noldin, S. I. — De principiis, ed. XIV - 1922 — De cens., XV - 1923 — De Sacram., XVI - 1923 — De Praeceptis - 1923.
Noval S. — Codificationis iuris canonici recensio historico-apologetica - Romae, Desclée, 1918.
Ojetti — Synopsis, ed. 3ª - Romae, Offic. poligr. editrice, 1909-1912.
Olmo — Il diritto ecclesiastico vigente in Italia, ed. 2ª - Manuali Hoepli.
Perozzi — Istituzioni di diritto romano - Firenze, Barbera, 1908.
Prümmer — Manuale iuris canonici, ed. 3ª - Freiburg, Herder, 1922.
Questione (La) Romana — Documenti e note - Edizione del « Segretariato di cultura della G. C. I. », 1921.
Rauschen S. — Manuale di Patrologia.
Reiffenstuel — Ius canonicum universum.

Rivet — Quaestiones iuris ecclesiastici publici — Supplementa I-II iuris ecclesiast. privati - Romae, 1912.
Roskovany — Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae.
Sägmüller — Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts, ed. 3ª - Herder, 1914.
Salmanticenses — Cursus theologiae moralis.
Scavini — Theologia moralis universa.
Sole Iacobus — De delictis et poenis - Romae, Pustet, 1920.
Solieri — Institutiones iuris ecclesiastici, ed. 2ª - Romae, Pustet, 1921.
Suarez — Defensio fidei.
Tarquini — Institutiones iuris ecclesiastici publici, ed. 15ª - Romae, 1892.
Thomas (S.) Aquin. — De regimine Princ.
Toso Albert. — Commentaria minora ad Cod. iuris canonici, ed. 2ª - Romae, Marietti, 1922.
— Ius pontificium - Romae, Ephemeris, 1922.
Vecchiotti Sept. — Institutiones canonicae, ed. 19ª - Augustae Taurinorum, Marietti.
Ventura P. Gioacch. — Saggio sul potere pubblico.
Vermeersch-Creusen, S. I. — Summa novi iuris, ed. 2ª - Mechliniae, 1919.
— Epitome iuris canonici, t. I et II - Bruxellis, Dessain, 1921-1922.
— Periodica - 1911-1923.
Vidal — Institutiones iuris Civilis romani - 1915.
Wernz Franc., S. I. — Ius Decretalium, vol. I, ed. 3ª - Prati, Giacchetti, 1913.

INDEX GENERALIS

		Numerus paginar.
	PRAEFATIO	VII
	BIBLIOGRAPHIA	IX

PRAENOTIONES

§ 1. — *Notio iuris eiusque divisio.*

Numerus marginalis		
1	Etymologia vocis	1
2-4	Notio iuris	1-4
5-7	Divisio iuris	4-9

§ 2. — *Iurium origo et proprietates.*

8-10	Iurium origo seu fons	9-13
11-13	Iuris coactivitas	13-16
14-15	Iurium limitatio et collisio	16-18

§ 3. — *Notio, divisio et natura societatis.*

16	Societatis notio	18-19
17	Societatum divisio	19-21
18	Necessitas auctoritatis in societate	21

§ 4. — *Origo, quantitas et subiectum auctoritatis socialis in genere.*

19	Origo auctoritatis socialis	22-23
20	Quantitas auctoritatis in societate in genere	23-24
21	Quantitas auctoritatis in specie	24-26
22-24	Partitio auctoritatis socialis	26-29
25	Subiectum auctoritatis	29-31
26	Distinctio societatum perfectarum inter se	31-32

Numerus marginalis — Numerus paginar.

§ 5. — *De societatibus necessariis ex iure naturae.*

Art. I. — *De Societate civili.*

27 . Connexio materiae - Notio societatis civilis . . . 32-33
28 . Necessitas societatis civilis 33-34
29 . Origo historica societatis civilis 34-35
30 . Auctoritas societatis civilis 35-36
31 . Finis societatis civilis 36-39

Art. II. — *De Societate religiosa.*

32 . Status quaestionis 40
33 . Necessitas societatis religiosae perfectae 40-42
34 . De perfectione societatis religiosae in statu naturae . . 42-43
35 . De societate religiosa in concreto 43
36 . Auctoritas societatis religiosae 44

IUS PUBLICUM ECCLESIAE CATHOLICAE

37 . Connexio materiae 45

Pars I. — Ius publicum internum seu de Ecclesiae Catholicae perfectione iuridica.

Caput I. — De Ecclesiae perfectione.

38 . Notio Ecclesiae 46-47
39 . Distinctio Ecclesiae a societate civili 47-48
40 . Legitimitas seu iuridicitas Ecclesiae 48-50
41-46 Iuridica Ecclesiae perfectio 50-63

Caput II. — De Ecclesiae publica potestate seu de potestate legifera, iudiciali et exsecutiva.

47 . Connexio materiae 63-64
48-49 Christus Ecclesiae potestatem legiferam et quidem a Statu independentem contulit 64-65
50-52 Christus Ecclesiae potestatem iudicialem et quidem a Statu independentem contulit 65-66
53 . Scholion — De causis potestati iudiciali Ecclesiae subiectis 66-67
54 . Ecclesiae a Christo potestas exsecutiva concessa est . . 67-68
55 . Scholion — Ius constitutionale Ecclesiae 68

Numerus marginalis		Numerus paginar.
56 .	Origo publicae potestatis in Ecclesia	68-69
57 .	Partitio publicae potestatis historice considerata . .	69
58 .	Utrum partitio publicae potestatis sit necessario admittenda	69-70
59 .	Partitio publicae potestatis in societate civili . . .	70
60 .	Partitio publicae potestatis in Ecclesia	70-71
	CAPUT III. — **De Ecclesiae potestate coercitiva.**	
61-65	De ipsa potestate coercitiva	71-76
66 .	Quemnam finem Ecclesia in poenis infligendis sibi proponere debeat	76-78
67-71	Utrum Ecclesia poenis temporalibus uti possit . . .	78-83
72-74	De vi armata	83-89
75 .	Scholion — Obiectiones	89-91
76-78	De tribunali Inquisitionis	91-96
	PARS II. — Ius publicum externum seu relationes Ecclesiam inter et alias societates.	
79 .	Connexio materiae	97
	CAPUT I. — **De relationibus Ecclesiae ad societatem civilem catholicam.**	
80 .	Praenotiones	97-99
81 .	Variae opiniones et earum crisis	99-102
82-85	Doctrina tenenda - Systema potestatis indirectae . .	102-112
86 .	Quaestiones variae	112-116
87 .	De potestate in res mixtas	116-117
88 .	De iudicio meri facti spiritualis aut possessionis iuris spiritualis	117-118
89 .	De legibus civilibus in re temporali latis ab Ecclesia servandis	118-119
90 .	Obiectiones	119-121
91 .	De separatione Ecclesiae a Statu	122-124
92 .	De liberalismo	124
	CAPUT II. — **Relationes Ecclesiae ad societates civiles acatholicas.** .	124-125
93 .	Relationes Ecclesiae cum Statu christiano-acatholico . .	125-127
94 .	Relationes Ecclesiae cum Statu acatholico-infideli . .	127-130
95 .	Relationes Ecclesiae cum gubernio illegitimo . . .	130-131

Numerus marginalis		Numerus paginar.
96 .	Scholion I — Relationes Ecclesiae ad societates civiles imperfectas	131-132
	Scholion II — Relationes Ecclesiae ad societates religiosas falsas de facto exsistentes	132
	Scholion III. — De officiis Ecclesiae erga civitatem . .	132
	CAPUT III. — **Relationes reipublicae catholicae ad societates religiosas acatholicas.**	133
97 .	De concursu negativo	133
98 .	De concursu positivo	133-136
	Scholion — De relationibus Ecclesiae ad respublicas ex iure contingenti	136-137
	PARS III. — **Ius publicum speciale seu Quaestiones variae Speciales.**	138
	CAPUT I. — **De Concordatis.**	138
99 .	Connexio materiae	138
	Art. I. — PRAENOTIONES.	139
100 .	Notio concordatorum	139
101 .	Divisio concordatorum	139-140
102 .	Historia concordatorum	140-143
	ART. II. — SUBIECTA CONCORDATORUM.	143
103-104	Subiecta seu personae quae concordata inire possunt .	143-144
	Art. III. — MATERIA ET FORMA CONCORDATORUM.	145
105 .	De materia concordatorum	145
106 .	De forma concordatorum	145-146
	Art. IV. — NECESSITAS ET UTILITAS CONCORDATORUM.	146
107 .	Necessitas concordatorum	146-147
108 .	Utilitas concordatorum	147
	Art. V. — DE VI ET NATURA CONCORDATORUM.	147-148
110-118	§ 1. — *Principia a catholicis retinenda circa vim concordatorum.*	148-150
	§ 2. — *Terminologiae explicatio.*	150
119 .	Pactum, contractus bilateralis	151-152
120 .	Ius strictum, ius quaesitum et ius precarium . . .	153
121 .	Ius in re et ius ad rem	153-155

Numerus marginalis		Numerus paginar.
	§ 3. — *Variae opiniones auctorum.*	155
122	Opinio legalis seu regalistarum	155-156
123	Sententia privilegiorum	156-158
124	Sententia pacti bilateralis	158-159
—	Scholion — Opinio ecclectica	159-160
	§ 4. — *Sententia tenenda.*	160
125	Concordata sunt pacta bilateralia lato sensu	160-161
126	Probatur thesis	161-164
127	Obiectiones	164
	Art. VI. — Interpretatio et rescissio concordatorum.	164
128	Interpretatio	164-165
129	Cessatio concordatorum	165-168
130	Scholion I — De concordatis ex vi, metu, dolo et errore initis	168
131-132	Scholion II — De concordatis cum acatholicis et cum infidelibus	168-169
	Caput II. — **De regio " placet ,,.**	169
133	Connexio materiae	169
	Art. I. — Notio et divisio regii " placet ".	169
134	Notio	169-170
135	Distinctio regii *placet* a regio *exsequatur*	170
	Art. II. — Regii " placet " historia.	170
136	Historia regii *placet*	170-171
	Art. III. — Principia de regio " placet " tenenda.	172
137	Principia tenenda	172-173
138	Scholion — Obiectionum refutatio	173-174
	Caput III. — **De appellatione ab abusu.**	174
139	Notio	174-175
140	Notae historicae	175
141	Refutatio	175-176
142	Scholion — Regalistarum argumenta pro appellatione ab abusu	176-178
	Caput IV. — **De immunitatibus ecclesiasticis.**	178
	§ 1. — *Notio et divisio.*	178
143	Notio	178-179
144-146	Divisio immunitatum ecclesiasticarum	179-182

Numerus marginalis		Numerus paginar.
	§ 2. — *Historia immunitatum ecclesiasticarum.*	182
147	De immunitatibus personalibus	182-187
148	Immunitas localis	187-190
149	Immunitas realis	190-191
	§ 3. — *Origo seu natura iuridica immunitatum.*	191
150	Variae solutiones propositae	191-195
151	Animadversiones quaedam circa quaestionem	195-197
152	Solutionis propositio	197-198
153	Solutionis propositae probatio	198-200
	§ 4. — *Quaestiones quaedam particulares.*	200
154-155	De exemptione seu immunitate clericorum a servitio militari	200-203
156-158	De Romani Pontificis omnimoda exemptione a qualibet humana auctoritate	203-206
159-164	De Romani Pontificis dominio temporali	206-215
165	Scholion — De quaestione romana	215-216
166-168	Iura Ecclesiae in bona temporalia	216-219
169	Iura Status in bona ecclesiastica	219
	Caput V. — **Fontes iuris.**	219
170	Ratio et connexio materiae	219
	§ 1. — *Fontes exsistendi et fontes cognitionis iuris canonici.*	219
171	Fontes exsistendi	219-220
172	Fontes cognitionis	220-221
173	Divisio collectionum	221-223
	§ 2. — *De collectionibus praecipuis.*	223
174	Collectiones pseudo-apostolicae	223-224
175	Collectiones orientales	224-225
176	Collectiones occidentales usque ad saeculum IX	225-228
177	Collectiones spuriae saeculi IX	228
178	Aliae collectiones usque ad Gratianum	228-229
179	Decretum Gratiani	229-231
180	Quinque compilationes antiquae	231
181	Decretales Gregorii IX	231-232
182	Aliae Decretalium collectiones	232-234
183	Corpus iuris canonici	234-235

Numerus marginalis		Numerus paginar.
184 .	Collectiones extra corpus iuris canonici usque ad Codicem	235-238
185 .	Tentamina codificationis	238-239
	§ 3. — *Codex iuris canonici.*	240
186 .	Codificationis necessitas	240
187 .	Codicis historica enarratio	240-243
188 .	Codicis promulgatio et vacatio	243
189 .	Authentia iuridica Codicis	244-245
190 .	Maior exclusivitatis Codicis explicatio	245-246
191 .	Leges quae a Codice non sunt abrogatae	247-248
192 .	De iure suppletorio	248-249
193-194	Codicis interpretationis generalia principia . . .	249-250
	§ 4. — *Fontes iuris romani.*	250
195 .	Ratio materiae	250-251
196 .	Fontes exsistendi iuris romani	251-253
197 .	Fontes cognoscendi	253
197 .	Collectiones antiiustinianeae	253
198 .	Collectiones iustinianeae	253
199 .	Digesta seu Pandectae	253-254
200 .	Institutiones	254-255
201 .	Codex repetitae praelectionis	255
202 .	Novellae	255
203 .	Corpus iuris civilis	255-256

APPENDIX

Lex praesidiorum (*delle guarentigie*) 257
TITOLO I - Prerogative del Sommo Pontefice e della S. Sede 257-260
TITOLO II - Relazioni dello Stato colla Chiesa 260-261

Index Alphabeticus 263

IUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM

PRAENOTIONES

§ 1. — *Notio iuris eiusque divisio.*

1. — Etymologia vocis. - Etymon vocis *iuris* alii aliter explicant. Nos opinionem cl. Forcellini sequemur qui haec habet: Ius « dicitur a iubeo, quia iubetur ab eo qui summam habet potestatem; ius enim apud romanos fuit quod a populo iussum fuerat, cuius proprium erat iubere. Porro antiquissimi *iousa* dixerunt (quippe *ious* per diphtongum scribitur in vetusto marmore), nec litteras, geminabant nec utebantur littera canina *r*. Postea abiecta diphtongo et sibilante littera in caninam versa, *iura* dixerunt » [1].

2. — I. Notio iuris [2].

Ius tripliciter [3] accipitur:

1° *Prout efficienter* sumitur *legem significat* a qua iura sensu subiectivo intellecta promanant. Dicitur autem *efficienter* sumi

---

[1] Forcellini, *Dictionarium totius latinitatis*, h. verbo. Prati 1865.

Alii vocem *ius* vocem primitivam seu radicalem habent a qua alia verba ut *iustitia, iussum, iustum* originem trahunt (cfr. Hergenröther-Hollweck, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts* (1905) n. 2 pag. 3 in nota). His accedunt alii moderniores *ius* a voce originaria sanscrita *iaus* derivantes, occurrit autem vox ista *iaus* semel tantummodo in Veda, estque sensus aliquatenus indeterminati, significationem *salutis* aut *felicitatis religiosae* habens (cfr. Chelodi, *Ius de personis*, 2; Bonfante, *Istituzioni di diritto romano*, p. 6 in nota); Eichmann, *Lehrbuch des Kirchenrechts* (1923) ius derivat a voce indica ya = ligamen; l. c. § 1 n. 2 in nota.

[2] Sunt qui negent dari ideam iuris universaliter ab omnibus admissam circa naturam iuris in genere; at haec opinio admitti prorsus nequit, quia, si ita revera esset nec iuris philosophia proprie dicta admittenda esset, nec iuris historia. Philosophia enim iuris iuri in se considerato studet generice sumpto, non iuri alicui determinato; item historia iuris agit de iure populorum seu gentium inter se comparando; at haec comparatio impossibilis omnino evaderet si iuris idea universaliter ab omnibus admissa haberi non posset. Deinde ipsa historia et quotidiana experientia docet revera haberi ideam iuris universaliter admissam ab omnibus. (Cfr. Cathrein, V. *Filosofia morale*, traduzione italiana (1913) Firenze, v. I, pag. 545-546).

[3] Univoca notio iuris dari nequit quia illud verbum indifferenter et fere aeque communiter pro tribus iuris speciebus accipitur. (Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, pag. 549).

quia ius hoc sensu iurium subiectivorum et obiectivorum causa efficiens est [1]. Alii tamen et quidem communius hanc acceptionem vocis iuris obiectivam vocant [2].

Attamen notandum est non omnem legem, legem iuridicam seu ius efficienter sumptum appellari posse; sunt enim et leges mere morales seu ethicae; et licet de natura legis iuridicae sit ut simul ethica sit, non tamen e converso affirmari potest esse de natura legis ethicae ut sit simul iuridica. Lex iuridica seu ius efficienter sumptum est quaelibet lex ethica quae officia et iura contineat relationes hominum inter se respicientia; aliae vero leges ethicae quae relationibus hominum ad seipsos moderentur, leges mere ethicae, seu non-iuridicae appellari consueverunt. Attamen nec omnes leges quae hominum inter se relationes respiciunt leges iuridicae dicendae sunt, sed solum illae quae pro obiecto ius stricte dictum seu ius obiectivum, sive commutativum, sive distributivum, sive legale habent; aliae vero leges quae pro obiecto aliarum virtutum actus habent, non sunt iuridicae, nisi forte accedat lex humana quae eis vim stricti iuris tribuat.

Item leges relationes hominum ad Deum moderantes per se iuridicae dicendae essent et ad ius efficienter sumptum stricte pertinerent, immo lex omnis ethica relate ad Deum iuridica appellari recte posset, quia cuiuslibet legis moralis obligatio relate ad Deum est pro hominibus aliquod debitum, at de facto iuridicae non appellantur [3].

3. — 2° Prout *obiective* [4] sumitur ius *id quod iustum est* significat, seu *id quod alicui debitum est*, et refertur ad virtutem iustitiae stricte acceptae, seu quatenus iustitia est virtus specialis qua cuique quod suum est redditur seu tribuitur.

---

[1] Cfr. Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, t. I, n. 5-7.

[2] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, pag. 551, qui semper hoc sensu loquitur de iure obiectivo; Rivet, *Quaestiones iuris ecclesiastici publici*, Romae, 1912, pag. 4; Eichmann, l. c. § 1, 5, a.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 12; Cathrein, *l. c.*, 552 et 654; Chelodi, *Ius de personis*, n. 1. Quaestio ista de iuridicitate legis connexa est cum altera quaestione de natura virtutis iustitiae. Sunt autem qui doceant tres species virtutis iustitiae, scilicet iustitiam distributivam, iustitiam commutativam et iustitiam legalem ad iustitiam virtutem cardinalem referri; alii vero (Cathrein contra Vermeersch et Noldin) iustitiam legalem a virtute cardinali excludunt, quia in ea debitum seu quod suum est communitati a membris non redditur ad aequalitatem, quod requiri docent ad essentiam iustitiae virtutis cardinalis. Ex variis his opinionibus varietas etiam oritur circa divisionem iuris efficienter sumpti.

Si iustitia legalis ad proprie dictas leges iuridicas pertinere dicatur, quod affirmandum videtur, etiam leges sive naturales, sive positivae cultum externum, obedientiam et aequitatem spectantes, ex natura sua ad leges iuridicas pertinere dicendae erunt, et insuper inter easdem etiam adnumerandae erunt leges aliarum etiam virtutum actus respicientes, quatenus a lege humana illi actus praecipiuntur. Et re sane vera etiam leges obligationes civium erga communitatem respicientes se referunt ad id quod alteri, scilicet communitati ex iure proprio debitum est sine quo societas ne subsistere quidem potest. At in hoc consistere videtur ratio virtutis cardinalis iustitiae quae ita proprie definitur ut sit virtus quae suum cuique tribuit. Cfr. Cathrein, *l. c.*, pag. 385-390; Noldin, *De principiis*, n. 268.

[4] Illi qui ius *efficienter sumptum obiectivum* vocant, etiam huic acceptioni eamdem terminologiam *obiectivi* retinent. Cfr. Hergenröther-Hollweck, *l. c.*, 2.

Dicitur autem hoc sensu *obiective* accipi, in quo tamen non omnes conveniunt, quia est proprie obiectum virtutis iustitiae. Obiectum autem virtutis iustitiae determinari potest hac vel simili formula: *quod debitum est alteri* - seu - *quod suum est.* Quousque vero vis huius vel similis formulae sese extendat seu quos actus in concreto comprehendat non una est doctorum sententia. Certe illa formula comprehenditur id quod privata aliqua persona ad alteram privatam debet; item id quo communitas ad singula membra, at non eadem certitudine id quod singula membra ad communitatem (iustitia legalis) debent [1].

Verum licet forte id quod singula membra societati debent dicatur non pertinere ad iustitiam, virtutem cardinalem, retinendum tamen semper est illud, ius proprie dictum constituere sicut ad ius proprie dictum etiam refertur obiectum cultus Dei, obedientiae et aequitatis, etenim ista omnia saltem ad iustitiam communiter dictam sensu proprio pertinent et proinde ius proprie dictum constituunt. Proprie enim dicimus debitam Superiori esse obedientiam a subditis, Deo cultum ab hominibus, parentibus reverentiam a filiis [2].

4. — 3° Ius *formaliter* sumptum, seu *subiective, est moralis seu legitima inviolabilis facultas aliquid faciendi, omittendi aut exigendi.*

Dicitur *facultas moralis* seu potestas in genere morum, non in genere physico, a lege aliqua originem trahens, unde et legitima dicitur. Inviolabilis dicitur respectu aliorum a quibus impediri licite nequit. Alia definitionis verba iuris, obiectum quod externum esse debet, designant [3].

Ius hoc tertio sensu intellectum differt a iure primo sensu intellecto ut effectus a causa, quia nempe ab ipso originem trahit; differt a iure altero sensu intellecto, quia ius sensu *iusti* est habitudo consequens ex iure quod est moralis facultas, seu, quia ius obiective sumptum est consequens iuris facultatis moralis. Ad melius hunc tertium sensum vocis iuris enucleandum, qui sensus pro nobis est magis practici momenti, quinque in iure considerandа sunt, scilicet: Principium, materia, titulus, subiectum et terminus.

a) *Principium iuris* est id a quo ius seu facultas moralis procedit, seu ius efficienter sumptum;

b) *Materia iuris* est id circa quod ius versatur, et est vel res aliqua materialis et tunc *res* proprie appellatur; vel res aliqua immaterialis ut actio determinata socii in aliqua societate, vel actio aliqua iudicialis etc. et tunc *quasi-res* vocatur. Notandum hic personam humanam, iuris humani materiam esse non posse, quia persona humana nequit ordinari ad alterius hominis bonum; sed ad se et ad Deum necessario ordinatur, nec liberum est homini hanc ordinationem naturalem mutare.

---

[1] Cfr. Cathrein, *l. c.*, 550 et infra ubi de divisione iuris nec non notam sub n. 2 positam.

[2] Cfr. Cathrein, 554-555.

[3] Sicut supra de iure obiectivo diximus, ita et nunc de iure subiectivo affirmari potest varias esse species iuris pro vario obiecto. Ita habentur iura iustitiae commutativae, iura iustitiae distributivae, iura iustitiae communiter dictae seu iustitiae legalis cultui Dei, obedientiae Superioribus debitae, reverentiae parentibus item debitae correspondentia. Atque haec omnia sunt vera et propre dicta iura. (Cathrein, *l. c.*, I, 554-555).

Actiones vero particulares hominis iuris materia esse possunt.

c) *Titulus iuris* est ratio ob quam tali vel tali personae hoc vel illud ius in individuo convenit et determinatur; seu est ratio proxima et immediata iurium; e. g. contractus tali die factus est titulus seu ratio qua Caius tale ius obtinuit.

Remote autem titulus in lege fundatur, quae, ut vidimus, est iuris principium seu fundamentum.

d) *Subiectum iuris* est persona quae ius possidet. Subiectum autem persona seu suppositum rationale esse debet, quia ius est facultas moralis quae libertatem proindeque voluntatem et rationem seu intellectum supponit. Unde entia irrationalia ut ferae etc. iuris proprie dicti incapacia sunt.

Potest vero *persona* esse *physica* aut *moralis*. Persona iuris subiectum exsistens esse debet, quia quod non exsistit nequit esse subiectum rei exsistentis [1].

e) *Terminus iuris* est persona quae ius seu facultatem moralem servare debet inviolabilem; seu est persona quae ius alterius impedire non solum non debet, sed aliquando et positive inviolabile servare [2].

5. — II. **Divisio iuris.** - *A*) *Ius efficienter sumptum dividi potest:* 1° *Ratione originis*, in *ius divinum* et *ius humanum* prout Deum aut homines auctores habet.

a) Ius autem divinum est vel *positivum* vel *naturale;* naturale a Deo ut auctore naturae, originem habet et ipso actu creationis conditur; positivum vero a Deo per revelationem ad homines transmissum est.

Ius divinum omne genus necessario reiiciunt omnes illi qui iuris fontem Deum esse negant [3].

b) Humanum vero ius subdividitur in *canonicum* [4] et *civilem*, prout ab Ecclesia aut a societate civili originem habet. Hanc iuris divisionem non admittunt plures auctores acatholici, ecclesiam societatem perfectam negantes et Statum civilem omnium iurium fontem statuentes. Horum opiniones non est hic locus refutandi. Refutantur vero dum probatur ecclesiam potestatem legiferam a Statu independentem habere. De quo postea [5].

2° *Ratione ambitus* seu extensionis, restricta divisione ad ius canonicum, ius est:

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, n. 13 et sq.

[2] Macksey, *De ethica naturali*, pag. 236 et sq.

[3] Cfr. Macksey, *l. c.*, pag. 246 sq.; Rivet, *Quaestiones iuris publici ecclesiastici*, pag. 8.

[4] Haec terminologia quae iam ante *Codicem* communior erat, post *Codicis* promulgationem omnino retinenda est, licet aliae appellationes, quibus ab antiquioribus *ius canonicum* designabatur proscriptae expresse non sint. Antiqui autem indifferenter his vocabulis utebantur, *ius sacrum, ius pontificium, ius divinum, ius ecclesiasticum.* Quo ultimo vocabulo italici scriptores generatim designant *leges* incompetenter *a Statu latas* circa Ecclesiam. Cfr. Olmo, *Il diritto ecclesiastico vigente in Italia* [2] Manuali *Hoepli;* — Calisse, *Diritto ecclesiastico*, Manuali *Barbera* ecc. Chelodi, *Ius de personis.* 8.

[5] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, n. 46, n. 6.

a) *Ratione territorii - universale* et *particulare.* Universale est ius seu lex quae ad universam sese extendit Ecclesiam; particulare, quod alicui territorio restringitur.

Particulare ius potest esse *regionale*, *provinciale*, *dioecesanum*, prout extenditur ad regionem, ad provinciam, aut dioecesim etc.

b) *Ratione personarum* ad quas extenditur est *generale* et *singulare* prout ad omnes fideles aut ad certas tantum personas extenditur. Hoc sensu ius singulare est illud quo clerici reguntur vel religiosi [1]. Negari tamen nequit saepe saepius ius singulare indifferenter appellari a pluribus auctoribus et ius speciale, de quo statim, et e converso.

c) *Ratione normae ordinarie servandae*, *ius commune* et *ius speciale.* Ius autem commune est illud quo norma generatim servanda statuitur; speciale vero est exceptio ab illa norma. Ius commune strictiorem quam ius generale significationem habet, et potest esse vel generale vel singulare; ius vero speciale exceptionem a iure communi designat; at cum ius singulare iam exceptionem pro determinatis personis significet, dici potest ius singulare esse ius speciale, licet stricte speciale non sit nisi illud quod communi opponitur. Ius speciale favorabile privilegium vocatur [2].

3° *Ratione formae - ius scriptum* et *ius non scriptum*, quod alterum est vel *traditum* vel *consuetudinarium* prout vim directe a legislatore vel a communitate una cum consensu legislatoris habet. Ius non scriptum est etiam quod scripto utique progressu traditur, ab initio tamen vel oretenus vel consuetudine vim obtinuit [3].

4° *Ratione finis - publicum* et *privatum.* - Ius publicum est ius quod ad bonum seu utilitatem publicam in societate perfecta tendit; ius vero privatum quod ad utilitatem privatorum in societate perfecta vel etiam ad utilitatem socialem seu publicam, at in societate imperfecta [4]. Ad ius publicum Ecclesiae spectat determinare quid ipsa possit, et penes quos resideat eius potestas, obiectum scilicet et subiectum potestatis Ecclesiae.

Attamen etiam inter catholicos sunt qui hanc distinctionem reiiciunt aut ad alios sensus trahunt. Nos [5] vero hanc retinemus et pro *iure publico*

---

[1] Cfr. Wernz, *Ius Decretalium*, I, n. 50, III.
[2] Wernz, *l. c.*, I, 5°, III.
[3] Wernz, *l. c.*, 5°, IV.
[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, n. 18 sq.; Rivet, *l. c.*, pag. 9.
[5] Hoc tamen volumine aliquantisper restrictive ius publicum intelligimus pro iure publico quo potestas Ecclesiae *ad intra* et *ad extra* extenditur, plurimis quaestionibus quae ad bonum Ecclesiae societatis perfectae referuntur ad ius privatum seu potius ad Institutiones canonicas proprie dictas remissis.

Ecclesiae *ius quod directe et principaliter ad bonum Ecclesiae societatis perfectae*, pro *iure privato* illud intelligimus *quod directe et principaliter ad bonum privatorum fidelium ordinatur*. Non negamus ius privatum ad bonum societatis tendere, sicut contra ius publicum ad bonum privatorum, sed hoc remote et indirecte. Alios vocis publici et privati sensus omittimus [1].

Et hae quidem sunt distinctiones iuris quatenus ius legem seu ipsum fontem immediatum iuris obiectivi et subiectivi significat. Quoniam vero alia illa iura obiectiva scilicet et subiectiva a lege seu a iure efficienter sumpto originem trahunt, fit ut distinctiones istae etiam illis aliis acceptionibus vocis iuris appropriari possint, ita ut e. g. ius obiectivum aut subiectivum quod a lege naturali ius naturale, quod vero a lege humana oritur, ius humanum dici possit et ita porro [2].

5° *Ratione effectuum: - a) Ius favorabile* et *ius odiosum* prout favorem aut speciale quoddam onus imponit.

b) Ius cogens et *ius dispositivum* prout absolute aut tantum conditionaliter obligat ; e. g. iure dispositivo aliquid praecipi potest si nihil pactis privatis in aliquo negotio determinatum sit.

c) Ius minus quam perfectum, perfectum et *plusquam perfectum* prout pro sanctione habet aliquam poenam communem, actus nullitatem et insuper actui nullitati specialem etiam poenam addit. His accedit *ius imperfectum* cui poena nulla a lege est determinata, sed arbitrio Superioris imponenda relinquitur [3].

d) Ius territoriale et *ius personale* prout directe physicam personam afficit aut eam afficit solum per territorium quod directe afficitur [4].

6. — *B) Ius obiectivum dividitur:*

1° In *ius stricte dictum* et *perfectum* seu *commutativum*, quod perfecte tribus elementis constat, alteritate, debito et aequalitate perfectis, computatione arithmetica seu numeri ad numerum computatur seu metitur, et unum, si violetur, obligationem restitutionis parit.

2° In *ius distributivum, quod ius stricte dictum est, at non perfec-*

---

[1] Wernz, *l. c.*, 50, II.; Solieri, *Institutiones iuris ecclesiastici* [2] n. 22 et sq.

[2] Romani distinxerunt insuper ius efficienter sumptum in *ius strictum* et *ius aequum seu aequum et bonum*. Ius strictum non fuit nisi applicatio stricta iuris positivi scripti quae cum saepe ex sua ipsius rigiditate nimis rigorosa evaderet, locum tunc dabat in praxi aequiori interpretationi quae ius aequum et bonum appellata est. Ius igitur aequum et bonum non est nisi benignior interpretatio aut etiam correctio legis scriptae severioris ex principiis iuridicis naturalibus facta. Cfr. Cathrein, *l. c.*, pag. 646-648. Iam Aristoteles de iure convenienti (ἐπιεικής) loquutus fuerat quod ius scriptum corrigere debeat. Canonistae ius aequum plerumque Epicheiam vocant. Cfr. etiam Perozzi, *Istituzioni di diritto romano*, I, pag. 80-83.

[3] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 50, VI.

[4] Cfr. c. 8 § 2; Toso, *Commentaria minora*, ed. 2, pag. 30 ad hunc can.

tum. Hoc ius ad iustitiam virtutem particularem, quatenus virtus est cardinalis, pertinet; deest tamen in ipso perfecta *alteritas*, quia pars et totum sunt quodammodo idem; deest pariter perfecta aequalitas inter datum et acceptum, computatione enim non arithmetica, sed geometrica computatur. Obligationem restitutionis, si violetur, non importat [1].

3° In *ius iustitiae communiter dictae correspondens quod ius strictum pariter est*, quia in eo quod debitum est determinatur, at *minus perfecte* [2].

Ius autem huiusmodi subdividi potest:

a) In *ius legale* quo determinatur quid singula membra communitati debeant; quodque proxime ad ius distributivum accedit; computatione pariter geometrica computatur.

b) In *ius virtutibus cultus Dei, obedientiae, pietatis et aequitatis correspondens*, quae virtutes ad iustitiam communiter dictam ex se et ex natura rei referuntur; ipsis enim quid Deo, quid parentibus, filiis, aut Superioribus debitum sit determinatur, sicut iustitia legali generatim determinatur quid communitati a subditis ut membris debitum sit [3].

7. — *C*) *Ius formaliter sumptum seu subiectivum*, quatenus facultatem moralem significat, dividitur:

1° *Ratione principii* in ius divinum et humanum, ecclesiasticum et civile etc., prout diximus ubi de iure in sensu legis.

2° *Ratione materiae* circa quam versatur diducitur:

a) In *ius proprietatis* seu *dominii*, si in res proprie dictas exercetur.

Ius autem proprietatis dicitur « improprie si sit super res sui internas, proprie si sit super res sibi externas » [4].

Item ius proprietatis sensu proprio potest esse *ius in re* et *ius ad rem* prout ius directe in rem ipsam aut in personam eaque mediante in rem cadit. Qui ius in re habet, sibi rem sumere potest

---

[1] Computatio geometrica in hoc consistit, quod proportio non servatur inter datum et acceptum, sed inter datum una et altera vice; ita e. g. si Status det centum Titio pro actu quodam heroico ab ipso posito, dabit biscentum Sempronio pro duobus actibus heroicis ab ipso positis. Proportio in casu non est inter actum heroicum et centum, sed inter centum priori et biscentum altera vice datum.

[2] Ius legale aliqui ad iustitiam particularem seu virtutem cardinalem referunt. In istorum opinione ius legale non est nisi divisio iuri distributivo correspondens. Cfr. supra in nota.

[3] Cfr. Cathrein, *l. c.*, 550-551; Macksey, *l. c.*, 233-236; cfr. etiam Cavagnis, *l. c.*, I, n. 10 et 11.

[4] Macksey, *l. c.*, pag. 237.

ubique illa sit; qui vero ius ad rem habet, rem aut aequivalens rei a persona exigere non vero sibi sumere per se potest [1].

b) In *ius iurisdictionis* [2]; si facultas moralis non in res proprie dictas sed in quasi res seu in liberas hominum actiones exercetur.

Dicitur autem iurisdictionis ius improprie si super proprias actiones exerceatur, proprie si in actiones alienas [3]. Attamen iurisdictio hoc sensu non semper intelligitur ab auctoribus praesertim in tractatibus iuris ecclesiastici. Ibi communius iurisdictio his aut similibus modis definitur: « Potestas publica circa aliorum regimen seu gubernationem ». Qua definitione evidenter restringitur notio a Macksey data per illud verbum *publicum*. Si potestas *publica non sit*, potestas *dominativa* seu *domestica* vocatur [4].

3° *Ratione tituli*, quo proxime determinatur, diducitur:

a) In *ius congenitum* quod fundamentum seu titulum in ipsa natura humana habet et ipsi naturae congenitum est.

b) In *ius acquisitum* quod ex facto aliquo contingenti determinato homini supervenit.

c) In *ius necessarii exercitii*, si eius usus ad aliquam obligationem exercendam necessarium est; e. g. ius recipiendi baptisma.

Haec iura inalienabilia sunt, quia nefas est homini his se privare.

d) In *ius exercitii liberi* si eius exercitium non est necessarium ad adimplendam ullam obligationem, e. g. ius eligendi sibi sepulturam. Haec iura alienabilia dici etiam possunt quia ea abalienare licet [5].

4° *Ratione subiecti*, seu personae cui inhaeret, ius est;

a) *Publicum* aut *privatum;* quae distinctio eodem fere sensu, ac supra ubi de iure efficienter sumpto, intelligenda est. Ius igitur publicum est quod proprium est personae moralis perfectae, eiusque bonum directe respicit; privatum vero est ius personae physicae aut etiam moralis imperfectae [6].

---

[1] Macksey, *l. c.*, pag. 237; Cathrein, *l. c.*, I, 662.

[2] Ius iurisdictionis quatenus ius a subditis exigendi quae bono communi necessaria sunt significat, est ius iustitiae legali correspondens, respicit enim ius quod communitas relate ad singula membra habet. Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 659.

[3] Macksey, *l. c.*, 237.

[4] Cfr. Reiffenstuel, *Ius canonicum universum*, I, 29, 1 sq.; Wernz, II, 3 in n. 19.

[5] Macksey, *l. c.*, 238 sq.

[6] Paulo aliter Macksey *l. c.*, pag. 239, minus proprie, ut videtur, ius publicum appellat omne ius personae moralis. Cfr. etiam Cathrein, *l. c.*, I, 660, ubi ius publicum appellat ius iustitiae legali correspondens, ius vero privatum ius iustitiae distributivae et commutativae correspondens, quod cum nostra sententia concordat.

b) *Ius sociale* et *ius individuale*, prout subiectum iuris est persona physica aut moralis [1].

c) *Ius commutativum*, *distributivum* et *legale* prout facultas designat quod debitum est a persona privata ad personam privatam, aut a persona publica ad personam privatam, aut a persona privata ad personam publicam [2].

5° *Ratione coercitionis*, habemus ius *perfectum* seu *coercitivum* et *imperfectum* seu *non coercitivum*, prout, coercivitate gaudet aut non. Alio sensu hanc divisionem vidimus in iure efficienter sumpto [3].

§ 2. — *Iurium origo et proprietates.*

8. — Definitionibus iuris eiusque divisionibus supra datis quaedam hic adiicienda sunt quae in quolibet iuris tractatu praesupponuntur quaeque multum conferre possunt ad ipsas ideas supra expositas clarius enucleandas. Videbimus igitur quaedam de iurium origine, coactivitate et collisione.

I. **Iurium origo seu fons.** - De iurium origine seu fonte triplici ratione inquirere possumus, prout nempe agitur de origine iurium triplici sensu supra explicato acceptorum.

1° *Origo iuris efficienter sumpti.* - *a*) Quaestio de origine iuris efficienter sumpti, quae iuristis scholae positivae modernae aut cuiusvis alius scholae, quae a Deo praescindere ausu temerario et falso praeiudicio praesumat, insolubilis est, facillime nobis solvenda proponitur. - Quid est enim ius efficienter sumptum, in suo ultimo fonte, nisi lex ipsa naturalis ethica [4] a Deo, auctore naturae, in actu creationis promulgata, restrictive accepta ad ea praecepta quae ad alios obligationem important? Quaestio igitur de origine ultima iuris efficienter sumpti ad quaestionem exsistentiae et originis legis naturalis reducitur; qua proinde quaestione soluta et nostra quaestio soluta erit.

Legem vero naturalem, quae non est nisi lumen rationale a Deo auctore naturae nobis datum quo, quid faciendum quidve vitandum sit,

---

[1] Macksey, *l. c.*, 239.

[2] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 659-660.

[3] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 660; et Cavagnis, *l. c.*, I, 10-11.

[4] Sunt igitur leges iuridicae necessario etiam leges ethicae; non item e converso leges ethicae sunt necessario leges iuridicae. Ius ab ethica praescindere nequit, sed eam ut fundamentum supponit; potest vero ethica a iure praecidi. Hoc principium negant Kantiani pro quibus ius est complexus normarum ad conciliandam omnium et uniuscuiusque libertatem externam, nullum cum moralitate nexum habens. (cfr. Chelodi l. c. n. 3). Sunt tamen etiam catholici qui negant omnes obligationes iuridicas etiam ethicas necessario esse debere, ut Eichmann, *Lehrbuch des Kirchenrechts* (1923) § 1, n. 1°.

cognoscimus [1], exsistere seu, aliis verbis, a Deo revera creaturis rationalibus impositam fuisse constat ex quotidiana cuiusque hominis experientia.

Quotidiana enim experientia omnes homines intimo quodam modo cognoscunt dari principia quaedam moralia universalia, eaque sibi, independenter a qualibet lege humana, imposita esse a Deo, omnium supremo creatore et legislatore. Ex huiusmodi principiis iuris efficienter sumpti in lege naturali contentis haec e. g. citari possunt, quae universaliter homines omnes sibi imponi sciunt independenter a qualibet lege humana, et proinde a lege naturali: Omnes fatentur iniustitias committendas non esse, furtum non esse faciendum, homicidium sine proportionata causa commissum malum esse et iniustum; item omnes homines sciunt se ius ad vitam, membrorum incolumitatem, necnon ad libertatem habere, et iniuste agere putant illos qui sine proportionata causa haec iura impedire tentant.

Haec omnia et alia quamplurima tam clare et determinate *ex se* seu *ex natura sua* iusta vel iniusta putamus, ut ea talia iudicemus, quamvis forte circa ea nihil a lege humana determinetur; immo quamvis lex humana contrarium omnino determinaret.

Haec autem lex omnibus imposita, qua officia et iura firmantur independenter a lege humana, quaeque saepe homini molesta est, explicari nequit, nisi ex praecepto auctoritatis superioris, idest, divinae. A Deo igitur ultimatim omne ius efficienter sumptum procedere necesse est [2].

Semel admissa seu probata legis naturalis exsistentia, iuris naturalis stricte dicti efficienter sumpti origo iam probata est. Etenim ius naturale non est nisi ipsa lex naturalis ethica quatenus ipsa relationes, obligationes, et iura hominum inter se moderatur independenter a lege humana, et antecedenter ad ipsam.

Cum autem lex naturalis Deum necessario habeat auctorem, quia aliter eius obligatio, quam unusquisque in sua persentit conscientia, explicari non posset, etiam clare patet ius omne efficienter sumptum ultimatim a Deo procedere.

Hoc tamen minime negatur plurima iura efficienter sumpta a lege humana originem proxime ducere; patet enim plurimas leges ab humana procedere auctoritate, ab eaque proxime vim obligandi obtinere; solummodo affirmamus etiam leges humanas vi obligandi destitui, nisi ultimatim in lege naturali iuridica seu in iure naturali firmentur, seu nisi iuris naturalis principio nitantur, quo praecipitur obediendum esse superiori auctoritati legitimae. Hoc principium nisi a lege superiori, seu naturali, procedere admittatur, frustra aliud quoddam principium aliunde quaeritur, quo omnis legis vis firmetur.

b) Item alio modo procedi potest in demonstratione nostrae doctrinae, ius omne a Deo seu a lege naturali ultimatim procedere debere.

---

[1] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, pag. 412.

[2] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, pag. 415-422. Conferri possunt alia quoque argumenta ex theodicea et ex metaphysica quae videri possunt apud philosophos. Cathrein, *l. c.*, 413 sq.

Admitti debet ius naturale a Deo omnibus hominibus impositum, si sine ipso, fundamento caret ius quodlibet positivum. At revera sine iure naturali ius quodlibet positivum fundamento caret; ergo.

Quodlibet enim ius humanum, praecisione facta a iure ecclesiastico, a Statu originem duceret, seu a lege Status; at haec ipsa lex Status nequit concipi ut revera obligans nisi iam admittatur legitimam esse Status potestatem, quodsi non fiat, nemo legem servare tenetur. At iudicium de legitima Status potestate efformari debet independenter ab ipso Statu, quia aliter petitio principii haberetur, seu idem per idem probaretur. Admitti ergo etiam ex hoc capite debet omne ius efficienter sumptum originem ducere a lege Dei naturali homini imposita auctoritative [1].

Nec obiici hic potest obligationem obediendi legi Status oriri ex contractu quo homines in Statum uniuntur, hoc enim non solvit, sed alio transfert quaestionem; etenim iterum quaestio exsurgit, undenam oriatur obligatio servandi initum contractum qua iubemur fidem datam servare.

c) Ante omnem legem humanam habentur, ut ex intima cuiusque conscientia constat, iura subiectiva. Ita unusquisque percipit et cognoscit se ius ad suam famam possidere, ad vitam et membrorum suorum integritatem, et hoc licet lex humana ipsi hoc ius non agnosceret; immo, licet eidem expresse contradiceret. Numquid admitti poterit recte egisse Cain et nullum ius violasse cum occidit fratrem suum, licet illis temporibus nulla adhuc iura positiva condita fuissent? Numquid admitti potest nullum ius violasse herum apud paganos dum servos permissu legis positivae piscibus devorandos proiiciebat? Sunt igitur quaedam iura subiectiva quae quisque possidere cognoscit independenter a qualibet lege humana. At iura subiectiva, iura efficienter sumpta quibus firmentur supponunt. Admittenda igitur sunt iura efficienter sumpta quae ante omnem legem humanam vim suam habent a supremo hominum creatore et legislatore [2].

9. — *d*) Ad maiorem adhuc nostrae doctrinae elucidationem lubet hic praecipuas theorias de origine iurium afferre. Omnino ridiculum est philosophorum nisus spectare qui a Deo praescindentes iuri basim aliquam assignare conantur.

---

[1] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 402-405 et pag. 622-623.

[2] Hoc argumento iam utebatur Cicero contra negantes iuris naturalis *divini* originem. En eloquentissima tanti oratoris et philosophi verba: « Stultissimum, aestimare omnia iusta esse, quae scita sint populorum institutis aut legibus. Etiamne, si quae sint leges tyramnorum?... Est enim unum ius, quo devincta est hominum societas et quod lex constituit una; quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi; quam qui ignorat, is est iniustus, sive illa est scripta uspiam, sive nusquam... Quodsi populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur; ius esset latrocinari; ius adulterare; ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur ». *De Legibus*, I, 15-16.

α) Plures omnium *iurium fontem Statum* esse affirmant; ipsum vero Statum ex contractu originem duxisse. At prorsus immerito, quia iterum quaestio renascitur: cur contractui quo Status constituitur contrahentes stare tenentur? Non certe ex lege ipsius Status, quia contractui Status non praeexsistit, nec proinde leges ferre potest. Et deinde etsi leges iam antea ferre posse dicatur, iterum quaestio est: Cur teneantur homines has leges servare? Oportet igitur ultra procedatur et saltem principium aliquod admittatur quo homines iuridice ligentur ad contractus initos servandos, at hoc est ius naturale admittere, et in ipso basim et fundamentum ponere cuiusvis iuris positivi [1].

Deinde si Status omnium iurium fons esse dicatur, quaevis lex etiam absurda et quam maxime irrationabilis a Statu procedens ut iusta agnoscenda esset, quia Status voluntas ius omne conderet nec ulli homini aliquod ius independenter a Statu agnoscendum esset. At hoc omnino repugnat humanae rationi, saltem relate ad quaedam iura quae quilibet homo non a Statu sed a lege naturae etiam contra ipsum Statum se possidere persentit. Non igitur omnis iuris fons Status esse potest [2].

β) Nec item admitti potest *ex consuetudine seu usu*, qui a *conscientia quam iuridicam* vocant oritur, omne ius ultimatim originem ducere; quia usus seu consuetudo, si revera universalis est, ius supponit, non creat, et ipsa conscientia iuridica universalis non est nisi ipsum ius quod usu et consuetudine omnibus manifestatur. Ludus igitur verborum est, si dicatur ius fundari in conscientia iuridica: conscientia enim iuridica non est nisi ipsum ius naturale cuilibet homini a Deo impositum et rationis lumine per conscientiam manifestatum [3].

γ) Alii auctores ne quaestionem quidem ingrediuntur de origine iuris cum affirment, omne ius *ortum esse ex facto societatis exsistentis*, ex quo facto populus ad ius procedit et ita ius reputat id quod facto firmatum est. Isti ne quaestionem quidem ingrediuntur, remanet adhuc quaestio solvenda; undenam populus tam universaliter sibi hanc ideam efformare potest, nisi quia in ipsa rerum natura quaedam principia iuridica invenit, quae praetergredi humana ratio non potest? At hoc admittere, est admittere ius naturale a Deo unice procedens et homini impositum [4].

δ) Item rem melius non solvunt *theoria sensus harmonici*, qua ius a necessitate harmoniae quae inter homines regnare debet ortum fuisse dicitur, nec theoriae omnes quae efformari possent a iure naturali homini divinitus imposito praescindentes, quia, tandem aliquando, si nulla est lex superior quae homines ad officia adimplenda et iura aliorum servanda cogat, contra universalem hominum conscientiam, nullum ius omnino universale erit quod mutari non possit; per easdem enim causas quibus res aliqua nascitur, dissolvi potest. At sunt certe quaedam iuris efficienter sumpti principia quae mutari non posse quaelibet sana ratio docet [5].

---

[1] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, pag. 574-575.

[2] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 570-576.

[3] Cfr. ampliorem confutat. theoriae iurid. histor. apud Cathrein, *l. c.*, I, pag. 581-584.

[4] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, pag. 585-587.

[5] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 587-590 et 610-621, ubi plures obiectiones contra rectam sententiam refutantur.

10. — 2° *Origo iuris subiectivi.* - Quaestio de origine iuris subiectivi soluta est implicite in solutione quaestionis de origine iuris efficienter sumpti. Ius enim subiectivum non est nisi facultas alicui a lege recognita; ipsum igitur a lege a qua recognoscitur originem ducit directe; quoniam vero lex seu ius efficienter sumptum ultimo a lege naturali originem ducit seu a Deo legis naturalis auctore, ita et ius subiectivum ab eodem ultimo originem ducere dicendum est [1].

3° *Origo iuris obiectivi.* - Circa originem iuris obiectivi eadem omnino dici possunt quae supra de iuris subiectivi origine diximus. Ius enim obiectivum non est nisi id quod iustum est, seu id quod unicuique pertinet. At hoc seu id quod unicuique ut proprium pertinet, determinare ad ius efficienter sumptum pertinet; ergo iuris obiectivi origo eadem prorsus est ac iuris efficienter sumpti a quo ipsum determinationem accipit.

11. — II. **Iuris coactivitas.** - 1° Coactivitas est potestas moralis vim physicam adhibendi contra iuris exercitium impedientes. Coactio non est nisi exercitium ipsius coactivitatis [2].

2° *Utrum ius coactivitate gaudeat?* - Quaestio ista de iure, triplici sensu accepto, proponi potest.

a) *Coactivitas iuris efficienter sumpti.* - α) Ius efficienter sumptum *restrictive ad ius positivum humanum*, coactivitate gaudere ex ipsa eius natura et fine constat; ea enim est legis iuridicae natura isque eius finis ut sit norma ad ordinem socialem externum necessarium servandum; at iste finis plerumque ex mala hominum voluntate aut ex fragilitate obtineri non posset nisi vis ad legis exsecutionem adhiberi posset. Patet igitur legem humanam iuridicam seu ius humanum efficienter sumptum coactivitate necessario gaudere debere, ne inutile evadat, eiusque finis frustretur.

Iste autem finis seu ordo in societate necessario servandus, sicut coactivitatis seu coercitionis adhibendae ultima ratio est, ita etiam eiusdem usum moderatur. Coerceri igitur poterit legis seu iuris humani adimpletio, at huiusmodi coercitio ad ea solummodo media restringenda est quae ad ordinem socialem externum obtinendum et servandum necessaria sunt [3].

---

[1] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 569.

Procedi aliter etiam posset ad demonstrandum dari iura subiectiva independentia a lege humana et directe cuilibet homini a lege naturali concessa, at non est nostrum hic omnia videre quae in his quaestionibus considerari possent. Videri praeter alios potest Macksey, *l. c.*, pag. 251-258.

[2] Cfr. Macksey, *l. c.*, 260-261.

[3] Cathrein, *l. c.*, 562-563; Macksey, *l. c.*, 263-264; Hergenröther-Hollweck, *l. c.*, 2, pag. 4.

Lex vero iuridica naturalis seu ius efficienter sumptum naturale coactione, non coactivitate destitui per accidens potest; at ei coactio in societate bene ordinata concedenda est a iure humano positivo, quoties id necessarium sit ad finem societatis obtinendum; nec per hoc cessat ius naturale esse tale, quia coactio ei accedit ut secundaria proprietas ad ipsum complendum, et ius non mutat naturam ex accedente sibi promulgatione humana. Alii tamen simplicius docent ius naturale coactivitate destitui [1].

β) Non eo usque tamen est extendenda iuris etiam humani necessaria coactivitas ut eiusdem essentialis proprietas esse dicatur, sed solummodo ut proprietas secundaria et integralis est agnoscenda.

Nec enim iuris efficienter sumpti essentia in coactivitate, sed in vi eiusdem obligandi subditos consistit, quae obligandi vis a coactivitate independens est, eique praeexsistit, quod etiam ex hoc patet quod finis legis iuridicae obtineri potest et quandoque revera obtinetur sine ulla externa coactivitate et coactione. Quae, cum ita sint, clare patet coactivitatem esse quidem proprietatem legis humanae iuridicae, non tamen essentialem, ita ut sine ipsa lex iuridica haberi non possit. Quod etiam ex hoc manifestum est quod alioquin dicendum esset nullam iniuriam fieri posse illi qui de facto ex sua debilitate omni coactione semper caret. Nec item ex eo quod quis vi physica seu coactione gaudet, ius quidquid vult faciendi acquirit, ut sana dictat ratio. Nequit igitur admitti actualem possibilitatem seu potentiam coercitionis adhibendae ad iuris efficienter sumpti essentiam pertinere [2].

γ) Ex his iam sequitur differentiam inter legem iuridicam et alias leges morales non esse repetendam ex eo quod *illa*, non *istae*, coactivitate gaudeant, sed solum ex eo quod leges iuridicae seu ius efficienter sumptum relationibus hominum inter se, et leges stricte et exclusive morales relationibus hominum ad seipsos et ad Deum moderentur. Ex hoc item sequitur legem naturalem ius naturale proprie et stricte vocari ex ea tantum parte qua relationes hominum inter se ordinat [3].

12. — *b*) *Coactivitas iuris obiectivi.* - De iuris obiectivi coactivitate quaestio specialis fieri non potest. Aut enim ius obiectivum cum iure efficienter sumpto a quo determinatur, confunditur, aut

---

[1] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 565 et 643.

[2] Cathrein, *l. c.*, 562-565.

[3] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 562-565. Cfr. tamen circa haec quae dicuntur supra n. 2, et in notis.

cum iure subiectivo; ius enim obiectivum est aliquid abstractum, et dum fit concretum seu ad praxim reducitur, ius subiectivum fit. Circa igitur iuris obiectivi coactivitatem ea valent quae de iure efficienter sumpto diximus et quae de iuris subiectivi coactivitate dicemus.

13. — *c*) *Coactivitas iuris subiectivi.* - *α*) Certe coactivitate gaudet *ius subiectivum iustitiae commutativae* correspondens, ut ex ipsa eius notione constat. Ius enim subiectivum iustitiae commutativae correspondens est facultas seu potestas moralis inviolabilis quam quisque in suis rebus adhibendis habet; at potestas moralis inviolabilis non esset, nisi iure vis seu coactionis adhibendae contra iniustos aggressores gauderet. Patet ergo ius subiectivum iustitiae commutativae coactivitate gaudere.

Si quaeratur tamen cuinam competat ius coactivitatis seu vis adhibendae ad ius subiectivum iustitiae commutativae defendendum, respondemus id in abstracto ipsi personae individuae quae iuris subiectum est, pertinere; si vero illa persona ut membrum societatis consideretur, ut revera est, non eidem sed societatis auctoritati agnoscendum esse, exceptis casibus in quibus iuris subiectivi defensio ita urgeat ut recursus ad auctoritatem impossibilis sit ad iuris necessariam tuitionem; tunc enim unusquisque per se, eo meliori quo fieri potest modo, coactivitate ad suum ius defendendum uti potest servato moderamine, quia aliter ius inutile evaderet. Aliis vero in casibus id fieri non posse patet ex eo quod aliter fortioris ius semper praevaleret, cum homines generatim ad hoc tendant ut sua iura subiectiva exaggerent.

Attamen, sicut supra de iure efficienter sumpto diximus, ita et nunc de iure subiectivo adnotamus non eo usque esse extendendam necessitatem coactivitatis iuris, ut ipsius essentialis proprietas esse dicatur; etenim iuris essentia est in potestate morali a lege concessa; potestas autem moralis, quae ius in sua essentia constituit [1], non est coactivitas, licet coactivitate defendenda sit, ut sit inviolabilis. Alioquin dicendum esset iura nulla illi agnoscenda esse, qui vi physica ad ea tuenda careret. Quis autem affirmaverit fures, homicidas, mercedum fraudatores et ceteri huiusmodi delictorum rei nulla iura violare in his delictis committendis, quia vi physica ad sua delicta committenda prae suis victimis gaudent? [2].

β) *Ius subiectivum iustitiae legali* correspondens coactivitate gaudet quae iuris efficienter sumpti propria est; nec enim ulla est ratio, ad iuris legalis inviolabilitatem servandam, denegandi iuri subiectivo coactivitatis exercitium; immo ratio habetur eam ipsi

---

[1] Cfr. tamen supra n. 11, 1°.

[2] Cfr. Cathrein, *l. c.*, 566-568; Macksey, *l. c.*, 258-266.

concedendi, si enim societas coactivitate uti non posset, saepe saepius media ad finem societatis seu ad bonum commune a singulis obtinere frustra conaretur. Exercitium vero coactivitatis in casu ad eum qui boni communis curam habet pertinet, cuius est bonum totius societatis curare [1].

γ) *Ius vero iustitiae distributivae* correspondens, coactivitate gaudere nequit, quia admitti nequit singula societatis membra contra auctoritatem vi uti posse, alioquin iam actum esset de pace et ordine in ipsa societate. Deinde ratio concedendi coactivitatem iuri est bonum commune societatis; at idem bonum commune iuri iustitiae distributivae coactivitatem abiudicat, quia ratio boni communis et ordinis publici prohibet singulis vim adhibere contra superiorem. Excipe tamen casum in quo Status civilis auctoritas, quae nec infallibilis nec indefectibilis est, subiective in tyramnidem degeneret [2].

Ex hoc etiam patet quam irrationabiliter coactivitas a quibusdam cuilibet iuri essentialis atque integralis proprietas esse dicatur [3].

14. — De iurium limitatione et collisione.

1° *Iurium limitatio.* - Iurium limitatio est coarctatio et restrictio eorundem exercitii, iuribus ipsis permanentibus. Haec limitatio ea lege fit seu determinatur, ex qua ius ipsum ortum est. Potest autem haec limitatio ex officio morali seu pure ethico, aut ex officio iuridico oriri; si primum, iuris exercitium, limitatione non obstante, illicitum erit, et illud exercens contra legem ethicam peccabit; si alterum verificetur, iuris exercitium, limitatione non obstante, erit iniustum, et illud exercens contra iustitiam peccabit et quandoque etiam invalidum actum ponet si nempe invaliditatis actus capax est. Ea lege, seu eo iure efficienter sumpto limitari iura subiectiva, a quo nata sunt, ex ipsa iuris subiectivi natura constat. Quid sunt enim iura subiectiva nisi facultates morales inviolabiles a lege concessae? Is autem qui aliquid concedit, aliquo modo determinet oportet id quod concedit; hoc vero est iura limitare, scilicet determinare ad quos casus extendatur eorum usus, ad quos extendi nequeat. - Deinde si legislator iura sine limitatione concederet, necessario aliquando vera iurium contradictio in societate haberetur; quae tamen certo modo repugnat; cum enim omne ius a lege aeterna Dei promanare viderimus, dicendum esset

---

[1] Cfr. Cathrein, *l. c.*, I, 565.
[2] Cfr. infra n. 25, 1°.
[3] Cathrein, *l. c.*, I, 565.

legem illam contradictoria praecipere posse, quod blasphemum est dicere.

Ex ipsa igitur iuris notione, iurium limitatio suadetur [1].

15. — 2° *Iurium collisio.* - Iurium collisio non est nisi duorum vel plurium iurium subiectivorum oppositio, ita ut ea exerceri nequeant.

Patet ex ipsa iuris notione iurium veram collisionem dari non posse, quia talis realis collisio legem a qua iura originem trahunt contradictoria praecipere posse supponeret, quod nemo repugnare non videt. Potest tamen haberi apparens iurium collisio.

Huiusmodi autem apparentis collisionis triplex casus effingi potest, nempe:

a) Si duae personae in idem obiectum idem ius se habere aeque contendant, alterutrius tamen in illud obiectum ius numquam fuit; e. g. si fur pariter et dominus rem aliquam sibi vindicent.

b) Si ex duobus veris iuribus in idem pariter obiectum, alterum iam exstinctum sit ut alteri locum daret; e. g. si dominus rem emptori vendidit et hoc non obstante uterque in rem venditam iura praetendat.

c) Si duo iura de facto, etiam in praesentiarum revera exsistant, eorum tamen exercitium simultaneum haberi nequeat. In hoc solo tertio casu aliqua habetur difficultas; in duobus enim prioribus casibus nulla est difficultas, quia revera unicum ius exsistit, admitti debet alterum ius in suo exercitio cessare debere. Hoc autem affirmare idem est ac dicere: in hoc casu alterutrum ius alteri praevalere. Quodnam autem praevalebit? Certe praevalentia iuri praestantiori seu validiori prae altero concedenda est; ius enim validius eo ipso quod validius est potiorem quam alterum rationem exsistendi habet.

Determinare autem quodnam ius validius est, officium est legislatoris, praesertim si duo iura ab eodem legislatore originem proximam ducant; quod si legislator id non determinaverit, aut duo iura a lege diversa orta sint, nec, dubio permanente, aliud medium rem clarificandi habeatur, tunc ad videndum quodnam ius validius sit, et proinde praevaleat, attendendum est ad principium, finem, terminum, titulum et subiectum iurium inter se collidentium. Igitur:

α) Quo altior (ratione principii) est auctoritas legislatoris, eo potius est ius; ita ius naturale cuilibet iuri positivo praevalet.

β) Quo altior est finis (ratione finis) eo validius est ius. Ita ius ad media pro salute animae iuri ad media pro salute corporis praevalet.

γ) Quo altior et magis necessaria est materia iuris (ratione materiae) eo validius est ius. Ita ius ad vitam cuilibet iuri ad pecuniam praevalet.

δ) Quo altior dignitas subiecti iuris (ratione subiecti) eo validius est ius. Ita ius communitatis iuri individuali praevalet.

---

[1] Cfr. Macksey, *l. c.*, pag. 267-270.

ε) Quo firmior titulus iuris, eo validius ius. Ita ius congenitum iuri acquisito praevalet (ratione tituli).

Haec autem omnia valent si iura circa omnia alia paria sint; ita ut ex duobus iuribus omnino paribus ratione principii, prius, materiae, subiecti etc., illud praevalere debeat quod una saltem ratione aliis validius est.

Et haec innuisse sufficiat circa iurium notionem, divisionem et originem. Qui plura desiderat, philosophos adeat et praesertim Macksey, *l. c.* pag. 246 sq. ex quo ista excerpta sunt et qui optime de his agit.

§ 3. — *De notione, divisione et natura societatis.*

16. — I. Societatis notio. - Sicut supra vocem *iuris* explanare coepimus, ita nunc vocem *societatis.*

Est igitur societas *unio stabilis plurium hominum sub eadem auctoritate ad unum finem communem conspirantium* [1]. Vel *stabilis unio moralis plurium ad bonum commune cooperatione attingendum* [2].

His duobus definitionibus omnes aliae ab auctoribus afferri solitae, si non verbis, sensu saltem consonant. Aliqui tamen auctores statim ab exordio duplicem distinguentes societatem *amicalem* nempe et *iuridicam*, hanc alteram ita definiunt: *Hominum unio ad eundem finem communibus mediis consequendum, iuris vinculo colligatorum.* Quae verba *iuris vinculo* [3] *colligatorum* non id iam operantur, ut societas necessaria sit, sed id operantur ut socii postquam inierunt societatem, obligati sint; ingredi autem in illam societatem liberum esse potest. Societas mere amicalis est quae ex mero affectu et initur et servatur [4].

Cum de societate mere amicali nobis sermo non occurrat, nos hanc alteram societatis nempe iuridicae notionem adoptamus.

Ex quibus colligitur ad societatem aliquam constituendam quatuor elementa concurrere, scilicet: *pluralitatem hominum* ut causam materialem societatis; *vinculum sociale* ut causam formalem; *bonum commune*, ut causam finalem; *ipsos homines* et *legem* aut *pactum* ex quibus obligationis vinculum oritur ut causam efficientem [5].

---

[1] Farges, *Philosophia scholast.*, t. 2, part. 2, n. 100.

[2] Macksey, *l. c.*, pag. 413.

[3] Omnis societas legitime constituta est persona moralis seu iuris subiectum. Ad hoc autem ut iuris subiectum sit requiritur ut legitima sit societas seu ut a lege aliqua vel praecipiatur vel approbetur et ut subiectum iuris recognoscatur. Societates autem iuris naturalis necessariae aut etiam necessariae ex iure positivo divino per se hanc personalitatem moralem habent (Cfr. cc. 99, 100; Solieri, *Institutiones iuris ecclesiastici* (1921) n. 20; Chelodi, *l. c.*, 15. Cathrein, *l. c.* II, 414. Nos tamen de personalitate morali hic non agimus quia melius de ea sermo in *Institutionibus can.* occurret.

[4] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 40 sq.

[5] Macksey, *l. c.*, 413 sq. Cathrein tria elementa essentialia cuilibet societati enumerat: *personarum pluralitatem, finem communem, unionem ad eumdem finem ordinatam;* atque affirmat formaliter constitui societatem *pluralitate* et *unione, finem* vero non esse elementum intrinsecum, licet ad quamlibet societatem constituendam requiratur; Cathrein, *l. c.* II, 414.

Finis seu bonum commune elementum aliis excellentius est, quia ab ipso omnia alia in societate pendent. Ex fine societates specificantur: etenim in omni societate alia elementa plus minusve paria sunt; finis vero alius est pro varietate societatum. Ex fine metitur status iuridicus societatis; an sit necessaria, an sit superior etc. Item ex fine dimetitur ius societatis ad operandum, seu ad media determinata adhibenda. Ita e. g. si medium adhibendum in societate aliqua libera assecutioni finis societatis necessariae noceat, illo uti nefas est.

Praeter haec quae veluti elementa societatis constitutiva considerari possunt, necessario agnoscenda est in qualibet societate auctoritas quae est *ius obligandi socios in ordine ad finis socialis assecutionem* [1].

Quae necessaria est ad media in finem obtinendum ordinanda et vinculum sociale efficax reddendum; si enim cuilibet ius media, quae maluerit, adhibendi concedatur, finis assecutio impossibilis evadet [2].

17. — II. **Divisio societatum.** - Societates diducuntur:

1° *Ratione originis:*

a) In *naturalem* seu *necessariam*, quae a lege naturali praecipitur et in qua iura, media, finis essentialis etc., a lege naturali praecipiuntur, nec ea mutare fas est. Potest autem societas aliqua esse a iure naturali praecepta, determinatio vero iuridica ad exsistentiam in concreto ex aliquo facto humano provenire, e. g. ex consensu hominum seu sociorum. Hic tamen consensus, de se liber, a lege aliqua positiva divina restringi poterit, ut de Ecclesia, quae societas est supernaturalis, factum fuisse videbimus.

b) In *conventionalem* seu *liberam* in qua omnia a libera sociorum conventione pendent [3].

2° *Ratione auctoritatis:*

a) In *aequalem* in qua omnis auctoritas est in subditis seu in sociis simul sumptis; quod omnium consensum ad auctoritatis exercitium supponit; consensus autem huiusmodi actualis, si omnes de facto consentiant, vel artificialis, si omnes consentiant in id quod pars determinata sociorum determinat, esse potest.

b) In *inaequalem* in qua omnis auctoritas residet in una vel in determinatis personis, aliis exclusis. Huiusmodi, est, ut videbimus, ex iure positivo divino ecclesia christiana.

3° *Ratione perfectionis* intrinsecae:

a) In *perfectam* quae finem perfectum, seu in suo genere

---

[1] « Non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum compulsione ». Encycl. « *Immortale Dei* » Leon. XIII, 1 Nov. 1885.

[2] Cathrein, *l. c.* II, 415-416.

[3] Macksey, *l. c.*, 414; Cavagnis, *l. c.*, 41 et sq.

summum, et media omnia sufficientia [1] ad suum finem attingendum in se, sive *realiter* sive *virtualiter*, habet.

Haec societas igitur ad aliam superiorem non ordinatur tanquam in suum complementum et perfectionem, in qua sola scilicet, suum integrum finem efficaciter adipisci potest. *Realiter* in se habere dicitur societas illud medium quod non ab alia societate exigere debet, sed tantum ab individuis suis membris ad suum finem sive electione propria sive secundum praeceptum legis naturalis cooperantibus: *virtualiter* pariter habere dicitur medium aliquod, quando non in se habet, sed ius possidet exigendi illud per imperium ab aliis societatibus, quae sunt inferiores, saltem in quantum ad hoc, ut teneantur tale medium praebere.

b) In *imperfectam* quae neque realiter nec virtualiter in se habet omnia media requisita ad suum finem integrum attingendum, et proinde ab alia societate superiore pendet, quam ingredi debet, ut ab ea obtineat media sibi deficientia.

Huiusmodi ergo societas ad altiorem societatem tanquam ad complementum et perfectionem sui, natura sua, ordinatur: habet quidem ius exigendi (*sed non per imperium*) ex altiore societate ea media quae dum inserviunt ab bonum commune altioris societatis simul sunt requisita ad sufficientiam in ordine ad suum proprium bonum commune; ius illud non dicit iurisdictionem sicut dicit ubi societas exigens habet ipsa virtualiter medium, sed est ius connotans in altiore societate officium, ex lege naturali vel positiva, ut medium aliquod inferiori concedatur [2].

Hoc sensu intellecta societas perfecta duplex haberi potest, civilis nempe et religiosa, quia ultimatim omnes aliae societates earumque fines finibus istarum duarum subordinantur et media ab iisdem mutuantur [3].

4° *Ratione mutuae relationis:*

a) In *coordinatas* quae, nempe, inter se independentes sunt,

---

[1] Societas perfecta proinde absoluta independentia gaudeat oportet; haec independentia vocatur *imperium* seu *principatus;* moderni vero iuristae eam (*sovranità*) seu (*souveraineté*) superioritatem appellant, quae superioritas *interna* vocatur relate ab subditos, *externa* relate ad extraneos. (Cfr. Chelodi, *l. c.*, 15; Chas. Augustine, *A Commentary on the new Code of canon law*, I[4], pag. 188 sq.).

[2] Macksey, *l. c.*, 415-416 sq.

Et haec quidem divisio societatis est maximi momenti et omnino retinenda. Explicationem ex cl. Macksey supra relatam optime hanc distinctionem exponere puto: addo tamen hic aliam explicationem P. Hurter (*Compendium theologiae*, vol I. n. 215). Societas perfecta ita a Hurter describitur:

Societas perfecta est illa « quae neque est pars alterius societatis, neque alteri societati ita subordinatur, ut in ea habeat suum finem, sed est sua sibi, independens, autonoma, in se completa adeoque media ad suum finem sufficientia in semetipsa habet ». Quae notio societatis perfectae si non verbis, sensu saltem cum illa P. Macksey convenit.

[3] Cfr. etiam Rivet, *Quaestiones iuris publici eccles.* pag. 15, Romae, 1912; Chelodi, *l. c.*, 15-16.

ita, e. g., varii Status in individuo considerati, aut etiam variae societates religiosae in hypothesi iuris naturae purae exsistentes.

b) In *subordinatas* quarum altera ab altera pendet. Subordinatio autem potest esse stricte dicta aut minus stricta. Illa habetur cum finis utrarumque societatum est idem, ita ut finis unius sit medium ad finem alterius, e. g. in statu civili exercitus. Haec subordinatio habetur inter plures societates quae ex se sunt perfectae at ad maiorem commoditatem inter se uniuntur, ita e. g. societates civiles perfectae inter se unitae ut in Helvetia aut in Statibus foederatis Americae. Aliae partitiones omittuntur quia ad rem nostram non faciunt.

18. — III. **De necessitate auctoritatis in societate.** - Ex variis definitionibus societatis supra relatis clare apparet dupliciter considerari, iuxta varias scholas, auctoritatem in societate. Cavagnis [1], enim cum antiquis scholasticis auctoritatem inhaerere societati docet, sicut formam societatis, ita ut sine ipsa ne societas quidem exsistere possit, sicut sine forma nequit exsistere materia in systemate scholasticorum de constitutione corporum.

Moderniores autem auctoritatem essentialem proprietatem seu *accidens proprium* societatis non eiusdem formale principium esse docent. Ad rem cl. Macksey: « Re quidem vera termini materiae et formae a corpore physico ad ens aliquod morale transferuntur analogice tantum. Secundum hanc analogiam forma erit illud elementum quod superveniens materiae societatis seu pluralitati hominum ipsam determinat ut sit moraliter et iuridice societas. Iam vero auctoritas nulla est nisi vim obligandi membra habeat, non autem habet vim obligandi membra nisi in quantum sunt membra seu socii, non autem sunt socii nisi supponatur hominum pluralitas iam esse formaliter determinata in societatem: unde auctoritas socialis supervenit societati iam formaliter constitutae, et quidem necessario... unde induit rationem accidentis proprii. Recentiores scholastici magis minusve communiter assignant tanquam societatis formam unitatem voluntatum plurium in eumdem finem communem cooperatione obtinendum » [2].

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, 84.

[2] Macksey, *l. c.*, pag. 419; Chelodi, *l. c.*, 14, a; Solieri, *l. c.*, n. 68.

Quibus tamen minime asseritur haberi posse aliquam societatem sine auctoritate; hoc enim repugnaret, et ipse Macksey, *l. c.*, pag. 416, hanc statuit thesim: « Cuivis societati humanae necessarium est ut in ea sit auctoritas socialis ».

§ 4. — *Origo, quantitas et subiectum auctoritatis socialis in genere.*

19. — I. Origo auctoritatis socialis. - Quaeri hic potest undenam in aliqua societate oriatur auctoritas et quanta sit ipsa auctoritas.

Non immerito hae quaestiones simul proponuntur, quia utraque est colligata, ita ut unius solutio a solutione alterius pendeat.

Aut enim auctoritas ab ipsis sociis oritur, aut ab extra; si ab ipsis sociis oriatur, tanta erit quanta a singulis sociis possidetur, si ab extra, maior esse poterit. Sit igitur primo quaestio de origine auctoritatis.

Ad quaestionem autem hanc solvendam distinctione opus est; varia enim est origo auctoritatis pro varietate societatum. Immo tota ista quaestio in solutione a natura societatis pendet, et ita ut, si societas aliqua est necessaria, ex iure naturali aut positivo, auctoritas ipsius ab illo iure [1] originem ducit quod societatem illam necessariam reddidit; si vero societas libera seu voluntaria est, eiusdem auctoritas ex pacto quo singuli socii sese ligaverunt originem ducit, licet utique ultimatim sicut omne ius a lege aeterna Dei originem trahat.

Hic tamen notandum est, ex eo quod aliqua societas est necessaria quia a Deo praecepta et proinde eius auctoritas immediate a Deo est, non necessario sequi distributionem potestatis seu auctoritatis esse pariter a Deo, etenim auctoritatem aliquam a Deo provenire, « significat Deum esse causam illius ». Dupliciter autem potest aliquis effectus dici immediate productus a Deo, nempe tanquam a causa prima aut tanquam a causa proxima. Nos affirmamus Deum conferre auctoritatem societati necessariae ex iure naturae sine interventu causae secundae, et quidem non per specialem actum supernaturalem, sed tanquam auctorem naturae per connaturalem consequentiam ex lege naturali [2].

Ex his iam sequitur socios in societate necessaria, sive illa ex iure naturae sive ex iure positivo divino necessaria est, non posse aucto-

---

[1] « Quoniam... efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura, proptereaque a Deo ipso oriatur auctore. Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecunque sunt, necesse est; ita ut quicunque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas*, nisi a Deo ». Encycl. « *Immortale Dei* » Leon. XIII, 1 Nov. 1885.

[2] Cfr. Macksey, *l. c.*, pag. 513 sq.

ritatis naturam mutare, aut a fortiori ipsam auctoritatem a societate auferre, quia auctoritas in his casibus, a Deo, non a societate est [1].

Et haec sufficere videntur de origine auctoritatis in societate in genere.

20. — II. Quantitas auctoritatis in societate in genere.

Primo quaerere possumus quanta sit auctoritas societatis relate ad socios, seu subditos in genere, seu aliis verbis, utrum auctoritas huiusmodi sit aliquid supra iura sociorum, an sit tantummodo eorundem iurium cumulatio? Quaestioni hoc modo propositae respondendum est cum distinctione supra relata ubi de origine auctoritatis.

a) In societate enim necessaria, in qua proinde auctoritas ab eo qui societatem necessariam reddidit, originem habet; auctoritas ipsa tanta erit quanta ab eo qui societatem necessariam reddidit, concessa est. Is vero societati ea saltem quae cuilibet societati necessariae opus sunt, dedisse putandum est, si aliud criterium desit; si vero aliquid clarius manifestavit sua positiva declaratione, tunc illi declarationi standum est. Ita cum Deus nihil positive statuerit circa quantitatem auctoritatis societati civili datae istius auctoritatis quantitas ex iis quae cuilibet societati necessariae et perfectae necessaria sunt dimetienda est; e contra cum circa Ecclesiam Deus plura positive determinaverit, positivae huic determinationi standum pariter erit. Ita etiam apud hebraeos quando theocratia viguit [2].

b) In societate autem libera ex natura sua tanta erit auctoritas quanta est summa iurium in sociis simul sumptis; seu societas in eum tantum finem tendere et iis tantum mediis uti potest quibus singulis sociis uti fas fuisset. Tamen quia unione singuli socii perficiuntur; et ampliantur ipsorum media ex mutua communicatione, et adiutorio, persona moralis exsurget et est de facto perfectior omnibus sociis distributive sumptis, ideoque eius ius est accidentaliter melius; dico *accidentaliter*, quia est in eadem specie, ita ius commercii est specie idem in individuo et in societate, quamvis ex societate in meliorem statum devenerit singulorum ius, ac ideo melius factum sit. Sed in omnibus distributive continetur potentialiter ius omnium collective sumptorum, quia est in eorum potestate. Attamen, ut supra diximus, haec valent de quantitate auctoritatis in societate libera seu voluntaria ex se et natura sua; societas autem superior seu perfecta huiusmodi societati alia iura seu privilegia con-

---

[1] Cfr. Macksey, *l. c.*, 525.

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, 66 sq. et 85.

cedere potest, quae eidem maiorem auctoritatem tribuant, et tunc quantitas auctoritatis socialis ex facta concessione dimetienda est. Et hoc generatim fit in omnibus societatibus quae iure positivo utuntur, ut sunt fere omnes societates commerciales apud nos ut in regionibus civilibus [1].

21. — III. De quantitate auctoritatis in specie. - Quaestio ista ita proponi potest: Quid potest concrete societas aliqua in suos socios. Responsionem damus primo pro societatibus perfectis, dein pro societatibus imperfectis.

1° *In societate perfecta.* - Quantitas auctoritatis in societate perfecta ab auctoribus passim quatuor sequentibus propositionibus circumscribi solet:

a) Quae sunt necessaria vel utilia ad finem plene consequendum, societas perfecta a sociis exigere iure potest.

Non solum perfectam, sed et quamlibet societatem posse exigere a sociis quae ad finem consequendum necessaria sunt, clarius sole patet. Aut enim societas aliqua ius ad exsistentiam habet et tunc ipsa eius exsistentia ius ad media adhibenda quae fini consequendo necessaria sunt supponit; aut ius ad exsistentiam non habet et tunc utique nec mediis necessariis uti potest quia nec finis licitus supponitur.

Media vero utilia posse a sociis societatem exigere ex eo patet quod ut saepe saepius accidit, ad finem aliquem obtinendum plura media idonea habentur, et, si unicuique sociorum libertas in seligendo quolibet ex iis mediis linqueretur, finis societatis ne obtineri quidem posset, aut saltem non plene obtineri posset, quia varia media apta seu utilia, at non necessaria, inter se opponi possunt; ex quo fit ut media quae abstracte considerata necessaria non sunt, necessaria fiant in concreto.

b) Quae non sunt necessaria aut utilia ad finem exigere societas non potest.

Ratio huius principii est quia socii societatem efformant et societatis auctoritati subduntur ut eiusdem finem consequantur; at, in casu, ut supponimus, agitur de rebus quae ad finem nec necessitatis nec utilitatis rationem habent; ergo ea exigere non potest societas.

Notat hoc loco Cavagnis [2] per accidens socios teneri ad ea etiam quae fini consequendo nec utilia nec necessaria sunt, si nempe haec duo concurrant: primo res praecepta non sit illicita; secundo ratio gravis adsit,

---

[1] Ideo etiam fit ut quaelibet societas sit aliquo modo persona moralis seu iuris subiectum; quia quaelibet iuridica societas suis sociis iura quaedam tribuit, saltem ea quae ex singulorum cumulo provenit. Haec vero personalitas iuridica in iure positivo ecclesiastico non attenditur et proinde illa societas, *non persona moralis, sed persona collectiva* vocatur; accedente personae collectivae positiva societatis perfectae recognitione persona collectiva fit persona moralis.

[2] *l. c.*, n. 75.

eam exigendi a sociis e. g. ad maiora mala vitanda, ad impedimenta removenda etc.; at, ut videtur, in casu illa res de se inutilis, talis esse cessat et fit utilis aut etiam forte necessaria et tunc in primam propositionem, de qua supra, reincidimus.

c) Quae sunt necessaria aut utilia, sed pertinent ad ordinem quendam superiorem, ea per se ordinare et determinare non valet (societas).

Hoc principium admittit hypothesim rei pertinentis ad societatem superiorem necessariae ad societatem inferiorem. Haec autem hypothesis, si de vera iurium contradictione, et sermo sit de societatibus perfectis necessariis, impossibilis est; vera tamen et possibilis esse potest si de iurium contradictione apparenti etiam in societatibus perfectis, aut etiam de iurium vera contradictione in aliis tamen societatibus imperfectis sermo sit.

In omni casu valet certe principium quo superiori cedere debeat societas inferior; quia societatis superioris finis magis necessarius supponitur quam inferioris. Et inter varias res incompossibiles ea eligenda est quae magis necessaria. In casu autem, inferioris societatis ius nullum est, et, si sine illo iure nec societas exsistere possit, etiam ius ad exsistentiam ei negandum esset.

d) Quae sunt alicui societati necessaria aut utilia etsi ad ordinem superiorem pertinent, si a competenti superiori auctoritate determinata sint, iure possunt etiam ab inferiori auctoritate urgeri.

Hoc quartum principium valet praesertim pro societatibus perfectis necessariis ex iure naturae aut ex iure positivo divino quae sua iura exercent erga eosdem subditos, ut sunt societas religiosa et societas civilis.

Si societas civilis, aliqua quae ad societatem religiosam pertinent ut e. g. instructionem religiosam in scholis suis tradendam aut templorum exstructionem etc., quae exclusive competentiae auctoritatis religiosae sunt, sibi necessaria aut utilia esse putet, poterit utique, id quod superiore auctoritate determinatum sit, urgere pro exsecutione a suis subditis; attamen « in his urgendis non debet modum superiore auctoritate permissum excedere; cavere enim debet ne, dum urget media ordinis superioris pro consecutione sui finis inferioris, noceat ipsi superiori fini, media urgendo eo modo qui superiori non convenit, iudicio competentis auctoritatis » [1].

2° *In societatibus autem imperfectis*, circa quantitatem auctoritatis eadem valent principia, proportione servata. « Omnes enim societates iuridicae iure exigunt a suis quae ad proprium finem necessaria sunt, salvo ordine finium, sed societates perfectae ea exigunt independenter, imperfectae dependenter a sua maiori ideoque salvis iis quae eidem reservata sunt » [2].

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 70 et sq.
[2] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 78.

22. — IV. **Partitio auctoritatis socialis.** - 1° *In societatibus perfectis.* Quantitas auctoritatis socialis potest considerari ut unum aliquod necessarium ad finem societatis consequendum; at, sicut in qualibet unitate possunt partes considerari, ita et in auctoritate, quae partes inter se distinctae simul sumptae totam auctoritatem integrant, unde et partes integrantes vocantur. Quae partitio auctoritatis in societate ex eo etiam necessaria fuit, quia saepe in societate eadem persona non potest simul totum auctoritatis exercitium in se retinere. Partitio autem communius ab auctoribus admissa totam auctoritatem in tres partes diducit, nempe in potestatem *legislativam, iudicialem* et *exsecutivam* [1]. De his quaedam per partes:

a) *Potestas legifera* ea pars publicae auctoritatis societatis perfectae dicitur quae societati legitime constitutae normam obligatorie servandam in assecutione finis seu boni communis praebet.

Quousque sese extendat potestas huiusmodi in societate perfecta, ex iis quae supra diximus ubi de quantitate potestatis loquuti sumus, diiudicandum est: hoc autem iudicium concretum aliquo modo sit oportet, idest rationem habeat temporis, loci et aliarum sociorum seu societatis conditionum. Cuinam autem potestas legifera competat ex iis quae alibi dicimus de subiecto auctoritatis in societate perfecta iudicandum est.

Quaestiones vero particulares circa naturam legis, eius qualitates, eiusque promulgationem etc., iuri privato remittimus.

b) *Potestas iudicialis* est ea pars auctoritatis in societate perfecta quae iura controversa in casibus particularibus dirimit et iura laesa, seu delicta, auctoritative declarat ad poenam infligendam.

Dicuntur autem iura controversa in individuo seu in casibus particularibus a potestate iudiciali declarari auctoritative ut potestas iudicialis a legifera distinguatur; declaratio enim generalis iuris controversi quae sine ullo iudicis ministerio fit, non a potestate iudiciali, sed a potestate legifera fieri debet; ex quo fit ut iura a iudice dirempta seu declarata nonnisi individuos pro quibus dirempta sunt obligent. Attamen aliquando fieri potest ut etiam alios per accidens ligent.

Diducitur autem potestas iudicialis in *iudicialem civilem* et *iudicialem criminalem;* illa iura simpliciter violata declarat, haec de delictis proprie dictis, quae ordinem publicum turbant, iudicat.

---

[1] Codex iuris canonici. incidenter, c. 335 § 1 potestatem seu auctoritatem Episcoporum diducit in *legislativam, iudiciariam* et *coactivam.* Ex hoc tamen reprobari a iure canonico non videtur distinctio in textu hoc loco et infra n. 61 relata: immo ex doctrina praesertim et praxi Curiae Romanae nostra partitio firmari videtur.

Quae ad subiectum, extensionem etc., huiusmodi potestatis pertinent, ex generalibus principiis diiudicanda sunt, et suis locis melius videbimus.

c) *Potestas exsecutiva* est ea pars auctoritatis socialis quae legum aut sententiarum iudicialium exsecutionem auctoritative seu publice curat.

Haec autem ipsa potestas subdividi potest: in *gubernativam* quae est potestas socios seu subditos regendi: in *administrativam* quae est potestas curandi seu administrandi bona societatis; et in *coactivam* quae est potestas vim physicam adhibendi in socios ad finem consequendum, poenis a lege statutis et a iudice applicatis.

Societati perfectae hanc exsecutivam competere potestatem ex eo patet quod aliter saepe saepius finis societatis obtineri non posset; etenim leges et sententiae saepe inutiles evaderent si nemo earum exsecutionem curaret. Divisionem potestatis exsecutivae non omnes admittunt.

Hoc item notari praestat ad coactivam potestatem exclusive spectare legum et sententiarum exsecutionem per vim faciendam. Vis autem dicitur physica sive est materialis sive spiritualis, dummodo externa et socialis sit — hoc sensu physicum opponitur morali non spirituali.

Ambitum potestatis exsecutivae, eius obiectum et subiectum etc. alibi melius videbimus [1].

Istarum potestatum exercitium in societate perfecta tum religiosa tum civili implicat exercitium potestatis stricte dictae iurisdictionalis, quae a potestate domestica distinguitur [2].

23. — Scholion. - Quaeri hic potest quis sit finis coactionis praesertim circa poenas infligendas.

Innumera fere sunt systemata poenalia a philosophis excogitata; horum summa ad tres classes reduci possunt:

1° Systemata *absoluta*. - *a*) Quorum quaedam docent poenam iustificari qua *imperativum categoricum;* seu nunquam ad aliorum bonum promovendum sed unice imponi potest quia reus delictum commisit. Ideo iusta poena est poena talionis [3].

b) Alii, ut Hegel, poenarum inflictionem ex eo iustificari docent, quod per ipsam delicta removentur, seu aliis verbis, quia poena est *negatio negationis* (delicti nempe) *et iuris reintegratio* [4].

c) Alii (ut Herbart) poenas iustificant *ex displicentia quam homo na-*

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, 96 sq. et 113 sq.; Rivet, *l. c.*, 26; et hoc vol. infra n. 61.

[2] Circa quae cfr. Reiffenstuel, *Ius ecclesiasticum universum*, t. I, tit. 29, n. 1 et sq.

[3] Kant, eiusque schola apud Cathrein, *l. c.*, II, pag. 705-706.

[4] Cfr. Cathrein, *l. c.*, pag. 706.

turaliter ad luctam habet; scilicet, displicentia quam homo habet, actus non remuneratos videndo, poenam contra delinquentem generat. Haec theoria seu systema *aestheticum* appellatur [1].

d) Alii (ut Beccaria) *poenas ut contractus socialis consequentia* considerant. Iuxta plures qui talem tuentur opinionem, homines, cum contractum societatis inter se inirent, semel pro semper, Statui ius concesserunt puniendi, sese poenis submiserunt [2].

2° Systemata *relativa*. - *a*) *Systema praeservativum* scholarum *criminalis anthropologicae* (C. Lombroso) et *criminalis sociologicae* (Liszt). In istis scholis imputabilitas non admittitur et conceptus culpae proinde negatur. Delinquentes sunt mente aut corpore infirmi nec a delictis abstinere possunt. Poenarum inflictio contra ipsos solummodo iustificari potest ex fine praeveniendi alia delicta. Possunt igitur includi carceribus sicut amentes in amentium domibus, et non quia rei, sed quia noxii [3].

b) *Systema emendativum* seu *correptionale* quo ius puniendi iustificatur ex officio, quod habet publica potestas, delinquentes corrigendi, eosque in viam iustitiae reducendi.

c) *Systema defensivum* quo poena ut medium ad sui defensionem iustificatur et publicae potestatis ius eas infligendi conceditur.

d) *Systema expiationis* quo unicus finis licitus ob quem poena infligi in delinquentes potest est necessitas expiationis pro ordine iuridico violato.

e) *Systema exemplare* seu *deterritionis* quo poenarum inflictio iustificatur ex motivo alios a similibus criminibus deterrendi ob timorem easdem poenas incurrendi [4].

3° Habentur *systemata mixta* quae poenarum inflictiones iustificant non ex unico motivo, sed ex variis motivis ut ex. g. ex motivo exemplaritatis, emendationis etc.

Istud systema *systema necessitatis* appellari posset, et ita enunciari: - Poenarum inflictio iusta est quia id ad finem societatis obtinendum necessarium est. - Et hoc modo expositum systema istud optimum est et in scholis catholicis semper admissum [5].

Et haec iam pro nostro scopo sufficiant; qui plura desiderat, invenire poterit apud philosophos.

24. — 2° *In societatibus imperfectis*. - Quae hucusque dicta sunt de potestate legifera, iudiciali et exsecutiva in societate perfecta, et societatibus imperfectis applicanda sunt. Attamen praesertim circa potestatem legiferam notari praestat in societate imperfecta eius exercitium esse sub dependentia et vigilantia societatis perfectae in eodem ordine finium. Societatis autem supremae erit eidem maiorem potestatem concedere aut negare.

---

[1] Cfr. Cathrein, *l. c.*, II, pag. 706.

[2] Cathrein, *l. c.*, II, pag. 706.

[3] Cfr. Cathrein, *l. c.*, II, pag. 707-708.

[4] Cfr. ista omnia apud Cathrein, *l. c.*, II, pag. 709.

[5] Cfr. Cathrein, *l. c.*, II, pag. 709-716, ubi crisim invenies omnium supradictorum systematum; cfr. etiam Rivet, *l. c.*, pag. 34; Cavagnis, *l. c.*, I, 135.

Item sicut « in societate perfecta est perfecta potestas iudicialis, ita et in societate imperfecta sed aliquatenus autonoma est potestas iudicialis; tantum autem extenditur potestas iudicialis, per se loquendo, quantum legislativa; dixi per se, id est, nisi superior auctoritas det maius vel minus ius. Etenim quisque iudicat de iis quae praescribit, qui enim habet ius praescribendi media, ius habet et exigendi ut adhibeantur » [1]. Eadem valent et de potestate executiva.

Hoc etiam adnotandum est societates imperfectas iurisdictione non gaudere, posse tamen plus minus limitatam iurisdictionem iis a societate perfecta concedi.

Quae autem potest societas imperfecta, praescindendo a concessione auctoritatis superioris, ea potest vi potestatis dominativae ex pacto originem habentis.

25. — V. **De subiecto auctoritatis.** - Quaestio ita proponi potest: In quo resideat auctoritas socialis, seu utrum auctoritas socialis in multitudine, an in determinata persona resideat. - Etiam ista quaestio colligata est cum quaestione de eiusdem auctoritatis origine.

Subiectum auctoritatis potest esse vel unica persona physica aut persona moralis; si primum monarchiam habemus, si alterum poliarchiam (democratiam et aristocratiam). Ex his duobus formis quaelibet aliae formae subiecti auctoritatis conficiuntur.

Ad quaestionem autem respondentes, iterum distinctionem inter societates necessarias et liberas seu voluntarias adhibemus.

1° *In societatibus necessariis.* - Subiectum auctoritatis in societate perfecta necessaria potest esse determinatum ab ea lege quae eamdem societatem necessariam reddidit, et tunc tota quaestio ad id reducitur, ut videatur quodnam sit tale subiectum a lege statutum et determinatum. Ita, e. g., in Ecclesia Christi, societate perfecta, necessaria et supernaturali, ex lege divina, subiectum istud est monarchia ut theologi late demonstrant, ubi de Romano Pontifice. Ita etiam in societate aliqua necessaria ex iure positivo humano subiectum auctoritatis a lege illam societatem necessariam reddente determinari potest, e. g., pro exercitu.

Si autem quaestio specifice de subiecto auctoritatis in societate civili proponatur, in qua causa iuridica societatis subiectum potestatis non determinavit, tunc dicendum est hoc subiectum determinandum esse factis humanis. « Ab illis autem determinari debet

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 110.

quorum interest; atqui, re per se considerata, omnium in communi interest; ergo ab omnibus simul ex aequo determinatur » [1].

Videtur autem populus absolute nunquam posse principi totam potestatem committere et tribuere ita ut ipse ea se privet et nunquam concessionem factam principi revocare possit, quod quidem rationabile est, cum ex iure naturae populo, non principi immediate sit collata potestas, et mediatus princeps aliquo modo semper pendere debeat ab illo a quo potestatem immediate accepit [2].

Ideoque dantur casus quidam speciales in quibus ipsa societas publicae auctoritati seu gubernio resistere potest.

Et primo quidem resistere potest societas publicae auctoritati passive, seu non obediendo legibus aperte iniquis et malis, quod omnes ultro admittunt.

At etiam active aliquando societas publicae auctoritati resistere potest eius subiectum mutando, seu, aliis verbis, auctoritatem ipsam ab una in aliam personam transferendo, quod ex iis quae supra diximus clarum est.

Etenim per easdem causas quibus aliqua res perficitur, per easdem destrui potest; at forma specialis gubernii per voluntatem multitudinis determinatur, ergo per eandem voluntatem destrui potest seu mutari.

Et hoc quidem de iure; in praxi tamen hoc iure societas uti nequit nisi gravissimis de causis, quia de mutatione maximi momenti ex qua plurima pericula oriri possunt, agitur. Quatuor igitur casus determinant auctores catholici in quibus populus positive seu active resistere potest publicae auctoritati:

a) Si princeps seu gubernium ipsam Status constitutionem seu leges fundamentales non servet.

b) Si ipsa publica auctoritas in tyrannidem vertatur.

c) Si princeps, publicus societatis inimicus fiat.

d) Si princeps populum in desperatam conditionem iecerit.

Attamen, ut videtur, quatuor isti casus ab auctoribus allati et enumerati in secundum casum unice resolvi possunt [3]. Nota autem dici populum non personam aliquam privatam formam gubernii mutare posse, secus gubernatio tyrannica ab alia tyrannica substitueretur.

Ex quo patet falsam esse famosam illam doctrinam de iure regum divino saeculo XIV introductam ab imperatore Ludovico Bavaro (1314-1347). Et haec iam sufficiant de societatibus necessariis.

2° *In societatibus voluntariis.* - In societatibus voluntariis « cum omnis potestas emanet a voluntate sociorum, patet subiectum es-

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 88; Sägmüller, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts* [3] I, § 13.

[2] Cfr. Macksey, *l. c.*, pag. 527-532; paulo aliter Cavagnis, *l. c.*, 89 sq.; circa hoc tamen auctores non conveniunt: cfr. Macksey, *l. c.* pag. 527 sq.

Nec nos hanc theoriam eo usque extendimus ut dicamus populum semper, suo marte, posse commissam a se principi potestatem revocare, sed solum in casibus supra expositis.

[3] Qui plura quod ad haec desiderat adeat P. Gioachino Ventura, *Saggio sul potere pubblico*, pag. 335 et sq., ubi fuse agit de his; Suarez, *Defensio fidei*, l. VI, c. IV.

sentiale esse ipsos socios qui tamen exercitium iuris socialis valent etiam delegare uni vel pluribus » [1]. Et haec sufficiant de subiecto auctoritatis socialis.

26. — VI. Distinctio societatum perfectarum inter se. - Societates perfectae distingui possunt inter se, aut *numerice* aut *specifice* [2]. Tunc habetur distinctio numerica cum variae societates efformantur eiusdem speciei seu cum eodem fine cum diversis tamen subditis et sub diversa auctoritate; ita varii Status seu societates supremae civiles inter se distinguuntur; finis utique est idem pro omnibus sicut et eadem auctoritatis species, non vero iidem socii et idem auctoritatis subiectum. Ita etiam, ut videtur, ante conditam a Christo Ecclesiam, variae societates religiosae legitimae et perfectae iure exsistere potuissent; societas enim religiosa hebraica a Deo directe instituta solummodo pro hebraeis praecepta fuerat: societates tamen quae de facto exstiterunt ante Christum pluribus et gravibus erroribus infectae fuerunt.

Nunc vero postquam Christus omnibus hominibus Ecclesiam necessariam esse praedicavit, exsistunt utique iure plures societates religiosae imperfectae, at non possunt exsistere plures societates religiosae perfectae; nam obiective *una* tantummodo societas religiosa perfecta exsistit, quamvis aliae falsae religiones quandoque affirment se esse societates religiosas perfectas [3].

Societates autem perfectae iuridicae distinguuntur *specifice* et ex natura [4] sua, cum non solum inter se differant ratione sociorum et auctoritatis subiecti, sed etiam ratione finis, quia nempe finem formaliter distinctum habent; etenim ex fine distinguuntur societates. Cum duo tantummodo sint ordines supremi finium, duae etiam tantum erunt necessario supremae seu perfectae societates specifice distinctae, sub quibus omnes societates perfectae numerice tantum distinctae comprehenduntur.

His praemissis, quaestio ita proponi potest: Utrum iidem socii duabus societatibus perfectis pertinere simul possint; an eo ipso quod uni adhaerent ab alia qualibet excludantur?

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 88.

[2] Cfr. Solieri, *l. c.*, n. 75-77, pag. 67-68.

[3] Cfr. infra n. 33 et n. 35.

[4] « Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur ». Encycl. « *Immortale Dei* », 1 Nov. 1885.

Certe, ut per se patet, iidem subditi possunt, immo debent, duabus simul societatibus perfectis *specifice diversis* pertinere; si enim, duae adsint societates supremae necessariae, quod postea demonstrabimus, necessario sequitur duas illas societates omnes homines ingredi teneri, secus necessariae non essent.

Duabus autem societatibus *numerice tantum distinctis* an possint simul iidem socii adscribi, res non eadem evidentia patet. Dicendum videtur, id non posse fieri si omnia membra seu socii duarum societatum iidem sint, tunc enim iam non sunt duae societates, sed una; posse vero fieri ut quaedam individua seu quidam socii utrique simul societati pertineant; id tamen solum possibile est quousque inter duas huiusmodi societates conflictus non nascatur; in casu enim conflictus cum utrique obedire socii nequeant, nec utrique pertinere possunt.

Quaenam vero relationes intercedere debeant inter societates specifice diversas seu inter duas societates perfectas civilem et religiosam, ad quas restringitur nostra disquisitio, suo loco videbimus [1].

§ 5. — *De societatibus necessariis ex iure naturae.*

Art. I. — *De Societate civili.*

Connexio materiae. - Theoria de societate civili proprie ad philosophiam moralem pertinet et de ea fuse agunt philosophi. Quaedam tamen circa eandem hic innuisse iuvat, ea praesertim quae maiorem in iudicanda natura societatis religiosae lucem afferre possunt; in probationibus vero non immorabimur, studiosos ad auctores qui de ea ex professo agunt remittentes.

27. — I. **Notio societatis civilis.** - Societas civilis est « stabilis unio (familiarum) ad perfectam omnium felicitatem temporalem, cum pleno iure exigendi ex cooperatione omnium media omnia necessaria ad illum finem » [2].

Certo quodam modo statui nequit quaenam pluralitas ad constituendam societatem civilem perfectam requiratur; at dici potest eo melius societatem civilem finem suum assequi posse, quo maior pluralitas est. Ad hanc maiorem pluralitatem obtinendam et proinde ad finem societatis melius et commodius consequendum plurium societatum civilium perfectarum unio fieri potest, quod et factum fuisse cernimus in Statibus foederatis Americae et in Helvetia.

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 168 sq. et 183

[2] Macksey, *l. c.*, pag. 461.

Dicitur in definitione *plurium familiarum;* utique Status generatim familiis constituitur; nihil tamen obstare videtur quominus aliqua specialis societas civilis non constans familiis, haberi possit. Ista tamen societas sensu adaequato perfecta non esset, quia sibi sufficiens non esset, cum ab aliis societatibus in suo esse seu exsistentia dependeret. Ita Status seu respublica *Montis Sancti* (*Hagion Oros*) in Graecia licet propriis legibus regatur, stricto tamen sensu, perfecta societas civilis non est, quia cum illuc mulieres ingredi non possint, familiae ibidem haberi nequeunt.

Ut certum affirmandum videtur ad societatem civilem perfectam necessarium esse aliquod territorium determinatum cuius dominium sit saltem apud socios. Penes auctoritatem publicam in casu erit *dominium altum* seu ius, quoties id ratio boni publici exigat, dominium privatorum restringendi et coarctandi. Ius autem Status dominium privatum simpliciter impediendi admitti nequit; et proinde reiicienda sunt varia systemata communismi, collectivismi aut socialismi [1].

Societatem civilem considerare possumus in abstracto seu secundum suam essentiam, secundum ea nempe iura et officia quae necessaria et sufficientia sunt ut habeatur verus conceptus illius stabilis unionis moralis plurium quae specifice est societas civilis, et sine quibus nulla unio hominum in terris iure dici potest societas civilis.

Possumus autem etiam ipsam societatem in concreto considerare et tunc est « societas civilis exsistens in terris, pluralitas nempe humana actu exsistens cum iis iuribus et officiis quibus per modum vinculi iuridici unitur in illam stabilem unionem moralem quae essentialiter est societas civilis » [2].

Quae duplex distinctio maxime attendenda est ubi de necessitate societatis civilis agemus. Si enim dicitur societas civilis necessaria esse ex lege naturali divina, id de societate civili in abstracto intelligendum est; in concreto autem causa iuridica societatis civilis consensus constituentium eadem est [3].

28. — II. Necessitas societatis civilis. - Homo naturali lege ad civilem societatem ordinatur.

Intelligitur hic societas civilis in abstracto modo supra explicato.

Prob. Homo naturali lege [4] ordinatur ad id ad quod naturalem propensionem habet et quod necessarium est ad suam perfectionem. At homo ad societatem habet naturalem aptitudinem et propensionem, et insuper societas est moraliter necessaria ad eiusdem perfectionem; ergo homo ad societatem lege naturali ordinatur.

---

[1] Cfr. Macksey, *l. c.*, 364 sq. et 378 sq.

[2] Macksey, *l. c.*, 474.

[3] Macksey, *l. c.*

[4] « Insitum homini natura est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam *civilem*, quae suppeditare vitae sufficientiam perfectam sola potest ». Leo XIII, « *Immortale Dei* » 1 Nov. 1885.

Contra hoc principium sunt omnes fere philosophi acatholici moderni qui de origine societatis disputantes in duas praecipuas scholas dividi possunt:

a) In scholam Hobbes et Rousseau qui docent societatem factum esse contingens et ex pacto omnino libero inter homines facto ortam fuisse et proinde eam non necessariam, sed cuique liberam esse.

In explicanda autem ratione qua homines illum contractum seu pactum sociale inierunt omnino discrepant inter se Hobbes et Rousseau. Hobbes enim docet statum naturalem hominis statum belli esse, ad quod bellum minuendum homines inter se pactum pacis seu pactum sociale inierunt. Rousseau e contra docet homines naturaliter bonos et integros, sibique vere sufficientes esse; naturaliter tamen ad vitam silvestrem ordinari. Cum autem homines pariter liberi sint, et sua libertate, dono exitiali, male utentes sibi bona exclusive usurpassent, inde lites et contentiones plurimae ortae sunt, ad quas evitandas homines, ut minus malum, societatem seu pactum pacis inter se inierunt.

b) Altera opinio nostris praesertim temporibus admissa est evolutionistarum, eaque docet societatem inter homines oriri ex necessitate naturae physica, seu homines in societatem adunari ex determinatione naturae sese evolventis eodem prorsus modo quo singulae species naturaliter evolvuntur; quia leges sociologiae a legibus biologicis non differunt. Ex *timore egoistico* homines adunantur et inter se ad suam ipsorum defensionem uniuntur; facta autem aggregatione, *egoismus* in *altruismum* mutatur et homines bonum commune, ut finem adunationis et societatis, concipiunt et prosequuntur.

At de his nos disputationem non aggredimur [1].

29. — III. Origo historica societatis civilis. - Procedunt ulterius philosophi catholici, et post solutionem quaestionis de origine iuridica seu de necessitate societatis civilis in genere, seu in abstracto, quaerunt quodnam factum sit causa societatis in concreto seu in individuo, seu aliis verbis: Cur homines qui naturali lege in societatem adunari debent in hanc potiusquam in illam sic vel sic ordinatam societatem de facto ordinantur: et cur non unicam (ut e. g. fit pro Ecclesia Christi seu societate religiosa ex iure divino positivo) societatem constituant, sed plures aeque perfectas ineant, numero non specie, inter se diversas?

Duae dantur circa hanc quaestionem doctorum catholicorum opiniones. Alii enim docent naturalem causam iuridicam societatis civilis concrete exsistentis esse consensum eandem constituentium. Quae sententia communis inter scholasticos « admittit diversas fuisse causas quae interdum per fas interdum per nefas, multitudinem posuerunt in proxima dispositione et exigentia so-

---

[1] Qui plura desiderat adeat philosophos praesertim Macksey, *l. c.* ex quo haec excerpta sunt et qui de his omnibus recte et fuse agit. (Macksey, *l. c.*, 462 sq.).

cietatem civilem habendi, constitutam, sed negat societatem illam habere iuridicam exsistentiam seu habere iura illa et officia quae ex lege naturali constituunt vinculum civiliter sociale quo multitudo iuridice unitur in societatem civilem; nisi habito multitudinis consensu sive expresso sive tacito, sive directo, sive indirecto, sive sub obligatione proxima urgente, sive sine obligatione in concreto; et docet societatem non haberi, nisi vi illius consensus tanquam facti, cui lex naturalis tribuit efficientiam moralem determinandi multitudinem iuridice discretam in multitudinem iuridice unitam in societatem civilem ».

« Altera sententia, licet admittat civitatem interdum posse oriri ex consensu libero plurium familiarum non cognatarum in eundem locum convenientium, statuit societatem civilem posse iuridice in concreto ortum habere ex multiplici diverso facto historico sine consensu multitudinis itemque originale et maxime naturale tale factum esse propagationem familiarum plurium ex eadem stirpe sub auctoritate primi genitoris, qui ex patre unius familiae gradatim factus est patriarcha plurium, ita ut quando pluralitas illa sufficiat, ut habeatur societas civilis, ipse dominator naturalis eius sit et sub eius dominio facta sit civitas seu societas iuridice civilis independenter ab ullo consensu familiarum aut individuorum qui eam constituent » [1].

Nos contra Taparelli, Liberatore, Tongiorgi, Cathrein, etc., priorem quam Suarez, Macksey et alii tuentur opinionem admittimus. Unicum ad eam probandam argumentum afferimus ad philosophos remittentes illos qui rem profundius videre cupiant.

Prob. Illud factum naturalis et iuridica causa societatis civilis in concreto exsistentis est agnoscendum quod natura sua proportionatur ut per ipsum multitudo in unum adunetur et vinculum sociale contrahat; at tale factum unice est consensus multitudinis; ergo talis consensus ut unica causa iuridica et naturalis societatis civilis in concreto exsistentis agnoscendus est [2].

30. — IV. **Auctoritas societatis civilis.** - De natura iuridica [3] auctoritatis in societate civili ea valent quae supra iam diximus

---

[1] Cfr. Macksey, *l. c.*, pag. 480.

[2] Macksey, *l. c.*, pag. 481 sq.

[3] « Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod, *nullo ad Deum respectu*, in multitudine inesse natura dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam ». Encycl. « *Immortale Dei* », 1 Nov. 1885.

Et eadem encycl. infra: « Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi

ubi de societate in genere loquuti sumus; idemque dicendum est de subiecto eiusdem auctoritatis. Hic tantum quaedam addimus quae in diversas opiniones de origine et necessitate societatis civilis lucem afferre possunt.

Ex iis quae supra diximus iam sequitur civilem societatem seu Statum lege naturali praecipi in abstracto; in concreto autem factis humanis seu consensu civium constitui. Cum vero societas quaelibet ex eo potestatem consequatur ex quo ipsa constituitur, sequitur potestatem seu auctoritatem civilis societatis ex lege naturali [1] oriri, et non ex voluntate seu consensu eam constituentium. Et hic proprie est differentia opinionum catholicos inter et acatholicos philosophos, quorum opiniones de origine seu necessitate societatis civilis retulimus. In nostra enim opinione, homines, licet, determinantibus factis iuridicis humanis, in hanc vel illam societatem coalescere possint, necessario tamen, necessitate morali ex lege naturali orta, coalescere in alterutram debent, ex qua lege naturali proinde auctoritas nascitur civilis societatis.

In aliorum vero opinione cum nulla lex societatem civilem praecipiens agnoscatur, nisi forte lex physice determinans socios qui dum adunantur possunt sine ulla legis violatione non adunari, et societas unice ex consensu civium oriatur, inde fit ut etiam omnis auctoritas societatis ex eodem fonte oriatur. Ex quo fit ut omne ius quod societas civilis habere potest, cum ex consensu civium ortum sit, ex dissensu moriatur et cesset; et Status fons unicus omnium iurium agnoscatur. Quae quam omnium hominum conscientiae repugnent nemo est qui non videat; certo enim testatur humana conscientia quaedam esse quae natura sua bona et iusta sunt, nec mala quavis lege fieri possunt; et quaedam alia pariter esse quae natura sua ita mala sunt ut nulla lege iusta et recta fieri possint.

31. — V. De fine societatis civilis. - Cum distinctio specifica societatum inter se a finium praesertim diversitate dimetiatur, hic iam utiliter proponitur quaestio: - Quinam sit finis societatis civilis -. Finem autem duplicem distinguunt scholastici, finem *cui* et finem *qui*. Finis *qui* societatis civilis est « bonum illud ad quod efficiendum societas illa qua talis naturaliter ordinatur », et finis *cui* est « subiectum cui secundum eamdem ordinationem naturalem fruendus est finis ille *qui* » [2].

Nos quaerimus praesertim de fine *qui;* at quaedam etiam innuimus de fine *cui* seu de subiecto cui alter finis ordinatur.

---

necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere ..... Quibus tamen dictis.....: neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum reipublicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem sed etiam ad officium pertinere civium ».

[1] Cfr. Sägmüller, *l. c.*, I, § 13.

[2] Macksey, *l. c.*, pag. 499.

1° **Errores.** - In hac quaestione plures habentur errores; omnes enim qui non ex lege naturali simpliciter sumpta, sed vel pacto, vel evolutione, vel alia quavis ratione seu causa originem societatis civilis repetunt, necessario etiam admittere debent finem eiusdem societatis esse illud particulare bonum ad quod obtinendum homines in societatem coadunati sunt. Praecipuae hac in re opiniones sunt:

a) Opinio « *De Haller* qui docet nullum esse finem omnibus societatibus civilibus generice communem, sed quamlibet suum habere proprium ».

b) Opinio « *Montesquieu* qui tenet solum societatis civilis finem genericum esse propriam sui conservationem; quemlibet autem alium finem a civitate quaesitum esse huic vel alteri societati individuae specificum ».

c) Opinio *Kant* eiusque discipulorum « qui contendunt solum finem relative ultimum civitatis esse conservationem harmonicam libertatis omnium civium, et proinde finem proximum esse solam pacem, conservationem nempe ordinis iuridici socialis ».

d) Opinio *Scholae Manchesterianae* « quae sentit unumquemque hominem debere sibi comparare quae sibi necessaria sunt et solum finem societatis civilis esse ut omnes protegat in possessione et fruitione iurium acquisitorum, seu ut conservet ordinem iuridicum, praesertim respectu dominii proprietatis privati ».

e) Opinio *evolutionistarum* « qui sibi fingunt finem naturae esse permanentiam aptissimorum, et proinde finem societatis civilis esse ita disponere campum humani certaminis aut praelii ut aptissimi soli homines fiant superstites » [1].

Una cum istis errant quoquot docent bonum publicum ita esse finem societatis civilis ut singula membra societatis, relate ad hoc bonum publicum, nonnisi ut media quaedam consideranda sint, contra quos tenendum est « homines esse creaturas Deo glorificando et sibi perficiendis exsistentes et secundum talem rationem cooperantes cum aliis ad communem gloriam Dei et ad propriam, tum collectivam tum distributivam perfectionem unde unus homo non est simpliciter medium alteri aut ceteris hominibus ad communem finem societatis civilis, sed principalis causa, natura sua aequalis in ordinem ad communem finem societatis naturalis, cooperans cum ceteris ad gloriam Dei atque ad perfectionem suam et aliorum tum ultimam tum proximam naturaliter cooperativam » [2].

Has erroneas theorias plus minus modificatas docent Universitates liberales nostrorum temporum; nobis eas innuisse sufficiat ad differentiam demonstrandam quae inter nostram et aliorum doctrinam exsistit. Earum confutatio reperiri poterit apud moralistas philosophos [3].

2° **Doctrina tenenda.** - Finis societatis civilis ita cum cl. Tarquini enuntiari posse videtur: « Ita est de genuina societatis ci-

---

[1] Cfr. Macksey, *l. c.*, pag. 505.
[2] Macksey, l. c., pag. 504.
[3] Cfr. Cathrein, *Filosofia morale*, II, pag. 539-568.

vilis natura sentiendum, ut directe quidem sola felicitatis temporalis cura ad eam pertineat, indirecte autem etiam probitatis ac religionis defendendae officium: ita tamen ut dependenter ab Ecclesia id fiat, quippe quae ea societas est, cui religionis ac probitatis cura directe est demandata » [1].

Deinde addit in nota: « Ex quo sequitur iuxta praedictam theoriam, naturam societatis civilis non inde simpliciter determinandam esse, quod ultimus eius finis spiritualis felicitas dici possit, sed maxime ex eius fine proximo ac directo, qui est in temporali felicitate curanda, tum etiam ex fine ultimo, sed non, ut dixi, simpliciter, verum adaequate, adeoque una cum praedictis conditionibus, quod scilicet indirecte ac dependenter ab Ecclesia eius cura in societatem civilem recidat. Hac vero ratione eius natura determinata, palam est, ab Ecclesia eandem distingui; plenissima enim inter eas apparet (quae cuiuslibet distinctionis auctrix est) *oppositio*. Quod enim in societate civili est indirectum et dependens, id directum et independens est in Ecclesia; contra autem qui proprius est ac directus societatis civilis finis, h. e., temporalis felicitas, nonnisi indirecte, prout scilicet necessitas finis spiritualis exigit, incidere sub potestatem Ecclesiae potest. Simili porro ratione videri possunt ab auctore *de Regimine Principum* distingui Collegium sive societatem artificum navium, et Collegium sive societatem nautarum (L. I, c. 14), licet finis ultimus illorum sit navigatio, quae proprius nautarum est finis » [2]. Similem huic doctrinam, si non iisdem verbis, eodem saltem sensu habet et cl. Cavagnis: « Dicendum est finem societatis civilis esse bonum totius hominis temporale commune per externa media ratione ultimo eiusdem hominis fini apprime respondente consequendum » [3].

Ex quibus iuxta eundem Cavagnis, patet errare eos qui contendunt « societatem civilem unice intendere felicitati praesenti, nullo habito respectu ad futuram »; hinc bona praesentia procuranda esse praescindendo a vita futura, et etiam cum damno vitae futurae. « Id exprimitur dicendo legem oportere esse laicam, quo nomine intendunt praescindere debere a quavis consideratione religiosa et futurae vitae, quod melius alii magis aperte exprimunt di-

---

[1] Tarquini, *l. c.*, n. 51 pag. 46 sq.

[2] Tarquini, *l. c.* pag. 47 in nota.

Videri etiam potest Cathrein, *Filosofia morale*, vol. II, ubi a pag. 539-568 fuse agit de fine societatis civilis, antiquorum et modernorum hac in re theorias exponit et examini submittit. Ipse vero hac formula utitur: « Finis directus Status est bonum publicum » *l. c.*, pag. 560; bonum autem publicum in hoc maxime consistit quod Status *officium habet providendi singulis sociis bona illa necessaria et utilia ad uniuscuiusque sufficientiam et integritatem, quaeque bona singuli sibi privata activitate nequeunt providere*. Cfr. Cathrein, *l. c.*, pag. 561 et sq.; Sägmüller, *l. c.* I, § 13, 1°.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 392. — « Civilem societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono (fini supernaturali) quod sponte appetunt, non modo nihil importet, unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt ». Encycl. « *Immortale Dei* » Leon. XIII, 1 Nov. 1885.

cendo oporte re esse atheam, quae expressio cum plures offendat et populos alienos faciat, a magis cautis viris irreligiosis vitatur. Verum haec falsissima sunt. Falsum est secundum, quia nunquam licet cuiuscunque boni praesentis intuitu, in detrimentum spirituale incurrere; igitur felicitatis praesentis procuratio, quae per se opponeretur futurae, esset inhonesta. Iamvero societas civilis est societas iuris vinculo adunata, et imperante natura seu Deo. Igitur ad contradicendum legi naturae et Dei non cogit; tunc vinculum non iuris sed iniquitatis haberetur. Hinc primo societas civilis tenetur negative inservire felicitati futurae, et proinde ordini qui ad eam ducit, quatenus nempe nunquam adversari debet huic ordini, quem spiritualem dicemus dum ordinem civilem appellabimus temporalem. Sed falsum est et primum, id est dummodo societas civilis non contradicat felicitati aeternae de cetero necessarium non esse illum ad ordinem spiritualem respectum habere, ideoque posse ab eo omnino praescindere. Id falsum est; etenim ut animadvertit S. Thomas, oportet societas civilis [1] tendat non ad felicitatem temporalem quamcunque, sed ad eam quae propria sit hominis: iamvero homo ita debet omnia operari ut non modo non adversetur fini ultimo, sed in quantum rei natura permittit, illius prosecutionem curet; tunc enim homo vere operatur ut homo seu ut ens rationale morale, cum opus accommodat fini ultimo. Ergo et procuratio felicitatis praesentis ex parte societatis dirigenda est fini ultimo in necessariis ad eum consequendum, de praecepto, in ceteris de consilio » [2].

Quod si quis quaerat « Cuius iudicio princeps idest rector societatis civilis ordinabit vitam temporalem ad vitam aeternam? Regalistae respondent: Haec princeps praestabit iudicio suo. Sed tunc princeps esset etiam Pontifex id est iudex competens et directus rei religiosae. Iamvero oportet distinguere inter statum hominis naturalem et supernaturalem. An in statu naturali id est revelatione non exsistente, neque exsistente sacerdotio a Deo instituto, sit ipse Princeps, Summus Pontifex, eo quod est princeps est quaestio...; sed principem esse iure suo iudicem rei religiosae, data revelatione et instituto sacerdotio, seu Ecclesia, est non modo theologice falsum, sed rationaliter absurdum. Si enim supponamus in ipso statu naturae principem non esse hoc ipso Pontificem, multo magis id ei negandum esset in statu supernaturali in quo nos versamur. Sed etsi concederemus in statu naturae, curam socialem religionis naturalis spectare ad ipsum principem, tamen nullus esse potest regalista nisi atheus qui negare possit Deo ius constituendi sacerdotium quod curet negotia religiosa; eo autem constituto, absurdum est principem posse sibi vindicare iudicium in re religiosa, cum alteri Deus positive contulerit hanc curam, id est Summo Pontifici. Igitur admissa exsistentia Ecclesiae iam princeps in re religiosa tenetur iura sua exercere cohaerenter iudicio Ecclesiae ipsius » [3].

---

[1] *De Regim. Princ.*, l. II, c. 14.
[2] Cavagnis, *l. c.*, 388-389.
[3] Cavagnis, *l. c.*, 394.

Art. II. — *De Societate Religiosa.*

32. — I. Status quaestionis. - In iis quae hic investigamus omnino praescindimus a divina institutione societatis religiosae ex iure positivo. Homo enim sicut lege naturali Deum colere tenetur eumque factorem suum agnoscere et profiteri, ita etiam eum colere debet omnibus modis quibus potest eumque proinde adorare non solum individualiter sed et socialiter; hic iam quaeritur cuinam hoc officium Deum socialiter adorandi incumbat, utrum nempe societas aliqua a civili distincta ad hoc admittenda sit necessario, an hoc ipsum officium adorandi Deum socialiter et publice aliud sit ex officiis societatis civilis.

Optime quaestionem proponit cl. Cavagnis: « Deo debetur non modo externus, sed cultus publicus. Cultus publicus est et qui fit coram societate, et qui a societate, quatenus vel omnes (moraliter) participant, vel ab aliquibus repraesentantur. Primo sub respectu cultus dicitur publicus quoad modum; secundo sub respectu quoad causam efficientem.

« Deo deberi cultum publicum primo sub respectu probatur, primo quia necessarium est ut homines ad invicem sese excitent ad religionem excolendam; si enim iure naturae tenentur ad mutuum adiutorium sibi praebendum, id maxime viget in re maxime necessaria, ut est religio. Secundo cultus publicus singulos magis excitat quam privatus.

« Sed Deo debetur cultus publicus et secundo sub respectu, nam societas humanae familiae est a Deo et eius forma perfecta est civilis; igitur societas humana agnoscere debet Deum ut auctorem suum ideoque cultus aliquis ei tradendus est socialiter.

« Quaeritur ad quosnam ex iure naturae spectaret haec positiva ordinatio cultus divini publici iuxta secundam significationem (nam quoad primam idem dicendum ac de cultu privato, idest omnibus per se licere dummodo superstitionem vitarent). Cum in hac re non plene consentientes sint et catholici optimae notae, quae probabiliora videntur exponemus » [1].

33. — II. De necessitate societatis religiosae perfectae. - His quae supra iam praemisimus hic addimus religionem considerari posse dupliciter, ut fundamentum moralitatis publicae et proinde ipsius societatis civilis, aut, ut fundamentum felicitatis alterius vitae futurae.

Nos de religione sub priori praesertim respectu quaerimus, quia, de se, praescindendo a revelatione et positiva Dei voluntate, priori tantummodo sub respectu religio ut aliquid sociale consideranda est.

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 478 sq.

Evidenter supponimus in hac quaestione Deum neutro sub respectu societatem religiosam ordinasse positive, tunc enim quaestio cessaret et eius ordinationi standum esset.

Sunt igitur hac in re quatuor opiniones:

1° *Prima opinio* docet nullam ex iure naturae religiosam societatem exsistere debere, et uni principi ius esse religionem in Statu ordinandi, non solum ut fundamentum societatis civilis, sed et quatenus religio est.

Quae opinio probabilitate carere videtur ex eo praesertim quod finem societatis civilis nimis extendit. Finis enim societatis civilis, ut iam alibi innuimus, est bonum commune temporale civium ad quod religio non ordinatur, nec proinde medium aptum est.

2° *Secunda opinio* docet societatem religiosam a civili distinctam et independenter ex iure naturae exsistere non debere; et ius ordinandi negotia religionis ad societatem civilem pertinere; quae tamen hoc ius exercet in religionem, non ut religionem proprie talem, seu cultum Dei; sed ut fundamentum publicae moralitatis et felicitatis etiam temporalis.

Quae opinio nulla certe absurditate laborat quatenus principi ius agnoscit ordinandi religionem ut fundamentum moralitatis publicae et ipsius proinde societatis civilis; attamen rem non evincit nisi pro casu quo ista religionis positiva ordinatio a societate seu a multitudine ipsi commissa sit. Princeps enim, iuxta ea quae supra vidimus, auctoritatem quam Deus societati tribuit, a populo seu a multitudine immediate mutuatur et accipit, multitudo autem, si aliam societatem religiosam agnoscat, eo ipso profitetur non principi seu auctoritati civili, sed illi societati ius seu auctoritatem circa religionem contulisse [1].

3° *Tertia opinio* iam hoc affirmat, principis esse negotium ordinandi in suo Statu religionem, si alia societas cui hoc negotium commissum sit, desit. Haec altera societas esse posset sive a Deo directe statuta et praecepta et tunc eius iura, limites potestatis, et forte forma regiminis ex positiva voluntate divina dimetienda essent. At cum in nostra quaestione a Dei positiva ordinatione praescindamus, societas religiosa a populo solummodo seu a multitudine statuta esse potest.

---

[1] Hanc theoriam praeter alios tuetur Cathrein, *l. c.* citatque pro illa S. Thomam (I-II, qu. XCIX art. 3 et *De regimine Princip.*, l. I, c. 14); et Suarez (*Defensio fidei*, l. 3, c. 9, n. 4); suamque sententiam firmare tentat ex eo quod *unica potestas in unica communitate* exsistere possit. Quod si revera admittendum esset, et vera repugnantia haberetur in hoc, nec nunc de facto, post revelationem haberi posset. Ex quo patet quam debili nitatur illa theoria fundamento (cfr. Cathrein, *l. c.*, v. II, pag. 601-604).

An autem de facto apud gentes, ante Christi Ecclesiam institutam, huiusmodi societas religiosa exstiterit necne, ad historicos remittimus resolvendum. Apud romanos antiquiores, religionis ordinatio, ut pars potestatis regiae considerata fuisse videtur; regimine vero populari seu consulari vigente a civili distinguebatur, ut videtur, potestas religiosa. Circa hanc tertiam opinionem eadem valent quae supra de secunda diximus, in quam haec reincidit si illa, ut nos facimus, mitius proponatur.

Apud hebraeos, duo certe et omnino distincta fuerunt potestas religiosa et politica [1].

4° *Quarta denique opinio* statuit nullo modo principi negotiis religiosis sese immiscendi unquam ius esse.

Et haec quarta opinio certo iusta est si ex iure positivo divino ordinatio religionis habeatur; ut nunc fit post Ecclesiae Chr. institutionem. At quid si nulla, nec ex iure divino, nec ex iure humano societas religiosa exsistat? Numquid poterit Status in hoc casu Deum ignorare et a Deo independenter agere? Minime quidem.

Sunt tamen plura incommoda quae quamlibet Status ingerentiam in rebus religiosis revera dissuadeant, et hoc praesertim quod Status religionem inservire faciat arti politicae, potiusquam artem politicam religioni. Accedit etiam ratio, quam in theologia fundamentali afferunt theologi, quod scilicet religio naturalis de facto non sit sufficiens ad finem homini a Deo in creatione datum obtinendum; quare Deus sapientissime hoc negotium ipsemet ordinavit; cui Ordinationi standum est [2].

34. — III. De perfectione societatis religiosae in statu naturae. - Societas religiosa in statu naturae ex hypothesi exsistens perfecta societas fuisse videtur: et, quia eius finis, scilicet cultus Dei et perfectio moralis humanae naturae fini societatis civilis praestare necessario debet, ipsam societatem religiosam civili superiorem fuisse dicendum est. Societatis enim praeeminentia et superioritas a praeeminentia et superioritate eiusdem finis dimetitur. Quare, si inter eas conflictus ortus fuisset, superior societas limites iurium determinare debuisset; cum tamen ad id infallibilitate careret stricta obligatio standi eius decisionibus imponi non potuisset [3].

Immo Cavagnis agnoscit principi seu societati civili aliquam superioritatem super societatem religiosam naturalem tribuens principi aliquam indirectam *in sacra* potestatem qua se defendere possit ab usurpationibus societatis religiosae et errores eiusdem societatis corrigere, subordinans in casu societatem religiosam societati civili [4]. Quae cl. Auctoris opinio non

---

[1] Cfr. e. g., casum reprobationis Saul, quia officia sacerdotalia sibi usurpaverat.
[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, n. 478 sq.
[3] Cavagnis, *l. c.*, 485.
[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, n. 485 et 493.

recte cum principiis generalibus de natura societatis et superioritate unius super alteram convenire et concordare videtur; societatum enim hierarchia a finium earundem hierarchia pendet et dimetienda est; at inter finem societatis religiosae et civilis, etiam praescindendo a revelatione, finis societatis religiosae praecellere videtur.

35. — IV. **De societate religiosa naturali in concreto.** - Homines ex iure naturali debent et religiose in societatem adunari seu ordinem religiosum constituere. At sicut in ordine seu societate civili statuenda concrete, varias numero societates statuerunt, ita, et in societate religiosa, statuere poterant varias societates religiosas inter se independentes, quae concreta ordinatio, si nihil a Deo aliter positive statutum fuisset, sicut de concreta ordinatione societatis civilis diximus, a populi consensu penderet.

De facto autem huiusmodi ordinatio societatis religiosae ante Christum, si populum hebraeorum excipias, haberi potuit. Cum enim societas religiosa hebraica a Deo positive instituta, exclusive pro populo hebraico constituta esset, inde ab Abraham usque ad Christum, nec aliis populis quidquam positive per revelationem praeceptum fuisset circa constitutionem societatis religiosae, eiusque membra, auctoritatem, subiectum etc., dicendum videtur haec omnia relicta fuisse, sicut et pro societate civili, hominum sociorum seu multitudinis determinationi, ita ut ista omnia a populi consensu penderent.

Cum vero homo de facto nunquam exstiterit in statu naturae purae, sed in ipsa creatione ad statum supernaturalem elevatus sit a Deo; societas religiosa, de qua supra, huius elevationis humanae, per revelationem divinam ab initio factam, omnibus plus minusve innotescentis rationem habere debuisset, simul et casus seu peccati protoparentum Deo offerendo non solum adorationes, sed et propitiationes et gratiarum actiones.

Hoc igitur fuit ius circa societatem religiosam ante Chr. vigens. Hebraei inde ab Abraham, qui religiosae societatis simul et civilis a Deo constitutus est caput, Deum colere debuerunt solummodo in societate ita a Deo ordinata pro ipsis. Aliae vero gentes sibi ordinare societatem religiosam potuerunt, vel unicam universalem vel etiam singularem pro singulis societatibus civilibus exsistentibus.

Quod si fecissent, habita ratione veritatum a Deo revelatarum et elevationis humanae ad statum supernaturalem, Deum utique, ut eis praeceptum erat, coluissent et finem supernaturalem, supposita fide in futurum Redemptorem, consequi potuissent. Et hoc factum revera esse scimus a Iob qui religionis supernaturalis, naturalem ordinationem sequutus, gentibus exemplo esse potuit [1].

---

[1] Paulo aliter ista exponuntur a Cappello, *Institutiones iuris publici*, v. I, pag. 123. Cfr. etiam P. A. Knoll., *Theologia generalis*, c. 49.

36. — V. Auctoritas societatis religiosae. - Circa originem, extensionem, subiectum auctoritatis publicae in societate religiosa et iure naturali vigente ea valent quae supra in explicanda auctoritate in theoria societatis perfectae diximus.

His iam clare patet duas esse de iure naturae, sive a revelatione praescinditur, sive revelatio supponitur, necessarias societates iuridicas pro omnibus hominibus, religiosam, cuius est ea quae ad cultum Dei spectant determinare, et perficere; civilem, cuius est ea quae ad temporalem felicitatem pertinent determinare.

Et haec iam sufficiant.

IUS PUBLICUM ECCLESIAE CATHOLICAE

37. — Connexio materiae. - Omnibus hominibus iure naturae necessaria est non solum societas civilis quae bona temporalia prosequitur, sed et societas religiosa quae cultum Dei ordinat. Haec altera societas ex ipso iure naturae unum cum societate civili esse potest, aut etiam ab ea distingui.

De facto loquentes, istam determinationem multis temporibus concrete relictam fuisse populorum consensui vidimus, qui in hac re facile erraverunt et non religiosam societatem, ut debuissent, sed plurimum societatem superstitiosam instituerunt et maximos circa Divinitatem cultumque eius errores professi sunt ut, historia testante, novimus.

Deus vero erga homines ita obcoecatos misericordia motus, ipse per se societatem religiosam instituit, ut homo illi incorporatus facile posset finem suum supremum supernaturalemque consequi et Deo debitum cultum reddere.

Haec necessaria, ex Christi positiva voluntate, societas, est Ecclesia Catholica; cuius exsistentiam, omnibus hominibus necessitatem, visibilitatem, hierarchiam tum ordinis tum iurisdictionis, media praecipua seu sacramenta etc., tum theologia, tum ius canonicum exponunt.

Nobis etiam, hoc praesertim tractatu de iure publico, quaedam circa eandem dicenda et explananda occurrunt, ea praesertim quae eius legitimitatem seu iuridicitatem, perfectionem intrinsecam, relationem cum aliis societatibus perfectis civilibus respiciunt. Et ad ista nostras disquisitiones perstringemus, ad quae maioris momenti iuris publici quaestiones referuntur; alias, etiam iuris publici, quaestiones, ut constitutionem internam eiusdem Ecclesiae, primatum R. Pontificis etc., ad theologiam fundamentalem ubi fuse exponuntur, solvendas remittimus. Videbimus tribus partibus:

1° De Ecclesiae Catholicae perfectione in se spectata.

2° De relationibus Eccl. Catholicae ad alias societates.

3° Quaestiones varias speciales circa iura Ecclesiae.

PARS I.

IUS PUBLICUM INTERNUM

SEU

DE ECCLESIAE CATHOLICAE PERFECTIONE IURIDICA

Hac prima parte videbimus tribus capitibus:

1° Notionem Ecclesiae, eius unicitatem, distinctionem a civili qualibet societate, legitimitatem seu iuridicitatem, et modo generali perfectionem iuridicam.

2° Ecclesiae potestatem legiferam, iudicialem, coactivam.

3° Eiusdem potestatem poenalem specifice consideratam.

CAPUT I.

De Ecclesiae perfectione.

38. — I. **Notio.** - Ecclesia [1] a voce graeca ἐκκαλέω = *convoco* (ἐκκλησία = *convocatio* seu *concio*) definitur a theologis: *Societas hominum veram Christi doctrinam profitentium*, vel cum Bellarmino: *Coetus hominum unius et eiusdem fidei christianae professione, et eorumdem sacramentorum participatione coniunctus sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue Romani Pontificis a Christo institutus* [2]. Quae definitiones in hoc deficere videntur quod in ipsis finis eiusmodi societatis qui inter essentialia cuiuslibet societatis adnumerari debet, reticetur. Quam ob rem definitionem supra datam hoc modo modificandam puto: *Ecclesia est societas iuridica perfecta a Christo ad adeptionem vitae aeternae instituta* [3]. Ecclesiam a Deo revera institutam, eamque societatem visibilem, externam, inaequalem esse fuse probant theologi [4].

---

[1] Ecclesiae officialis definitio desideratur. Quod latini et graeci Ecclesiam vocant, germani et anglici *Kirche* et *Church;* illi elementum spirituale, isti elementum materiale in hac terminologia prae oculis habuisse videntur; *Kirche* enim et *Church* a v. graeca κυριακὸν vel κυριακὴ οἰκία originem duxisse videtur.

[2] Bellarm., *De Eccles.*, III, 1, Alb. Knoll, *Theologia generalis*, § 206.

[3] Cfr. Tarquini, *Iuris publici ecclesiastici institutiones*, n. 41.

[4] Cfr. Hurter, *Theologia generalis*, 191-201.

Item theologi probant [1] Ecclesiam unicam esse a Deo institutam, unitate non solum interna, sed etiam externa, ita ut omnes iisdem mediis finem consequi debeant et eadem sub auctoritate ad finem tendant; unitate non solum specifica et in abstracto, sed etiam concreta et numerica, ita ut unica esse possit vera Christi Ecclesia. Ex quo iam sequitur post Christum nullam aliam, praeter christianam catholicam, societatem religiosam iure aliquo pollere; quod principium firme tenendum est, quia ex eo plurimae solvendae sunt quaestiones praesertim capite secundo ubi de relationibus Ecclesiae ad alias societates.

Et eo firmius etiam tenendum est hoc principium quod ex iure naturae nulla esset repugnantia quod plures, non specie, sed utique numero distinctae et inter se independentes societates religiosae exsistere possent.

39. — II. Distinctio Ecclesiae a societate civili. - 1° *Status quaestionis.* - Ecclesiam a Statu seu civili societate distingui nemo claris verbis negavit; at distinctionem istam restringunt primo veteres regalistae, Ecclesiam solummodo quod ad ea quae fori interni sunt a civili societate distinguentes, eamque in externis unum cum Statu esse docentes. Ulterius progressi liberalistae moderni Ecclesiam societatem a Statu distinctam iuridice constitutam non admittunt, et eam tantummodo, ut amicalem societatem, agnoscunt, quae proinde, si quaedam iura habeat, ea a civili societate necessario habet. Quae opinio, licet directe legitimitatem seu iuridicitatem Ecclesiae impetat, eius tamen etiam veram distinctionem a civili societate radicitus evellit.

Contra hos errores nos thesim statuimus:

2° **Thesis.** - *Ecclesia est societas a civili omnino distincta.*

Distinctio inter duas societates maxime probari potest ex distinctis fine, origine et mediis, ad finem consequendum. At Ecclesia differt revera a civili potestate, fine, origine et mediis; ergo revera a civili distinguitur.

---

[1] Cfr. Hurter, *l. c.*, n. 286-298.

Id quandoque etiam canonistae faciunt et merito quidem, quia his dogmatibus totum ius canonicum publicum et privatum construitur; nos tamen brevitatis gratia de his expresse non agimus et tractationem hanc ex theologia supponimus, sicut generatim facimus de cuncta tractatione circa constitutionem Ecclesiae, ius Primatus etc.

Qui specialem de his rebus tractatum iuri canonico accommodatum desiderat, potest auctores canonistas qui de his agunt adire. (Cfr. Wernz passim in suo opere *Ius Decretalium* praesertim I et II vol.; Cavagnis, *op. cit.*, tom. II, lib. II; Chas. Augustine, *A Commentary on Canon law*, I, pag. 187-199; Hergenröther-Hollwek, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, pag. 18-51; Aichner - Friedle - Schmöger, *Compendium iuris ecclesiastici* [12] § 22 et sq.; Sägmüller, *Lehrbuch des katholischen Kirchenreckts* [3] 1914, I, § 9 et sq.

Ecclesia differt a societate civili:

a) *Origine.* - Societas enim civilis a lege naturali in abstracto praecipitur; in concreto vero a consensu hominum omnino pendet: Ecclesia e contra ex iure positivo divino originem habet, sicut et auctoritatem et ipsam internam constitutionem, ita ut, nullo hominum consensu, mutari possit.

b) *Fine.* - Finis enim societatis civilis est felicitas temporalis, finis Ecclesiae felicitas spiritualis, immo et supernaturalis.

c) *Mediis.* - Societas civilis mediis temporalibus ad finem consequendum utitur nec ultra aliquid potest; temporalis est enim, ad temporale bonum tendit, eoque coarctatur; Ecclesia e contra mediis praesertim spiritualibus utitur, et insuper temporalibus, si hoc ad suum finem consequendum necessarium aut valde utile existimaverit.

Habet insuper Ecclesia et membra aliquo sensu a civili societate distincta; membra enim Ecclesiae licet alicui civili societati adscripta sint, non tamen illi adscribuntur eodem sub respectu ac Ecclesiae, et proinde *formaliter* distincta membra habet; dein membra Ecclesiae ultra membra societatis civilis determinatae extenduntur, quia Ecclesia nullo territorio est circumscripta; ac postremo Ecclesia determinatas personas etiam societatis civilis determinatae, sua indirecta potestate, a iurisdictione potestatis civilis subtrahere potest. At de his postea.

Ex his iam patet societatem religiosam, quae ex iure naturae unum cum civili societate esse poterat, ex iure positivo divino, a civitate omnino distinctam fuisse.

40. — III. Legitimitas seu iuridicitas Ecclesiae. - 1° *Status quaestionis.* - Ecclesiae distinctione a civili societate, quam nemo unquam clare negare potuit, probata, alia nobis quaestio de eiusdem legitimitate seu iuridicitate solvenda occurrit. Sunt enim plures, praesertim e liberalistis nostrorum temporum, qui exsistentiam Ecclesiae omnino negare non audent, eiusque aliqualem distinctionem, immo quandoque etiam contrarietatem cum societate civili admittunt, at ipsam esse vere societatem tantummodo amicalem nullo iuris vinculo roboratam docent. Quae falsa opinio ex erroribus circa originem et naturam societatis civilis, quos alibi exposuimus, ex libero hominum consensu, nulla praecedente lege naturae, et etiam ex materialismo et atheismo ingravescente, ortum ducit. Si enim homines suo exclusivo consensu omnium iurium fontem constituunt, iam actum est de iure Ecclesiae, quam ingredi quisquis recusare potest et etiam post ingressum eidem obedientiam denegare. Hoc fundamento innixi moderni increduli et liberalistae Ecclesiam societatem iuridicam esse negant [1].

At praeter hos fuere etiam catholici regalistae qui falso innixi *iure divino regum* etiam *in sacra*, iuridicitatem saltem externam Ecclesiae negarunt. Isti docebant Ecclesiam esse utique societatem

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 202 in nota; Cappello, *l. c.*, I, pag. 99.

a Christo institutam et supernaturalem, potestatem ordinis habentem, eidem tamen omnem in foro externo potestatem aut penitus denegabant, aut saltem, quam plurimum, coarctabant. In eundem errorem, nostris diebus, prolapsi sunt modernistae quorum in hac re doctrina damnata est in propositione 52 *Syllabi* Pii X, quae sic sonat: «Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere velut societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam» [1].

Contra priores, cum falso supposito atheismi aut in dies grassantis materialismi innitantur, nos non pugnamus et eorum errores fundamentales ad philosophos et theologos, ne e nostra in aliorum provinciam invadere videamur, confutandos remittimus; contra alios vero, qui se catholicos profitentur et proinde catholicam revelationem admittunt, thesim sequentem statuimus.

2° **Thesis.** - *Ecclesia est societas a Christo iuridice constituta.*

a) *Iuridicitas* seu *legitimitas* alicuius societatis est id quo societas iuridica ab amicali differt. Societas vero iuridica ea dicitur qua socii iuris vinculo inter se colligantur [2]. E contra amicalis est societas cuius membra solis legibus moralibus seu solummodo coram Deo ligantur, cuius proinde obligationes et iura mere ethica sunt.

Iuridica proinde erit societas quae hierarchice [3] instituta est, in qua qui ingressi sunt obedire superioribus tenentur et inobedientes poenis affici possunt. At revera Christus Ecclesiam societatem hierarchice constitutam condidit, ut late probant theologi, ita ut inobedientes a superioribus poenis affici possint, ut late probabimus infra ubi de potestate coactiva Ecclesiae.

b) Alio etiam modo procedi potest in hac probatione: Certe iuridica est societas quae coactivitate gaudet in ordine ad suum finem consequendum; at talis est Ecclesia; ergo etc.

Minor probanda est infra ubi *ex professo* de potestate coactiva Ecclesiae [4].

Hic tantummodo hoc addendum putamus, scilicet: iuridicitatem Ecclesiae competere exclusive in eos qui ipsam per baptisma ingressi sunt, licet haeretici aut schismatici sint; illi autem qui eam nondum sunt ingressi, licet eam ingredi teneantur lege divina morali, ad hoc tamen vi compelli nequeunt; et in illos Ecclesia solum iure defensionis et liberae Evangelii

---

[1] Cfr. Denzinger-Bannwart, 2052-2053.

[2] Cavagnis, *l. c.*, n. 40.

[3] « Tam ingenti hominum multitudini (Ecclesiae) Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent: unumque ovium *principem*, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni coelorum commisit ». Encycl. « *Immortale Dei* » Leon. XIII, 1 Nov. 1885.

[4] (Cfr. infra n. 61 sq.:) cfr. etiam Cavagnis, *l. c.*, 40 et 205; Cappello, *Chiesa e Stato* (1910) pag. 39 sq. n. 15 sq.; Macksey, *l. c.*, 258; et supra *Praenot.* n. 11-13; Cappello, *Institut.* I, 99; Chas. Augustine, *l. c.*, I, 193; Sägmüller, *Lehrbuch des kathotischen Kirchenrechts* [3] (1914) I, § 9, sq.; Eichmann, *l. c.*, § 2.

praedicationis exercendae gaudet, quae iura si violantur, sese defendere poterit sicut et potestas civilis, quando iura suorum membrorum violantur [1].

41. — IV. **Iuridica Ecclesiae perfectio.** - 1° *Status quaestionis.* - Ecclesiae iuridicitate probata, alia statim nobis maximi momenti quaestio occurrit de Ecclesiae iuridica perfectione. Iuridicitas enim per se perfectionem non dicit, licet ad eam probandam gradum primum constituat, quia sine iuridicitate societas perfecta concipi nequit. Possunt enim haberi et de facto habentur societates iuridicae, quae tamen perfectae non sunt, sed alteri perfectae subordinatae, ut, e. g., societates speciales in Ecclesia exsistentes eique subordinatae, quae ei subduntur et ea tantum possunt, quae ab Ecclesia obtinuerunt; at societas quaelibet perfecta iuridica sit oportet.

Quaenam vero societas perfecta [2] dicenda sit, quaeve imperfecta, id duplici ex capite patere potest; vel *ex eius natura* vel *ex voluntate eius institutoris*, in cuius potestate fuerit eandem perfectam constituere, utroque autem sub respectu Ecclesiam Christi societatem perfectam habendam esse, protinus manifestum fiet [3].

2° *Errores.* - Contra perfectionem iuridicam Ecclesiae, quam probandam aggredimur, sunt omnes contra quos supra probavimus Ecclesiam, societatem a civili revera distinctam et insuper iuridicam esse, qui omnes, ut patet, ex eo quod Ecclesiae distinctionem a Statu aut eius *iuridicitatem* negant eo ipso Ecclesiam societatem perfectam esse negare debent. Sunt praeterea et alii errores contra perfectionem Ecclesiae, Febronii praesertim, Gallicanorum et Marsilii Patavini quos innuere libet, ne in nostra assertione aerem verberare videamur. Hi directe constitutionem internam Ecclesiae impetunt, et una cum Ecclesiae constitutione, eiusdem iuridicam perfectionem pessumdederunt.

a) Febronius - pseudonymum *Nicolai de Hontheim*, suffraganei archiepiscopi Trevirensis, discipuli autem iansenistae belgae Van Espen, anno 1763 librum *De Statu Ecclesiae* publicavit a Clemente XIII anno sequenti damnatum. Antequam moreretur (a. 1790) opus suum reprobavit et laudabiliter se subiecit.

Docet Febronius, ut ea tantum quae ad nos directe pertinent tangamus, principes civiles canonum ecclesiasticorum custodes esse et vindices adversus Romanum Pontificem, et insuper ad eosdem totam externam disciplinam ecclesiasticam spectare; qui error, ut patet, perfectionem Ecclesiae funditus evellit; et pro nostro scopo sufficit [4]. Errores Febronii se-

---

[1] C. 87. Wernz, *Ius Decretalium*, I, 103 in nota.

[2] Quid sit generice societas perfecta et quomodo ab imperfecta specifice differat cfr. supra n. 17, 3.

[3] Cfr. Tarquini, *Institutiones iuris eccl. publici*, n. 42.

[4] Qui febronianismi systematis fusiorem expositionem desiderat, eam invenire poterit apud Cavagnis, *l. c.*, II, n. 69 sq. aut apud Rivet, *l. c.*, pag. 51 sq.; Chelodi, *Ius de personis*, n. 31.

quuti sunt et in praxim deduxerunt Iosephus II Austriae imperator (*imperator sacrista*); Leopoldus I Magnus, dux Etruriae, Tannucci minister regni Neapolitani etc.

b) *Gallicani*. - Etiam Gallicani, in suo circa Ecclesiae constitutionem systemate, quaedam docuerunt quae licet clare Ecclesiae iuridicam perfectionem non negent, eam tamen ita coarctant, ut de facto amplius exsistere nequeat. Huiusmodi coarctationes sunt praesertim *ius placiti regii* et ius *Appellationis ab abusu*, de quibus, quaedam nobis dicenda erunt in particulari [1].

c) *Marsilius Patavinus*. - Praecipue tamen contra catholicam doctrinam de perfectione iuridica Ecclesiae, omnium princeps, aberrat Marsilius Patavinus in suo libro *Defensor pacis* una cum suo auctore damnato a Ioanne XXII.

Marsilius anno 1343, non reconciliatus, decessit.

Marsilius Patavinus, Ecclesiae theoriam applicat quam et nos circa potestatem civilis societatis adoptavimus, eamque suo modo explicat. Docet enim omnem potestatem etiam spiritualem a Christo datam esse fidelibus, qui eam principi transmittunt. Princeps eam Ecclesiae praesulibus, sub auctoritate tamen populi et principis exercendam communicat. His paucis tota restringi et comprehendi potest Marsilii doctrina, qua admissa, evidenter iam actum est de Ecclesiae independentia a societate civili et eius iuridica perfectione.

Erroribus insuper Marsilii proxime accedunt positivistae, liberalistae [2] et increduli moderni, omne genus, qui omnis iuris fontem societatem civilem agnoscunt et Ecclesiae, summum, ius imponendi fidelibus moralem, non iuridicam, obligationem agnoscunt, qui omnes proinde non solum Ecclesiae perfectionem, sed et iuridicitatem, ut iam supra vidimus, negant [3].

d) *Protestantes* in hoc fere conveniunt ut Ecclesiae visibilitatem denegent; quod ita ex eorum doctrina intelligendum est, ut dicatur Ecclesia, ex iure divino, non esse societas externa visibilis et publica, sed solummodo societas animarum.

Cum autem de facto Ecclesia, non solum ut animarum societas, sed ut societas hominum exsistat, societas enim animarum vix imaginari potest, ipsis protestantibus necessitas apparuit explicandi qua ratione Ecclesia etiam societas visibilis de facto sit.

Certe ius ad exsistentiam socialem, externam et publicam ex eorum

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, II, 76 sq.; Rivet, *l. c.*, pag. 49.

[2] Horum hac in re errores ita describit Leo XIII: «Sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et iuribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas respublica continet; ob eamque rem si quid illa iuris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concesso beneficioque principum civitatis. Si qua vero in republica suum Ecclesia ius, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principes clamant dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere, idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniumque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium». Encycl. «*Immortale Dei*», 1 Nov. 1885.

[3] Cfr. Rivet, *l. c.*, pag. 53.

opinione non habuit Ecclesia a Christo; qua assertione, factum est ut ad purum ius naturae pro solutione quaestionis ipsis recurrendum fuerit, quo iure utentes protestantes varia systemata ad *Ecclesias nationales* explicandas protulerint. Huiusmodi systemata tria praecipue enumerantur:

α) *Systema Episcopale* - a Stephani († m. 1646) excogitatum, admittit potestatem spiritualem in Episcopis resedisse usque ad annum 1555 quo pax Augustana conclusa est; ab illo vero tempore ad principes devolvi necessario debuit, quia illa pace in Episcopis suspensa fuit iurisdictio.

β) *Systema territoriale* ab Hugone Grotio (aa. 1646-1647) inventum admittit absolute principis esse res etiam religiosas moderari et illo principio enuntiari potest: *Cuius est regio, illius est religio.* Viguit hoc systema praesertim in Anglia.

γ) *Systema collegiale* - a Puffendorf et a Pfaff elaboratum (1° m. 1694, 2° m. 1760), admittit ius efformandi societatem ad finem spiritualem populo inesse, principem vero circa hanc societatem habere ius maiestaticum, et insuper ex contractu ius populi ad principem devolutum fuisse, qua devolutione, princeps maiorem adhuc auctoritatem obtinuit.

In hoc systemate ab aliquibus facta est distinctio iuris *in sacra* et iuris *circa sacra*, seu ut alii dicunt, in *iura collegialia* et *iura maiestatica*. Ius *circa sacra* est suprema potestas circa res sacras; ius vero *in sacra* est inferior administratio earum rerum quae sacrae dicuntur.

Princeps ius *circa sacra* habet; quod ius *indirectum* vocatur, quia religio non est directe obiectum reipublicae civilis. Hoc vero ius *circa sacra* duo importat, alterum negativum quod ius *cavendi* vocant, et duobus praecipue continetur, iure nempe *Regii Placet* et *iure appellationis ab abusu*, alterum positivum quod *ius regendi* vocant et principi concedit *ius inspectionis reformationis* et insuper ius ea omnia determinandi quae sive ad disciplinam, sive ad dogmata referuntur.

Qui errores licet directe ipsam Ecclesiae internam constitutionem impetant, eius tamen etiam iuridicam perfectionem eos evellere nemo est qui non videat.

42. — 3° **Ratio methodi.** - Probationes quas allaturi sumus ad probandam Ecclesiae perfectionem iuridicam supponunt adversarios Ecclesiam, ut societatem a Chr. institutam et a civili distinctam et vere iuridicam admittere.

Quodsi contra incredulos probatio perfectionis Ecclesiae facienda sit, tunc nostra argumenta valebunt solummodo, postquam iisdem Ecclesiae divina institutio a Chr. facta, eius distinctio a societate civili, eiusque iuridicitas probata fuerint; quae omnia, aut ex theologia fundamentali, aut ex iis quae supra, hac paragrapho, diximus haurienda sunt.

His praemissis nostram statuimus:

4° **Thesim.** - *Ecclesia est societas iuridice perfecta seu a qualibet alia independens.*

a) Probatur ex natura ipsius Ecclesiae. - α) *Quia Ecclesia est*

societas suprema. - Societas natura sua suprema et perfecta esse debet, seu ad aliam ordinari nequit, nec mediis ad finem consequendum destitui potest. At Ecclesia est talis societas suprema; ergo ipsa et perfecta sit oportet.

Ad maiorem notamus: 1° Societatem supremam ad aliam ordinari non posse evidens esse - si enim ad aliam ordinaretur iam non esset illa societas suprema, sed sub illa ad quam ordinaretur.

2° Societas suprema necessaria mediis ad finem suum consequendum destitui nequit; si enim his destitueretur, cum finis eius necessarius sit, media ab altera societate emendicare deberet quae ad seipsam ordinata sit, vel quae cum seipsa nullum nexum habeat. At absurdum est societatem aliquam in mediis ab illa dependere quae ad semetipsam ordinata est, vel etiam ab illa cum qua nullum nexum habet; ergo omnino dicendum est societatem supremam nullo modo mediis ad finem necessariis destitui posse.

3° Ad obiectiones solvendas nota tamen non omnem dependentiam circa media, opponi perfectioni iuridicae, sed illam tantummodo quae nec in requirente ius ad illa media requirenda, nec in societate a qua requiruntur obligationem ad requisita media concedenda supponit. Si enim is qui ab alio medium requirit ius illud auctoritative exigendi habet, nec is a quo requiritur illud recusare potest, dependentia iuridica non habetur, sicut et pater non pendet iuridice a filio a quo senex alimenta et alia insuper necessaria adiumenta requirit.

Ad minorem. - Nulli dubium esse potest Ecclesiam esse societatem omnium supremam. Praestantia enim et superioritas unius societatis super alteram fine societatum exclusive dimetienda est, a quo specifica differentia inter varias societates oritur. Alia enim elementa, quae ad societatem constituendam necessaria sint, aut in omnibus societatibus paria sunt aut saltem esse possunt, licet societates sint inter se specifice diversae; unus finis societatem alteram ab altera specificat intrinsece. Aliis verbis in qualibet societate haberi debet pluralitas hominum, vinculum sociale, bonum commune; at, dum duo priora in qualibet societate etiam specifice diversa aequalia esse possunt, tertium elementum non potest, alioquin eo ipso differentia specifica non haberetur [1]. Societas igitur suprema ea erit agnoscenda quae supremum finem habet. Finis autem Ecclesiae seu salus animarum et vitae aeternae consecutio omnibus aliis finibus natura sua praestat. Ecclesia ergo indubitanter societas suprema est, quia finem supremum habet.

β) *Quia est una et universalis.* - Ecclesia a Christo instituta est *una* non solum specifice, sed et numerice et regimine. At non potest esse *una* numerice et regimine nisi sit omnino independens a qualibet alia societate seu, nisi in se *realiter* aut *virtualiter* habeat omnia necessaria ad finem suum consequendum, proindeque perfecta sit: ergo Ecclesia societas perfecta dici debet.

Ad maior. - Ecclesiam unam regimine et numerice a Christo institutam fuisse probatum supponimus ex theologia fundamentali, ubi de Ecclesiae unitate fuse agitur, et probant theologi ex multis sacrae Scripturae textibus:

---

[1] Cfr. Macksey, *l. c.*, 413; Cavagnis, *l. c.*,; Tarquini, *l. c.*, n. 7, III.

« Multi unum corpus sumus » [1]; « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus » [2], et ex doctrina catholica de Petri et R. Pontificis primatu in Ecclesia [3].

Ad minor. - Ecclesiam vero non posse esse *unam* numerice et regimine, nisi sit omnino independens a qualibet alia societate, seu nisi in se realiter aut virtualiter habeat omnia ad finem consequendum necessaria, ita probari potest.

Si Ecclesia non haberet nec *realiter* nec *virtualiter* ea quae ad suum finem consequendum necessaria sunt; ea emendicare deberet a societate civili, quae unice est altera societas specifica perfecta, et hoc ipso societas civilis superior esset ecclesiastica. At societas civilis est una specifice tantum, non numerice, seu unitatem regiminis non habet, quam ex Christi institutione habere debet Ecclesia. Ergo Ecclesia a singulis societatibus civilibus pendens, iam una, eo ipso, esse cessaret; tot enim haberentur Ecclesiae quot principes civiles a quibus ipsa penderet. Quod et factum revera esse conspicimus pro sectis haereticis et schismaticis, quae tot sectas constituunt quot sunt Status a quibus sustentantur; et de unitate regiminis immo et fidei apud illos amplius sermo esse nequit.

Recte notat Cavagnis utrumque superius allatum argumentum dici ex *natura* sua non absolute, sed solum supposita Ecclesiae institutione a Deo facta; si enim ab ista praescindamus vis argumentorum aut valde minuitur aut penitus evanescit [4].

43. — *b) Probatur secundo ex positiva Institutoris auctoritate* - Dupliciter hoc argumentum proponi potest:

α) Christus Ecclesiam fundavit cum fine nobilissimo et supremo; at absurdum est Christum societati cum fine nobilissimo et supremo non dedisse simul ea omnia quae ad finem obtinendum necessario requiruntur; ergo omnino affirmandum est *a priori* Christum Ecclesiae ea omnia, quae ad finem consequendum necessaria sunt, dedisse. At societas quae finem supremum habet et simul ea omnia quae ad finem consequendum requiruntur, recte dicitur societas perfecta; ergo Ecclesia est revera societas perfecta.

Ad maiorem. - Christum Ecclesiam fundasse cum fine nobilissimo et supremo ipsa eiusdem finis enuntiatione patet; finis enim Ecclesiae, ut ex revelatione praesertim innotescit, est aeterna hominis felicitas ad quam ultimo tota ordinatur et subordinatur hominis vita terrestris.

Ad minorem. - Si Christus Ecclesiae a se creatae cum fine nobilissimo et supremo media necessaria ad eum consequendum non contulisset, eandem alteri societati inferiori necessario subiecisset. At absurdum est Deum ita inordinate agere ut societatem supremam (a fine enim praeeminentia so-

---

[1] *Rom.*, XII, 5.
[2] I *Corinth.*, XII, 13.
[3] Cfr. Knoll, *Theolog. Gener.*, § 283; Hurter, *Theologia generalis* [11] n. 286.
[4] Cavagnis, *l. c.*, I, 208.

cietatum dimetiri vidimus) alteri inferiori submiserit. Reliqua argumentationis per se clara sunt.

β) Alio modo argumentum proponi potest: - Ecclesia est societas perfecta, si eidem Christus contulit omnia quae sunt societatis perfectae. At revera Christus Ecclesiae contulit omnia quae sunt societatis perfectae; ergo Ecclesia est societas perfecta.

Ad maiorem. - nihil est addendum, quia per se clara est, nec ulla indiget probatione, dummodo admittatur Christum Deum esse et proinde Ecclesiae omnia necessaria dare potuisse.

Ad minorem. - Inter essentialia societatis perfectae praeter finem in suo ordine ultimum recte enumerantur independentia, potestates legifera, iudicialis et coactiva. Quae omnia revera, a Christo Ecclesiae a se fundatae data fuisse patet ex S. Scriptura. Et primo quidem Christus Ecclesiam independentem constituit: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* [1]: quibus verbis Christus apostolis potestatem praedicandi dat, independenter a qualibet societatis civilis potestate. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* [2]. His verbis non minus clare significatur Ecclesiam, non super auctoritates humanas, sed ab illis independenter creari. - Christum dedisse insuper Ecclesiae potestates legiferam, iudicialem, et coactivam sequentibus paragraphis melius videbimus, ubi de his Ecclesiae potestatibus ex professo agemus.

44. — *c) Probatur tertio ex Ecclesiae divina traditione manifestata praesertim:*

α) *per SS. Patres;*

β) *per praxim apostolorum* et eorum successorum in Ecclesiastica hierarchia;

γ) *per Summorum Pontificum documenta:*

α) *Ex divina traditione per SS. Patres transmissa.* Quod argumentum ita proponit cl. Cavagnis. SS. Patres affirmant:

1° Plenitudinem potestatis esse in ecclesiastico magistratu.

2° Verum imperium et quidem civili praestantius esse in Ecclesia.

3° Praeter ecclesiasticos magistratus, neminem aliquid auctoritatis habere in Ecclesia, etsi rex est et imperator.

4° Subesse Ecclesiae in iis quae ad eius finem assequendum pertinent, etiam supremos magistratus; et ita quidem ut, si contra quid egerint, iniuria eos egisse affirment.

Horum autem testimoniorum textus hic integre afferre non vacat; praecipuos tantummodo referemus [3].

---

[1] Marc. XVI, 15-16.

[2] Matth. XVI, 18-19.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 222. Qui plura de hoc desiderat invenire poterit apud auctores praesertim vero apud Roskovany, *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae.*

S. Ignatius martyr in epist. *ad Trallenses* haec habet: « Quid est aliud Episcopus quam is qui omnem principatum et potestatem in Ecclesia obtinet? ».

S. Gregorius Nazianz. orat. 17 *ad Theodos.*: « Te quoque, imperator, imperio meo et throno, lex christiana subiicit. Imperium enim et nos quoque episcopi gerimus; addo etiam praestantius et perfectius ».

S. Ioannes Damascenus orat. 2. *De imaginibus:* « Tibi parebimus, imperator, in his quae ad huius saeculi negotia pertinent. Verum ad res Ecclesiae statuendas, pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque instituta ecclesiastica tradiderunt ».

S. Fulgentius [1]: « Quantum pertinet ad huius temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, invenitur »; quo loco a Suarezio refertur etiam dictum Constantini ad episcopos « Potestatem vobis dedit Deus de nobis quoque iudicandi, et ideo nos a vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari » [2].

Lucifer Calaritanus sic alloquitur imperatorem: « Proba te super nos factum iudicem, proba ad hoc te constitutum imperatorem, ut nos armis tuis..... perduceres. Cum probare non possis, quia praeceptum sit non solum non dominari Episcopis sed et ita eorum obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris... morte mori iussus sis » [3]. Quae verba Luciferi his verbis ab Athanasio approbata sunt: « Videris esse templum Salvatoris qui in te habitans haec ipsa per se loquitur... Crede mihi, Lucifer, non tu solum haec loquutus es, sed Spiritus Sanctus tecum...» [4].

Et haec iam ex SS. Patribus sufficere possunt.

β) *Ex divina traditione per praxim Apostolorum et eorum in ecclesiastica hierarchia successorum.*

Apostoli Christi praeceptum sequuti: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*, tum verbi tum factis Ecclesiae ea quae uni societati perfectae competunt, attribuerunt.

Et primo quidem claris verbis, S. Paulus [5] docet voluntate Dei directe ab omni humana potestate independenter se creatum fuisse Apostolum; minatur se ulturum omnem inobedientiam [6]; et quidem secundum potestatem quam dedit illi Dominus [7].

Sed hoc clarius adhuc ex praxi apostolorum deduci potest: etenim apostoli in concilio Hierosolymitano leges Ecclesiam obligantes tulerunt [8]. Verum quidem est apostolos obedientiam legibus civilibus praecepisse, at hoc solum cum utraque obligatio a lege tum ecclesiastica, tum civili imposita adimpleri poterat, non pro casu conflictus inter utramque legem; cum

---

[1] Apud Suarez, *Defensio fidei*, I, VI, cap. 1, n. 4.
[2] Cfr. Suarez, *l. c.*
[3] Lucifer, l. I, *Pro Athanasio ad Constant. imperat.*
[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 223; Tarquini, *l. c.*, n. 45 etc.
[5] *Galat.*, I, 1.
[6] II *Corinth.* X, 6.
[7] II *Corinth.* XIII, 10.
[8] *Act.* XV, 24, 25, 28, 29.

enim conflictus inter legem Dei et civilem habetur, tunc clare proclamant: *Obedire Deo oportet magis quam hominibus.*

Nec dici potest principes paganos et gentiles non potuisse in Ecclesia primatum gerere, quia gentiles erant, et non christiani; etenim, principes, dum convertuntur non acquirunt aliquod ius in Ecclesiam, sed potius obligationem sese eidem in omnibus quae ad religionem spectant submittendi. Quam Apostolorum praxim Ecclesia semper servavit et SS. Patres, Romanique Pontifices exilia et mortem aliquando subiere potiusquam iuri suo et Ecclesiae independentiae, libertatique renuntiarent, ut ex historia constat.

γ) *Ex divina traditione per documenta RR. Pontificum manifestata.* - Romani Pontifices semper sua praxi independentiam a qualibet civili potestate comprobarunt, leges pro universa Ecclesia condendo et sanctiones contra inobedientes statuendo, necnon eosdem iudicando et puniendo; praesertim vero usurpationibus civilis auctoritatis contra iura Ecclesiae fortiter resistendo. Qua in re videndae sunt *distinctiones* 96 *et* 97 Decret. Gratiani per integrum.

Et factis quidem facta seu positivam resistentiam opposuerunt Romani Pontifices; at iam ab antiquo etiam verbis protestati sunt contra usurpationes practicas, et errores has usurpationes iustificare tentantes. Ita S. Gelasius ad Imperatorem Anastasium I, a. 494, haec rescribebat: « Duo quippe sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur; auctoritas sacrata Pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti igitur inter haec ex illorum re pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem, etc. » [1]. Et Nicolaus I ad Michaelem imperatorem a. 865: « Imperium vestrum suis publicae rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare, quae sacerdotibus Domini solum conveniunt » [2]. Item c. 1, D. X eiusdem Nicolai ita summatur: « Lex imperatorum ecclesiastica iura dissolvere non potest ». Et fortius adhuc c. 7 D. XCVI: « Ratio evidenter ostendit, a saeculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat a pio principe Constantino (quem longe superius memoravimus) Deum appellatum: nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum est »; et c. 11, D. XCVI: « Si imperator catholicus est, filius est non praesul Ecclesiae... Ad sacerdotes enim Deus voluit, quae Ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad saeculi potestates: quas si fideles sunt Ecclesiae suae

---

[1] C. 10, D. 96. Friedberg (*Corpus iuris canonici* [2], 1922) hunc canonem longe posteriorem et cum Jaffé a Gregorio VII a. 1081 conscriptum habet.

[2] C. 5, D. X.

sacerdotibus voluit esse subiectas. Non sibi vindicet alienum ius, et ministerium quod alteri deputatum est » [1].

At id multo magis praestiterunt RR. Pontifices postquam usurpationes seu invasiones auctoritatis civilis in ecclesiasticam systematice primo a Marsilio Patavino, dein a Febronio, Richerio aliisque defendi coeptae sunt. Ioannes enim XXII, 28 Oct. 1327, librum Marsilii Patav. damnavit. Item in *Indicem* relati sunt plures libri Gallicanorum, Regalistarum, et Febronianorum qui omnes eo intendebant ut Ecclesiam societati civili subiicerent [2].

Maximi insuper momenti est hac in re encyclica Leonis XIII « *Immortale Dei* » [3], 1° Nov. 1885, in qua una cum natura et origine societatis civilis etiam natura Ecclesiae, eiusdemque cum Statu relationes necessariae describuntur.

Item maximam, in iure publico, considerationem meretur Pii X epistola encyclica « *Vehementer nos* », 11 Febr. 1906.

45. — *d) Probatur quarto ex ipso facto exsistentiae Ecclesiae.* - Exsistentia Ecclesiae catholicae societatis perfectae ab omnibus admissa, ut factum mere historicum et omnibus perspicuum, etiam ut factum iuridicum admittenda est, si huius facti illegitimitas probari nequeat. At ista illegitimitas probari nequit. Ergo ipsum exsistentiae Ecclesiae societatis perfectae factum, ut factum iuridicum et legitimum admittendum est.

Ad maiorem. - Duplex assertio in maiori continetur.

1° Exsistentiam Ecclesiae ut societatis perfectae esse factum historicum omnibus perspicuum et ab omnibus admissum. Et re sane vera, *Ecclesiam exsistere* nemo forte unquam negavit, nec negare audet.

---

[1] Hic canon Ioanni papae inscribitur; a. 872-882, at incerti auctoris est.

[2] Cfr. Rivet, *l. c.*, pag. 47 sq.

Alios errores contra Ecclesiae independentiam seu perfectionem iuridicam damnavit Innocentius XI, 11 Apr. 1692, item Alexander VIII, 4 Aug. 1690; Pius VI, 28 Aug. 1794. Pius IX in sua encyclica *Quanta cura* et variis Syllabi propositionibus praesertim vero propos. 19: « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint iura et limites intra quos eadem iura exercere queat », et 24: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, nec potestatem ullam temporalem directam vel indirectam ». (Cfr. L. Choupin, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège*, 2 Edit., pag. 244 et sq.

[3] « Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis; atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili; et, quod plurimum interest, *societas est genere et iure perfecta*, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia ». Encycl. « *Immortale Dei* », 1 Nov. 1885.

Item nemo negare potest factum ipsius *exsistentiae, ut societatis perfectae,* quia de facto Ecclesia suas leges, suos iudices, suos magistratus habet qui iuxta leges iudicant et ipsarum exsecutioni praesunt; et haec independenter a qualibet Status ingerentia.

Haec facta sunt et omnibus perspicua. Sufficit legum canonicarum Codicem aperire et volvere; sufficit harum legum observantiam in praxi quotidiana observare.

2° Secunda assertio est, hoc factum historicum etiam ut factum iuridicum admittendum esse, si eius illegitimitas probari nequit.

Hanc assertionem veram esse patet ex effato iuris: *Omne factum praesumitur recte factum:* quo universus fere regitur mundus, ex eo enim quod aliquid exsistit legitime exsistere tenendum est, nisi contrarium probetur.

Ad minorem. - At illa illegitimitas probari nequit. Ad hanc illegitimitatem probandam, probandum esset factum huius exsistentiae contrarium esse iuri naturali aut iuri positivo divino, non enim sufficit, ut ei ius positivum civile contradicat, quia ius civile nequit sanctionem statuere extra limites suae potestatis et in casu Ecclesia est extra limites potestatis civilis.

At ista contrarietas inter ius naturale aut divinum positivum et Ecclesiam probari nequit; - ergo nec illegitimitas huius facti probari quit.

Ut ex iure naturali probari posset illegitimitas Ecclesiae probandum esset - eius finem - et media ad finem illicita esse. At hoc non solum probari nequit, quin et contrarium probatur, nempe, Ecclesiae finem, et media ad finem sanctissima esse. Et re sane vera quis finis sanctior quam salus animarum; et quae media sacramentis sanctiora? [1].

46. — Scholion. - Obiectiones contra perfectionem iuridicam Ecclesiae. - Fere innumerae contra statutam de perfectione iuridica Ecclesiae thesim fieri solent obiectiones in quarum confutationem nobis insistendum non esse putamus, quia earum solutio in omnibus auctoribus, qui de iure publico Ecclesiae tractant, inveniri potest [2].

Hic tamen quasdam notulas adiicimus quae ad praecipuas obiectiones solvendas inserviant. Notamus igitur:

1° Quod obiiciunt Statum in Statu repugnare, et Ecclesiam esse Statum in Statu, distinctionibus indigere.

Si voces Status in hac obiectione univoce accipiantur, idest pro societate perfecta cum eodem fine, iisdem mediis, iisdem membris, eodem territorio, eademque iurisdictionis specie, concedimus utique Statum in Statu repugnare, quia duo essent eiusdem generis imperia, in eosdem, quorum alterum alterum excluderet. Si vero voces Status intelligantur simpliciter pro societatibus perfectis, quae finem inter se distinctum habent, sicut et iurisdictionis speciem et media ad finem, licet forte iisdem subditis imperent, tunc nulla est repugnantia coexsistentiae utriusque, immo necessitas coexsistentiae adesse potest, sive ex iure naturae, sive ex iure positivo.

Et ita revera esse, si quaestio fiat concrete de Ecclesia et Statu, patet. Utrumque enim, Ecclesia nempe et Status est societas perfecta, at cum

---

[1] Cfr. G. Monetti, *La società dei popoli*, n. 73 sq., ubi idem argumentum proponitur.

[2] Cfr. Tarquini, *l. c.*, n. 46 et sq.; Cavagnis, *l. c.*, I, 226; Cappello, *l. c.*, I, pag. 140 sq.; Rivet, *l. c.*, pag. 66 sq.

distincto prorsus fine, spirituali et temporali; cum distinctis mediis spiritualibus et temporalibus; cum distincta specie iurisdictionis, spirituali et temporali. Utraque societas est pariter necessaria, altera iure naturae ad bonum temporale, altera iure positivo divino ad bonum spirituale hominis. Utraque igitur simul coexsistere sine ulla repugnantia potest, immo et debet.

Denique si aliqua esset repugnantia inter utriusque exsistentiam, illius, quae inferior est, exsistentia superiori locum cedere deberet.

2º Quod autem obiiciunt de necessitate conflictus inter utrasque societates, id omnino negari debet ex natura rei evenire posse; unaquaeque enim societas finem et una cum fine iura determinata habet, non a lege humana quae errare potest, sed a lege Dei (pro societate civili a lege naturali, pro societate ecclesiastica a lege positiva divina) quae omnem conflictum realem excludit, nisi dicatur Deus sibi contradicere posse, quod blasphemum est.

Per accidens vero si conflictus de facto habeatur, tunc ex errore vel usurpatione unius societatis contra aliam, originem necessario haberet, quod et in aliis factis humanis quotidie accidere videmus, ut in furtibus, rapinis, et omnis generis delictis, quae utique eveniunt, at iniuria eveniunt, nec ulla lex haec admittere potest. Quem errorem aut usurpationem, si evidentia sint, unaquaeque societas corrigere potest per se; etenim « utraque (societas) est in suo genere maxima, habet utraque certos, quibus contineatur terminos, eosque sua cuiusque natura, causaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usu venire possit ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse...

« Inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio; quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis causarum, cum alteri proxime, maximeque propositum rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare » [1].

Quodsi conflictus oriatur non ex pura alterutrius usurpatione, sed ex vere dubio iure utriusque quod in humanis evitari nequit; tunc, de iure, superioris societatis erit iura definire cui definitioni et inferior societas stare debet; at in praxi melius erit rem mutuo consensu per concordatum componere.

3º Obiectioni quae Ecclesiae perfectionem iuridicam negat et ex eo quod ipsa territorium non habeat, respondendum est:

a) Falsum esse Ecclesiam non habere territorium, immo ipsa totum mundum, pro territorio in quo suam iurisdictionem exercere possit, habet: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae...*

---

[1] Encycl. Leonis XIII « *Immortale Dei* », 1º Nov. 1885.

Unde S. Bernardus [1] ait: « Orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam ».

b) Quodsi intelligatur Ecclesiam non habere territorium in quo temporalem etiam exerceat auctoritatem, hoc utique concedimus, at etiam verum est hoc non requiri ad iuridicam Ecclesiae perfectionem constituendam; secus nec Status societas perfecta esset, cum nec ipse in suo territorio iurisdictionem spiritualem habeat.

c) Deinde distinguendum est ius iurisdictionis a iure dominii privati, sicut et ius iurisdictionis civilis a iure iurisdictionis ecclesiasticae. Haec enim omnia inter se, non solum distinctione nominali, differunt, sed vera et reali divisione, ita ut generatim in diversis subiectis inveniatur. Ita, e. g., eiusdem territorii alius habet dominium privatum proprietatis, alius dominium iurisdictionis publicae; ita pariter alius habet iurisdictionem publicam politicam seu civilem, alius vero iurisdictionem publicam ecclesiasticam. Nec ideo proinde dicendum est Statum non esse societatem perfectam, quia in determinato territorio non habet praeter publicum dominium iurisdictionis et dominium privatum proprietatis, aut ius iurisdictionis spiritualis. Sicut igitur nulla est repugnantia, Statum (societatem civilem perfectam) exsistere posse sine dominio privato, in determinato aliquo territorio, in quo tamen ius publicae potestatis politicae (iurisdictionis civilis) exercet, ita et pro Ecclesia nulla est repugnantia, ipsam, ut societatem perfectam exsistere posse, quin ius dominii exerceat in territorio in quo ius iurisdictionis publicae ecclesiasticae habet. Audiatur hac in re cl. Cavagnis: « Fundamentum difficultatis oritur ex falso supposito, ius in aliquo territorio esse indivisibile, adeo ut qui dominus est, talis sit quovis sub respectu; quod non est verum; etenim ius in territorio oritur ex titulo illud conferente; sed titulus potest conferre dominium privatum, quin conferat politicum, et politicum quin conferat ecclesiasticum. Hinc dominium unius est ius exclusivum aliorum, sed in eodem ordine, idest dominium privatum Caii, excludit dominium privatum Sempronii, sed non excludit politicum regis; et ita ius politicum regis, non excludit dominium seu ius religiosum Pontificis. Hinc falsa sententia protestantium: « Cuius est regio, illius est et religio » [2].

4º Quod obiiciunt ex natura Ecclesiae quae sit societas religiosa et spiritualis, nec proinde iuridicitate gaudeat, quia solum ad spiritualia mediis spiritualibus tendere debeat, falso item supposito innititur.

Etenim ista duo non opponuntur inter se: religiosum esse simul et iuridicum, sicut nec opponuntur spirituale et iuridicum. Ecclesia est ergo societas spiritalis ratione finis, quia finem spiritalem habet, et a fine nomen habet; at non est spiritalis ratione membrorum, nec proinde ratione mediorum, secus esset societas spirituum; societas autem hominum, licet ad finem spiritualem inita, mediis proportionatis cuilibet humanae societati uti debet; quae media si iuridicitate destituantur iam inefficacia erunt et societas inutilis evadet.

Quae quidem de iuridicitate perfecta Ecclesiae a Status iuridicitate

---

[1] Ad Eugenium III, lib. III, *De consid.*, cap. I.

[2] Cavagnis, *l. c.*, I, 245.

distincta valent de iure positivo, divina Ecclesiae institutione supposita; si enim cultus publici ex iure naturae ordinatio consideretur nulla esset repugnantia, ut alibi vidimus, Statum seu societatem civilem etiam in ordine religioso, iure tamen devolutivo, idest, si alia defuisset societas ad hoc expresse instituta, exclusiva iurisdictione perfecta gaudere. Ex quo iure naturae sequitur in societatibus infidelibus quae, nempe, Christi religionem nondum receperunt, si societas religiosa ad hoc expresse non habeatur, quoadusque baptizentur et convertantur ius religionis ordinandae, servatis tamen iuris naturalis principiis, ad principes civiles spectare posse.

Ex quibus patet plures modernorum liberalistarum et rationalistarum obiectiones contra iuridicam Ecclesiae perfectionem in aequivoca vocis *iuridicae* et *civilis* acceptione fundari; illud enim asserunt esse iuridicum quod civile, et civile exclusive quod est iuridicum. At ista aequivocatio tandem aliquando ex erroneo principio oritur, Statum esse omnium iurium fontem; quo proinde principio reprobato, omnes obiectiones cadunt.

Responderi igitur potest huiusmodi obiectionibus cum Cavagnis: « Male confunditur obligatio iuridica cum obligatione civili, omnis enim obligatio civilis iuridica est, sed non viceversa. Et sane, iustitia viget inter homines et extra societatem civilem, et iustitia viget et in societate mere religiosa » [1].

5° Quod obiiciunt Ecclesiam non esse societatem perfectam, quod non habeat iura maiestatica, in aequivoca pariter nominis iurium maiestaticorum acceptione fundatur; etenim aut iura maiestatica publica potestas civilis (*pubblico potere*) intelliguntur; aut simpliciter publica potestas cuiusvis societatis perfectae; si primo modo intelligatur, quia exclusive illud nomen ad civilem societatem referunt, ultro concedimus Ecclesiam non gaudere iuribus maiestaticis; at simul negamus iura maiestatica, hoc sensu intellecta, ad quamlibet societatem perfectam requiri; si vero secundo modo iura maiestatica intelligantur, Ecclesiae certo competunt; ipsa enim publicam potestatem et quidem independentem (legiferam, iudicialem, exsecutivam) habet. Non negamus tamen iura maiestatica priori sensu generatim intelligi, idest, pro publica potestate civili [2].

6° Quae obiiciunt ex Evangelio aut ex B. Paulo ad negandam Ecclesiae perfectionem iuridicam; et praesertim ex eo quod Christus docet Apostolos non debere dominari sicut principes gentium [3]; aut quod Paulus, apostolos, nempe, Christi non debere sese immiscere in negotiis saecularibus et ex aliis similibus locis, refelluntur notando illa verba et adhortationes non esse accipienda separatim a reliqua Christi doctrina aut S. Pauli; sed cum aliis claris textibus eorundem esse concordanda. S. Paulus et Christus, ut iam alibi vidimus, expresse Ecclesiae potestatem agnoscunt perfectam et in suo ordine independentem.

Quod igitur docet, loco citato, Christus de non dominandis populis more principum gentilium intelligendum est de moderamine in dominando,

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 236.

[2] Cfr. tamen Emmanuele de Sarzana, *Manuale di diritto costituzionale della Chiesa catt. apost. romana*, n. 9 et sq. ubi Ecclesiam *Statum* esse asserit. Item Monetti, *La Società dei popoli*, n. 73. Ecclesiam esse Statum asserit.

[3] Luc. xx, 25-26.

seu de non dominandis populis ad exclusivum commodum ipsorum dominorum, sed potius ad publicam populi universi utilitatem cum humilitate et mansuetudine, sicut et ipse Christus fecit, cui tamen certe ius quo alii principes gaudent non deerat.

Negotia vero saecularia quibus, ex S. Pauli verbis [1], sese implicare non debent Christi discipuli, sunt negotia quae ad vitam aeternam nullo modo referuntur, sed potius ab ea avertunt. Negotia autem quae ad finem supernaturalem tendunt, licet per se materialia, quia elementis materialibus constant, saecularia vocanda non sunt sed spiritualia, eaque maxime Christi discipulos decent.

Et haec quidem attigisse sufficiat ex innumeris obiectionibus quae contra Ecclesiae potestatem perfectam et iuridicam fieri solent.

Obiectiones ex SS. Patribus non refutamus, quia eorum refutatio inveniri potest apud auctores supra citatos et quia nostris diebus quibus adversarii nostri sunt liberalistae, rationalistae et socialistae, qui armis traditionis non utuntur nec uti sciunt, minus practicae videntur.

Phrasis aliqua forte male sonans nostris diebus, est celebris phrasis S. Optati Milevitani: « Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est, idest in romano imperio... » [2] quae recte explicatur, si ratio habeatur temporis et occasionis quibus illa verba pronunciata sunt. Pronunciata sunt enim contra Donatum haereticum, qui imperatores contra praeceptum Apostoli despiciebat; et tempore quo Ecclesia in romano imperio et exclusive intra illud suis iuribus et suae libertatis exercitio potiebatur.

CAPUT II.

De Ecclesiae publica potestate seu de potestate legifera, iudiciali et exsecutiva.

47. — *Connexio materiae.* - Supra, principium statuimus Ecclesiam esse societatem perfectam a qualibet alia independentem; idque probavimus ex sui natura, ex positiva Christi sui fundatoris voluntate et tandem ex divina traditione, variis modis manifestata.

Ad probandam autem Ecclesiae perfectionem ex sui Fundatoris positiva voluntate, hoc proposuimus argumentum: Ecclesia est societas perfecta si eidem Christus concessit omnia quae ad societatem perfectam constituendam ex natura rei requiruntur. At de facto ista dedit ei Christus; ergo etc.

Minorem autem huius argumenti propositionem tunc non probavimus, illius probationem huc remittentes. Nunc vero hic proprius locus est eam probandi: Christus Ecclesiae suae omnia quae ad

---

[1] II *Timoth.* IV, 45.

[2] Cavagnis, *l. c.*, I, 261.

finem eius prosequendum necessaria sunt donavit; eam proinde societatem perfectam instituit.

Quaenam autem sunt necessaria ad finem Ecclesiae consequendum? aut quaenam requiruntur in qualibet societate perfecta ut finem consequi possit?

In qualibet societate perfecta, si finis obtineri velit, necessario requiritur publica potestas, seu requiritur, primo ut in societate *ius* agnoscatur *normas statuendi*, quibus socii ad finem tendere debeant; hoc nisi fiat, unusquisque socius independenter operabitur et viam suam sequetur et de finis socialis assecutione iam actum erit. Normae autem istae seu media ad finem una cum *sanctione* statuenda sunt, ita ut omnes socii iis uti teneantur. Requiritur secundo *ius* seu potestas casus *conflictus* inter societatem et socios, aut inter socios simpliciter ortos, auctoritative *componendi* aut dirimendi. Requiritur tertio *ius leges* seu normas publicas datas *exsequendi* sive ordinariis modis, sive extraordinariis, adhibita, quoties opus fuerit, vi contra inobedientes et transgressores.

His tribus potestatibus nempe *legifera*, *iudiciali* et *exsecutiva* iam supra vidimus totam publicam contineri potestatem (*potere pubblico*), eaque id omne contineri quod ad societatem perfectam constituendam requiritur.

Has autem potestates Ecclesiae competere nunc probandum nobis est praesertim ex Christi sui Fundatoris voluntate. Quam probationem statim per partes suscipimus.

48. — I. Christus Ecclesiae potestatem legiferam et quidem a Statu independentem contulit [1]. - 1° *Patet ex Evangelio.* - Dixit Iesus Chr. Petro: « *Tibi dabo claves regni coelorum, quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* [2] ». Quae verba cum aliis consonant omnibus apostolis datis: « *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* » [3].

Circa quae notant auctores Christum, sicut mos est orientalibus, figurate loqui: voce enim *ligare* idem significatur ac legibus efficaciter obligare, verbo autem *solvere* idem ac deobligare aut leges abrogare.

Insuper Christus non dixit Petro aut Apostolis: *Ite ad reges aut principes, eosque rogate ut vobis dent, vel vobis permittant solvere et ligare fideles;* sed dixit: *Quodcumque ligaveris* etc., ex quibus non quaelibet, sed legifera

---

[1] Cfr. Chas. Augustine, *l. c.* I⁴, 195

[2] Matth. XVI, 18-19.

[3] Matth. XVIII, 18.

potestas a Statu omnino independens apostolis et per ipsos Ecclesiae data intelligitur.

Item Christus dixit Apostolis: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete...* [1]. Quibus verbis expresse communicatur apostolis et per ipsos Ecclesiae omnis potestas qua et Christus gaudebat, quae certe ius ferendi leges in materia spirituali comprehendebat. Ad quid enim Christus provocaret ad omnem sibi datam potestatem in coelo et in terra? [2]

49. — 2° *Ex praxi et doctrina apostolorum et Ecclesiae.* - Loca supra allata ad Ecclesiae potestatem legiferam independentem demonstrandam apostoli, modo supra explicato, intellexerunt atque ad praxim deduxerunt. In concilio enim Hierosolymitano veras leges ecclesiasticas tulerunt, atque fidelibus promulgarunt, sine ulla a civili potestate dependentia [3].

Item Ecclesia post Apostolorum tempora sive in conciliis adunata, sive per suos praesules, etiam separatim sumptos, leges ecclesiasticas intra ambitum suae competentiae tulit, nulla requisita civilis auctoritatis permissione, immo saepe ipsa refragante.

50. — II. **Ecclesiae potestatem iudicialem Christus contulit et quidem a Statu independentem** [4]. - 1° *Ex verbis Christi.* - Christus de modo solvendi controversias quae inter fideles oriri possunt, sequentia docuit Apostolos: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis quaecumque alligaveritis...* [5].

Quibus verbis duo distincta omnino continentur. Primo Christus suis fidelibus caritatem et patientiam consulit, et ad id eos adhortatur, cui adhortationi si quis non cedat, tunc pro ipso tribunal Ecclesiae adeundum est, quae vere pronuntiat in concreto de rectitudine aut malitia, in quo proprie iudicialis potestatis exercitium consistit.

Ex iisdem verbis et independentia potestatis iudicialis demonstratur, quia Christus non remittit ad civilem potestatem, sed ad Ecclesiam utique imperantem et docentem.

Idem probari posset ex iisdem verbis, eodemque argumento quibus supra potestatem legiferam probavimus.

---

[1] Matth. XXVIII, 18-20.

[2] « Revera Iesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta cum ferendarum legum veri nominis facultate ». Encycl. « *Immortale Dei* », 1 Nov. 1885.

[3] *Act. Apost.* XV, 28-29.

[4] Cfr. Chas. Augustine, *l. c.* I[4], 197-198.

[5] Matth. XVIII, 15-18.

51. — 2° *Ex praxi Apostolorum.* - Quam potestatem iudicialem Apostoli sibi de facto agnoverunt, et exercuerunt.

Ita S. Paulus iudicium profert de incestuoso fideli Corinthio, ratione peccati, licet de causa mixti fori ageretur. Ex quo patet multo magis causas mere spirituales sibi reservatas ipsos agnovisse [1].

S. Paulus docet Timotheum modum recipiendi accusationem contra presbyterum: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* [2]. Ex quo evidenter patet iuxta S. Paulum Episcopos posse de presbyteris iudicare, independenter a civili potestate.

52. — 3° *Ex doctrina et praxi Ecclesiae* [3]. - Primis saeculis, durante persecutione, christiani instructionem sequuti S. Pauli suas lites ad Episcopos retulerunt, nulla servata formula iudiciali. Pace Ecclesiae reddita, sollemnior evasit modus procedendi, et melius determinari coeperunt causae Episcopis reservatae aut synodis. Iustinianus in suo Codice titulum habet *De Episcopali audientia* [4].

Id multo magis saeculis sequentibus evenit, quibus forum privilegiatum clericorum etiam pro causis mere civilibus agnitum et melius determinatum est.

Deinde cum saeculo XIII et sq. varii errores circa potestatem Ecclesiae iudicialem orti essent, Concilium Tridentinum hunc canonem statuit: *Si quis dixerit causas matrimoniales non pertinere ad iudices ecclesiasticos anathema s.* [5].

53. — Scholion. - De causis potestati iudiciali Ecclesiae subiectis.

Quaeri hic potest quinam ambitus assignandus sit potestati iudiciali Ecclesiae? Cui quaestioni responderi potest generali principio: Ecclesia potest iudiciali modo videre de omnibus causis quae ad suum finem necessariam connexionem habent, ita ut ex earum cognitione finis Ecclesiae consecutio pendeat: seu aliis verbis: potest videre iudicialiter omnes causas illorum negotiorum circa quae leges ferre potest; quia *eius quis sortitur forum cuius ligatur legibus.*

At hoc principium nimis generale est; ad maiorem proinde claritatem et determinationem inducendam haec statui possunt. Circa quaedam Ecclesia *exclusiva* iurisdictione, circa alia *cumulativa* cum Statu gaudet;

---

[1] I *Cor.* v, 3.

[2] I *Timoth.* v, 19.

[3] « Revera Iesus Ch. Apostolis suis... dedit.... mandata in sacra.... adiecta.... gemina iudicandi puniendique potestate..... Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere, itemque publice exercere numquam desiit ». Encycl. « *Immortale Dei* » 1 Nov. 1885.

[4] L. I, tit. IV.

[5] Denzinger-Bannwart, n. 982. Cfr. Rivet, *l. c.*, pag. 75; Wernz, *l. c.*, V, n. 80 sq. et n. 265 sq.

quaedam videt iurisdictione iure divino directe obtenta, alia vero iurisdictione acquisita iure humano, quamvis iuri divino innixo.

Exclusiva potestate iudiciali gaudet in causis mere spiritualibus seu quae exclusive relationem ad finem spiritualem habent. Videt iure cumulativo causas omnes criminales, quae simul rationem habent peccati et boni publici in societate civili. Videt iure acquisito iuri divino innixo, non directe divino, causas omnes etiam civiles quas sibi ratione finis spiritualis advocaverit. Si de quibusdam causis dubium sit, utrum spirituales sint an temporales, seu utrum ad Ecclesiam pertineant, an ad Statum; quaestio definienda est, ut alibi vidimus, ex natura rei, aut mutuo consensu, aut determinatione societatis superioris seu ecclesiasticae.

Causas temporales, quas Ecclesia ad suum forum, ratione finis spiritualis, vi potestatis indirectae, revocaverit, plane distinguere oportet a causis mere spiritualibus; has enim mero iure divino, illas vero iure ecclesiastico videt.

Causarum mere spiritualium iudicium remittere seu renuntiare non potest, nisi forte *de exercitio iuris* agatur, et in casu quo exercitium civili potestati committatur, potestas civilis has causas iurisdictione sibi ab Ecclesia delegata cognoscit. Aliarum vero causarum, quas Ecclesia iure acquisito cognoscit et videt, iudicium Ecclesia potestati civili relinquere potest, sive de iuris exercitio, sive de ipso iure sermo est, et in casu potestas civilis iurisdictione propria, non delegata, iudicat.

Ratio horum est, quia Ecclesia, renuntiare nequit potestati sibi a Christo collatae, licet aliquando potestatis exercitio renuntiare possit. Potestati vero sibi a se reservatae semper renuntiare potest, tum quod ad exercitium, tum quod ad ipsum ius spectat, licet, etiam hoc altero casu, non possit renuntiare iuri causas determinatas sibi reservandi, quia id esset renuntiare potestati sibi a Christo collatae et proinde Ecclesiae Constitutionem mutare [1].

Causae quas Ecclesia iure exclusivo, quia mere spirituales sunt, videt, sunt omnes causae « de fide, et moribus, de sacramentis et sacramentalibus, de sacrificio Missae, cultu sacro sacrisque ritibus, de orationibus publicis et de festis ecclesiasticis, totoque iure liturgico, de dispensatione a votis et iuramentis, de officiis ecclesiasticis, de iuribus et obligationibus clericorum beneficiatorum et regularium; de ambitu iurisdictionis ecclesiasticae et privilegiis exemptionis ecclesiasticae » [2].

At haec omnia melius patebunt postquam potestatis indirectae theoriam explicaverimus.

54. — III. Ecclesiae a Christo potestas exsecutiva concessa est. - Praescindimus hic a potestate coercitiva stricte sumpta, de qua, quia maioris momenti est, in speciali paragrapho loquemur, et de aliis subdivisionibus potestatis exsecutivae loquimur, scilicet, de potestate administrativa, gubernativa et coactiva generice sumpta, quae gubernativa continetur.

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, V, n. 260 sq.
[2] Wernz, *l. c.*, 208.

Hoc sensu restrictam hanc tertiam publicae auctoritatis partem fuisse a Christo Ecclesiae traditam non est hic demonstrandum; ipsa enim potestatis legiferae et iudicialis, cum quibus maxime coniuncta est et ad quas complendas nata est, necessarium corollarium seu consectarium est. Probata igitur in superioribus potestate Ecclesiae legifera et iudiciali, eo ipso probata est et potestas exsecutiva, quae non est nisi legum et sententiarum applicatio. Nec necessario requiritur ut legislator expresse in lege ferenda statuat legem servandam esse, nam eo ipso quod lex fertur et promulgatur qua lex, servanda est et media ad eam servandam censenda sunt concessa.

Attamen, etiam expressis verbis, dici potest haec potestas a Christo concessa fuisse; etenim illa verba nimis generalia « *quaecumque alligaveritis* » non immerito et de potestate stricte exsecutiva intelligi possunt. Deinde sunt etiam plura loca S. Scripturae quibus Apostoli *ministeriorum* Dei et etiam bonorum temporalium ad Ecclesiam spectantium administratores fuisse describuntur [1].

55. — Scholion. - Ius constitutionale Ecclesiae. - Postquam in superioribus egimus de exsistentia, iuridicitate et perfectione Ecclesiae, nobis quaestio occurrit de eiusdem Ecclesiae constitutione seu de iure constitutionali ecclesiastico, quae quaestio certe iure publico comprehenditur.

At tractatus iste, licet maximum habeat momentum, pro Ecclesia tamen facilioris est tractationis, et illis qui S. Theologiae operam dederunt, et iuris canonici Codicis explicationem aggrediuntur minus necessarius videtur. Ius enim, quod vocant, constitutionale, sparsim, cum in theologia fundamentali, praesertim in tractatibus, de Romano Pontifice - et de Ecclesia Christi, tum in iure canonico, praesertim libro primo, secundo et quarto invenitur.

Hic tamen ad modum scholii et ut corollarium eorum quae in theologia fundamentali, tractatu de Romano Pontifice docentur, quaedam adnotamus circa quaestionem iuris constitutionalis, et praesertim de partitionibus publicae potestatis.

56. — 1° Origo publicae potestatis in Ecclesia. - Ex iis quae hac paragrapho vidimus iam sequitur solutio quaestionis de origine potestatis in societate ecclesiastica; quam quaestionem alibi non resolvimus, nisi pro societate civili.

---

[1] Cfr. I *Cor.* IV, 1-2; *Act. Apost.*, IV 34.

Publica igitur potestas in Ecclesia est a Deo sicut et in civili societate; alio tamen atque alio modo. In Statu enim civili Deus hanc potestatem dedit ipsa hominis socialis creatione. In Ecclesia e contra Deus est auctor auctoritatis publicae, quia ipsam dedit, non solum ipso actu institutionis Ecclesiae, quod de se suffecisset, sicut et suffecit pro civitate actus creationis, sed etiam, quia eam expressis verbis dedit.

Sicut autem in modo dandi, ita etiam in subiecto cui publica potestas data est, Ecclesia differt a Statu. In Statu enim civili potestas publica probabilius data est multitudini quae eam regibus aut praesidibus committit; e contra in Ecclesia potestas publica data est Petro et aliis Apostolis eorumque successoribus. Quae omnia ex theologia fundamentali in memoriam revocanda erant ad faciliorem quaestionis propositae solutionem.

57. — 2° **Partitio publicae potestatis historice considerata.** - Iam ab antiquis temporibus, apud omnes fere gentes partitio publicae potestatis inter varia subiecta et personas physicas aut morales de facto invenitur: nec enim possibile est hominem singularem in multis, quae publicum regimen spectant, occupari posse. Apud hebraeos ista partitio habetur in *Deuteron.* c. XVI, 21; item apud romanos tempore reipublicae [1].

58. — 3° **Utrum partitio publicae potestatis sit necessario admittenda.** - Antequam quaestio hoc modo proposita solvatur, distinguendum est inter ipsam publicam potestatem et eiusdem exercitium (*potestà e potere*). Publica potestas est ipsa auctoritas seu ius regendi subditos in ordine ad finem societatis consequendum. Hoc autem ius ut aliquid divisibile et separabile concipi nequit, quia, cum media ad finem consequendum non semper necessaria sint antecedenter ad legem positivam, et plures actus sociorum coordinatos comprehendant, si unitas regiminis quae haec omnia coordinat non admittatur, societas finem obtinere nequibit, ut divinum fert effatum: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur et domus super domum cadet.* Divisio igitur publicae potestatis, ita ut unaquaeque eiusdem pars independenter agat ab ipsa regiminis publici fonte, repugnat, et omnino reiicienda est [2].

Nihil tamen vetat, immo, praesertim in magnis societatibus, maxime expedit, tum ad faciliorem eius usum, tum ad maiorem

---

[1] Cfr. De Sarzana, *l. c.*, n. 81.
[2] Cfr. De Sarzana, *l. c.*, 83.

populo securitatem procurandam, exercitium ipsius publicae auctoritatis inter plures dividi, dummodo tamen variae partitiones inter se ad finem societatis obtinendum coordinentur [1]. Attamen haec partitio aliter in Statu civili, aliter in Ecclesia facienda est.

59. — 4° **Partitio publicae potestatis in societate civili.** - Cum ex iis quae alibi diximus potestas civilis, licet sit a Deo, directe tamen populo seu multitudini concedatur, quae eam committere debet personis physicis aut moralibus determinatis; hinc fit ut populus antequam alicui potestatem publicam committat exercitium eiusdem inter varia subiecta seu personas dispertiri possit, et uni potestatem legiferam, alii iudicialem, alii exsecutivam tradere. Quod si fiat, persona cui potestas legifera commissa est, si aliam potestatem exerceat invalide aget, sicut et aliae personae aliam ab ea quae ipsis commissa est, potestatem exercentes.

At certe populus potest et uni committere totam publicam potestatem, immo hoc aliquo saltem modo semper facere debet, quatenus nempe uni personae physicae aut morali committere debet aliquam super alias personas, auctoritatis publicae subiecta, praeeminentiam ad ipsas regendas et ad finem consequendum coordinandas.

Huiusmodi et quidem ex his principiis factam partitionem publicae potestatis in omnibus fere modernis civitatibus conspicimus [2].

60. — 5° **Partitio publicae potestatis in Ecclesia** [3]. - Eadem ac in societate civili partitio publicae potestatis et in Ecclesia haberi potest, non iisdem tamen ex principiis. Cum enim in Ecclesia tota publica potestas ex iure divino, quo unice regitur Ecclesia, non populo, sed Romano Pontifici data sit, eiusdem Romani Pontificis exclusive erit hanc potestatem in partes distribuere, coordinare, restringere et revocare; eiusdemque revocatio semper valida erit non obstantibus quibusvis iuribus a tertiis quaesitis. Perperam igitur quis Ecclesiae theoriam de divisione publicae potestatis applicaret; licet enim theoria illa de populi auctoritate vera sit, si civitati applicatur, non tamen Ecclesiae quae iure divino positivo regitur applicari potest. Si igitur de facto haec partitio publicae potestatis et in Ecclesia habeatur, id ex R. Pontificis et aliorum pastorum

---

[1] Cfr. De Sarzana, *l. c.*, 83; Chas. Augustine, *l. c.*, I[4], pag. 194-195.

[2] Cfr. De Sarzana, *l. c.*

[3] *Codex* variis canonibus divisionem potestatum in Ecclesia supponit, licet theoriam hac de quaestione non proponat. Cfr. e. g. c. 106 ubi de potestate legifera, c. 1553 de potestate iudiciali etc.; Chas. Augustine, *l. c.*, I, pag. 195.

voluntate, non ex stricta necessitate factum est. Ideo R. Pontifex quaslibet causas sibi reservare potest, nec, hoc faciens, iniuria agit.

De facto tamen etiam in Ecclesia, praesertim ex necessitate, potestatis publicae partitio plus minus semper admissa est, et maxime post constitutionem Pii X « *Sapienti consilio* » et promulgationem Codicis admittitur, firmis principiis supra expositis quae ipsam Ecclesiae constitutionem respiciunt.

Res melius patebit ex expositione singularium iurisdictionum quae, singulis libris Codicis, fiet [1].

CAPUT III.

De Ecclesiae potestate coercitiva.

61. — I. De ipsa potestate coercitiva [2]. - Totam publicam potestatem qua quaelibet perfecta societas regitur et ad suum finem consequendum tendit in tres partes vidimus dispesci, legiferam, iudicialem et exsecutivam. Exsecutiva autem potestas pariter in tres partes subdividunt auctores scilicet *gubernativam*, *administrativam* et *coactivam* [3]. « *Potestas coactiva est ius vim physicam adhibendi in personas ad consecutionem finis socialis* » [4].

Physica autem vis, ut hic eam intelligimus, non opponitur spirituali sed morali; potest proinde vis physica et spiritualis esse dummodo tamen socialis sit. Potestas seu *vis physica est necessitas cui resisti nequit*, quae proinde suum effectum producit etiam invito subiecto; *vis* vero *moralis est necessitas cui resisti potest*, quae proinde effectum non sortitur invito subiecto [5].

Potestatem coactivam dupliciter dispertiri possumus in *coactivam simpliciter* et *coercitivam* seu *punitivam*. *Potestas coactiva simpliciter est ius vi cogendi nolentem ad id faciendum quod non vult. Coercitiva e contra potestas est ius vi audaciam et contumaciam iuris violatorum comprimendi et puniendi* unde et potestas punitiva dicitur [6].

---

[1] Cfr. tamen ad veritatem assertionis, divisionem dicasteriorum in Curia Romana quorum quaedam administrativo modo, quaedam iudiciali, procedunt, quaedam vero bona simpliciter administrant. Videndi item sunt canones 1222-1272 et pene dixi, libri Codicis primus, secundus, quartus per totum. Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 160 et sq.

[2] Cfr. Chas. Augustine, *l. c.* I⁴, 198-199.

[3] Cavagnis, *l. c.*, n. 96.

[4] Cavagnis *l. c.*, 113.

[5] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 113.

[6] Cfr. Cappello, *l. c.*, I, pag. 60.

Usus autem vis physicae contra homines liberos iustificatur [1] ex fine societatis (religiosae pariter ac civilis) necessariae; cum enim societatis necessariae finis necessario consequendus sit; si ad hoc alia media non habeantur et unice supersit usus vis physicae, ea ex necessitate uti poterit publica potestas, utpote unico medio ad finem consequendum sufficienti. Hanc autem necessitatem adesse theoretice forte negari posset; de facto tamen eam omnes admittere debent, supposita praesertim hominum natura corrupta, qua voluntas in malum fertur, et hominis libertate, quae in contraria et dissonantia hominem ipsum ducit [2].

Ex quibus hoc deduci potest, vim physicam contra hominem liberum solummodo, ut remedium contra ordinis factam aut probabilem laesionem adhibendam esse, et ab ea abstinendum quoties finis societatis sine eius usu obtineri aequaliter posset.

Capite praecedenti probavimus Ecclesiae competere potestatem legiferam, iudicialem, et exsecutivam in genere; et hac quidem probatione tenendum est et potestates coactivam et coercitivam probatas fuisse, quae potestatis exsecutivae partes sunt integrantes, et illa continentur. Nihilo tamen minus hoc capite de potestate coercitiva iterum agendum putamus, tum quia plurimae circa eandem potestatem fieri solent ab auctoribus controversiae quarum praecipuas videre praestat, tum etiam, et hac praesertim movemur ratione, quia contra hanc Ecclesiae potestatem omnium haereticorum et incredulorum tela tendunt et diriguntur, et quia tandem, ipsa negata, eiusdem Ecclesiae iuridicitas et perfectio si non prorsus occidit, saltem magni momenti elemento destituitur; ius enim ut sit efficax generatim coactivitate gaudeat oportet [3].

62. — De potestate coactiva specifice accepta ex professo non loquemur, et directe probabimus Ecclesiae potestatem coercitivam; probationes tamen eaedem etiam pro probanda potestate coactiva

---

[1] Varia systemata philosophica circa hanc quaestionem retulimus supra n. 23.

[2] « Et sane, ait clarus Cavagnis, competit societati perfectae ius adhibendi media proportionata natura sua ad sui finis consecutionem; iamvero finis obtinetur primo, praescribendo haec media sociis ut ea sponte ponant, et ab eis exiguntur iure, si rationis usu polleant. Sed, deficiente bona sociorum voluntate, vis est unicum medium natura sua proportionatum ad finis socialis consecutionem, etenim media non alia sunt nisi moralia aut physica: moralia quae rationi ostendunt necessitatem agendi et voluntati hanc moralem seu rationalem necessitatem imponunt; id praestat efficacissimo modo lex generaliter et sententia iudicialis, ac praeceptum magistratus pro particularibus negotiis et personis; physica consistunt in vi quae primo in ordine externo ponit media quae erant ponenda et removet obstanda quae erant non ponenda et reordinat ordinem, laesum » secundo socios ex invitis facit volentes. (Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 113-114).

[3] Cfr. supra, n. 11-13.

validae sunt, cum eadem omnino sit ratio vis physicae adhibendae in utraque potestate, ad finem, nempe, societatis obtinendum quod necessario obtinendum est, quia de societate necessaria agitur. Quibus praemissis hanc statuimus:

Thesim. — *Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos, poenis tum spiritualibus, tum etiam temporalibus* [1].

Hanc thesim e Codice excerptam probabimus generali modo, probationem pro poenis temporalibus ad locum aptiorem remittentes. Dicitur in thesi, *ius nativum* ad excludendum ius acquisitum; item *ius proprium* ad excludendum ius vicarium seu nomine Status exercitum; item *ius independens* ad excludendam dependentiam a Statu: et iis verbis impetuntur errores praesertim Marsilii Patavini et aliorum regalistarum.

1° **Probatur ex natura potestatis publicae.** - Omnino tenendum est a Christo Ecclesiae datam esse talem potestatem sine qua potestates legifera et iudicialis inutiles evaderent; at sine potestate coercitiva utraque illa potestas pluribus in casibus inutilis evaderet; ergo tenendum est a Christo potestatem coercitivam datam esse Ecclesiae.

Maior per se clara est: nisi forte admittatur Christus insipienter egisse, quod blasphemum est cogitare; ad quid enim leges et sententiae iudiciales, si simul potestas ad eas exsequendas aut violationem reparandam simul concessa non sit?

Minor item per se clara est, si genus humanum ut de facto est consideretur, « etenim perversi homines non praestarent quae lege, praecepto vel sententia essent praescripta » [2].

63. — 2° **Ex verbis Christi.** - Expressis verbis Christus Ecclesiae potestatem expellendi a se sibi inobedientes concessit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* [3]. Quibus verbis, de poena peculiari sermo est; at non est ratio cur ad expulsionem, Ecclesiae restringatur potestas; praesertim cum expulsio sit poena gravissima et putandum sit in maiori minora contineri.

64. — 3° **Ex doctrina et praxi Apostolorum.** - S. Paulus [4] minatur Corinthiis se durius acturum erga inobedientes, non quali-

---

[1] c. 2214, § 1.

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, 115; Choupin, *Valeur des décisions doctrinales*, etc. ed. 2 pag. 260; Iacobus Sole, *De delictis et poenis* (1920) n. 60 sq.; Wernz, *l. c.*, VI, n. 75; Bargilliat, *Praelectiones iuris canonici*, ed. XXXI, n. 208; Rivet, *l. c.*, pag. 82 sq.

[3] Matth. XVIII, 15-18.

[4] II *Cor.* XIII, 10.

cunque, sed potestate sibi a Domino data: *Haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in aedificationem.*

Item S. Paulus testatur a se traditos fuisse Satanae, ut discant non blaphemare, Alexandrum et Hymenaeum [1].

Item idem Apostolus praecipit Timotheo ut peccantes publice reprehendat, non solum ad ipsorum bonum et emendationem, sed et ut ceteri timorem habeant [2]; quod proprium poenarum est.

Tandem idem Paulus sibi inobedientes generali quadam ratione a fidelium communione arcet: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo* [3].

Ex quibus textibus potestas Ecclesiae coercitiva clare demonstratur et quidem nativum et proprium ius ad ipsam; textus enim allati de potestate quam dedit Ecclesiae Deus, non civitas aut populus, de eiusdem usu a qualibet humana potestate prorsus independenti loquuntur; unde et eiusdem independentia probatur.

Alii textus ab aliquibus [4] afferri soliti ad probandam Ecclesiae potestatem coercitivam minus efficaces videntur, ut, e. g., facta mortis Ananiae et Saphirae [5], et coecitatis Elimae magi [6]; quia illae poenae potius a Deo quam a potestate coercitiva Ecclesiae processerunt, ut patet [7].

65. — 4° Ex praxi et doctrina Ecclesiae. - Quibus omnibus argumentis et praxis Ecclesiae accedit, inde a primis saeculis usque ad nos, et definitiones eiusdem Ecclesiae sibi hanc potestatem, et quidem ex iure divino manantem, vindicantis.

a) Et primo quidem, si de poenis spiritualibus sermo sit iam primis saeculis etiam tempore persecutionum, Ecclesia sua potestate usa est. Ita (a. 221) Concilium Alexandrinum, ordine sacerdotali Origenem privavit [8].

Multo magis iam illis temporibus persecutionum adhibita fuit poena excommunicationis seu exclusionis fidelium graviorum delictorum reorum a fidelium communione, quae tamen poena non semper tunc temporis excommunicatio appellata fuit. Item forma iudicialis nulla aut fere nulla tunc temporis, in his poenis infligendis,

---

[1] I *Tim.* I, 20.
[2] I *Tim.* V, 20.
[3] II *Thessal.* III, 14; et I *Cor.*, V, 9-13; I *Cor.* V, 3.
[4] Cfr. Sole, *l. c.*, n. 61 Knoll, *Theologia generalis*, § 247.
[5] *Act.* V, 1-11.
[6] *Act.* XIII, 11.
[7] Cfr. tamen auctores supra relatos.
[8] Wernz, *l. c.*, VI, 118.

servata fuit, ex eo praesertim quod Status romanus Ecclesiae adversabatur aut, summum, aliquando eam tolerabat [1].

Huc referendus est usus poenitentiae publicae iam primis saeculis, durantibus persecutionibus, vigens; hae enim poenitentiae etiam verae poenae rationem habuerunt, cum non solum ad emendationem poenitentium, sed et ad vindictam criminum et ad alios deterrendos ordinarentur [2]. Quae praxis Ecclesiae universalis certissimum argumentum praestat ad ipsam potestatem coercitivam probandam.

b) Cum saeculo XIV Marsilius Patavinus potestatem Ecclesiae coactivam negasset, Ioannes XXII Constit. « *Licet* », 23 Oct. 1327, una cum hac propositione eundem Marsilium damnavit: - *Tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator* [3].

Ex qua propositione patet proprie damnari illum qui hanc potestatem coercitivam negat concedi Ecclesiae iure divino, etsi admittit concedi iure humano. Ita etiam Pius VI Bulla *Auctorem Fidei*, 28 Aug. 1794, propositionem quartam synodi Pistoriensis damnans haec habet: *Propositio affirmans abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde; tum etiam, multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis; quatenus indeterminatis illis verbis « extendendo ad res exteriores » notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo qua usi sunt et ipsimet apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: haeretica* [4].

Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; quatenus intendat, Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges et devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi; (ex Benedicti XIV in Brevi « Ad assiduas » anni 1755. *Primati, Archiepiscopis et Episcopis Regni Polon.): inducens in systema alias damnatum ut haereticum* [5].

Quibus documentis non solum ipsa potestas coercitiva probatur sed et nota theologica propositio seu thesis supra statuta donatur scilicet: *De*

---

[1] Cfr. Hinschius, *Das Kirchenrecht...*, v. IV, pag. 691-698, sepositis quibusdam interpretationibus quibus affirmat ius excommunicandi tunc, non praesulibus in Ecclesia, sed ipsi ecclesiasticae communitati agnitum fuisse ab eaque exercitum.

[2] Cfr. Albers, *Enchiridion historiae ecclesiasticae*, I, § 49; Hergenröther-Kirsch, *Storia universale della Chiesa*, Traduz. E. Rosa. vol. I, cap. 15; *Lessico Ecclesiastico*, A. Vallardi, v. IV, alle voci, *Pene, Penitenti, Penitenza canonica;* Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 715 sq.

[3] Denzinger-Bannwart, n. 499-500.

[4] Denzinger-Bannwart, n. 1504.

[5] Denzinger-Bannwart, 1505. Videnda etiam sunt sequentia documenta: Encyclica Pii IX « *Quanta cura* », 8 Dec. 1864; Proposit. XXIV Syllabi Pii IX; Litterae « *Ad Apostolicae* » Pii IX, 22 Aug. 1851; « *Immortale Dei* » Leonis XIII, 1° Nov. 1885.

fide divina catholica est Ecclesiae competere ius nativum et proprium independens delinquentes sibi subditos poenis coercendi [1]. Attamen hoc affirmamus expresse de sola potestate coercitiva in genere, quatenus saltem poenas spirituales comprehendit; de poenis enim temporalibus fusius postea agemus, sicut et de poena capitali [2].

Quibus probatis et firmiter admissis, ultro procedimus et varias ab auctoribus fieri solitas quaestiones proponimus. Quaerimus igitur:

66. — II. Quemnam finem Ecclesia in poenis infligendis sibi proponere debeat? [3].

Quaestionem his a nobis verbis propositam auctores vario modo proponunt. Cavagnis his eam verbis proponit: « An Ecclesiae competat poenas inferre ex scopo mere vindicativo » [4]. A Cappello vero ita proponitur: « Quinam est scopus quem sibi Ecclesia proponit in poenis infligendis? » [5].

Et sicut in quaestione proponenda ita etiam in ipsa resolvenda auctores non conveniunt in omnibus.

1° Quidam docent Ecclesiam sibi finem in poenis infligendis proponere debere *emendativum*, quia hic finis unice cum fine Ecclesiae, qui est salus animarum, convenit.

Cappello *l. c.* haec habet: « Scopus poenarum desumendus est ex fine proprio cuiuslibet societatis. Atqui finis Ecclesiae, ut centies diximus, est sanctificatio hominis proxime, et remote vita aeterna; unde poena ecclesiastica huic fini respondere debet. Duo in primis certissime sunt tenenda.

a) Ecclesia non potest poenas infligere directe et primario ad unicum scopum vindicativum, quin intendat simul scopum emendativum et exemplarem;

b) Ecclesia in poenis irrogandis directe ac primario semper, ex parte sua, intendere debet emendationem rei quoties id possibile est [6]. Post quae duo principia certissime tenenda adhuc quaestionem proponit: « Tota quaestio est an Ecclesia valeat poenas infligere ad reparandum ordinem socialem laesum, cum emendativus scopus nullo modo obtineri queat »; et duobus allatis sententiis affirmativam propugnat, et pro certa habet. Quae sententia his verbis, eiusdem auctoris completur: « si poena ecclesiastica haberet tantum scopum vindicativum minime autem emendativum et

---

[1] Cfr. Sole, *l. c.*, n. 62; Rivet, *l. c.*, pag. 83 etc.

[2] Cfr. de hac quaestione auctores supra relatos et insuper Cappello, *l. c.*, I, pag. 126 sq.; Vecchiotti, *Institutiones canonicae*, vol. II, l. IV, c. 1, § 5.

[3] Quaestio ista connexa est cum quaestione generali de fine poenarum in genere, circa quam cfr. quae supra n. 23 diximus; differt tamen ab illa, quia hic specifice quaeritur de fine quem in poenis irrogandis sibi praefigere debet *Ecclesia*.

[4] Cavagnis, *l. c.*, 299.

[5] Cappello, *l. c.*, pag. 136.

[6] Cappello *l. c.*, 136.

exemplarem deficeret a fine proprio Ecclesia et esset, eo ipso, illegitima et irrationalis » [1].

Circa eandem quaestionem haec habet Cavagnis: « Quamvis poenae applicatio sit de se vindicativa criminis admissi, ut vidimus n. 140, quia per poenam satisfit societati; qui enim deliquit, societatem offendit et eius ordinem turbavit, indebitum sibi usurpando bonum: hinc fit debitor poenae. Per poenam igitur satisfacit societati et proportionatum sustinet malum » [2], tamen, si nomen vindictae proprie sumatur, eo iure Ecclesia non utitur; etenim Ecclesia intendit salutem hominum, ideoque delicta punit quantum requirit salus delinquentis et societatis, et proinde quantum necesse est ad reum emendandum, et ad ceteros deterrendos ab eius imitatione; hic enim est eius finis [3].

Eamdem fere doctrinam habet cl. Lega qui post disceptationem de systemate poenali in societate civili, quo iuxta ipsum poenae iustificantur ob restitutionem ordinis externi socialis laesi independenter a salutaribus effectibus qui ex poenis toleratis aut societati aut delinquenti forte evenire contigerint, haec habet: « Si comparetur systema modo explicatum cum disciplina ecclesiastica poenali, hoc est utrique commune ut poena debeat esse ordinis restauratio moralis, quatenus iustitia exigit ut bonum a poena profluens resarciat malum delicti, sed in hoc subest essentialis differentia. Nam civilis Respublica per poenas vult assequi ordinis socialis restaurationem in praesenti rerum ordine, ex quo suum finem assequi debet; dum Ecclesia suum finem ultimum seu remotum, consequitur in futuro aevo, et in hoc mundo pro suo fine immediato non patitur violari ordinem suarum legum, seu turbari ordinem externum socialem, et transgressores poenis compescit, ne finis aeterni praefodiatur consecutio ». Et ita prosequitur finem seu scopum mere vindicativum a poenis Ecclesiae excludens [4].

2° Alii e contra essentialem differentiam Ecclesiae a Statu, hac in re, merito negantes, docent finem Ecclesiae in poenis infligendis eundem esse ac Status, seu criminum vindictam. Idque probant tum ex principiis theoreticis de natura societatis perfectae, tum ex ipsa Ecclesiae praxi [5].

Audiatur cl. Wernz: « Quicumque tanquam unicum finem poenae ecclesiasticae inflictae, aut intimidationem aut emendationem delinquentis assignat, seclusa notione vindictae publicae seu reactionis contra publicum ordinem per delictum laesum, is essentiam huius instituti iuridici confundit cum fine extrinseco, ad quem ab auctoritate publica honeste et convenienter ordinatur, et sine fundamento ab auctoritate publica ecclesiastica removet strictam iustitiam criminalem cum potestate publica sociali ex natura rei cohaerentem. Qua in re imprimis errarunt Schulte, Geib et Bar, qui poenam

---

[1] Cfr. Cappello, *l. c.*, 136 sq.

[2] Cavagnis, *l. c.*, 140.

[3] Cavagnis, *l. c.*, 299.

[4] Cfr. Lega, *De delictis et poenis*, Edit. II, 1910, n. 17 et sq. et etiam praecedentibus.

[5] Huius opinionis sunt inter alios Wernz, *l. c.*, VI, 73; Hergenröther-Hollwek, *Lehrbuch des k, K, R.*, n. 710; Chelodi, *Ius poenale*, 18.

canonicam, non ut veram poenam considerant, i. e., ut malum inflictum delinquenti, sed potius ut beneficium delinquenti factum, praebendo ipsi modum sese emendandi » [1]. Ex quibus praeclare dictis deducimus Ecclesiae idem ius ac Statui competere poenas infligendi sive ad emendationem et intimidationem, sive etiam ad inhabilitandum delinquentem circa futura delicta forte committenda, sive proprie ad reparandum ordinem socialem laesum seu ad vindictam sumendam et scandalum delicto datum reparandum. Idque probatur, praeterquam ex natura societatis perfectae [2], etiam exemplo poenarum quae ab Ecclesia in illos qui iam emendati sunt feruntur, ut sunt, e. g., irregularitates omnes ex delicto, degradatio etc., et ex nominibus quibus poenae ab Ecclesia nominantur scilicet, poena, vindicta, ultio etc. Addit tamen Wernz: « Restitutio et vindicta non absolute est propria poenae ecclesiasticae, sicut a Deo supremo vindice intenditur, sed tantum relative, i. e., quatenus ad ordinem socialem conservandum requiritur. At, ex altera parte, vindicta illa ab Ecclesia de delicto sumenda, non ita deprimi debet, quasi Ecclesia poenam vindicativam sive ex scopo vindicativo infligere non possit, aut saltem de facto non infligat » [3]. Contra quam doctrinam non putamus argumentum decisivum haberi ex canone 2214, § 2 ex Tridentino excerpto, ubi commendatur Superioribus ecclesiasticis in poenis infligendis attendenda esse praesertim emendationem rei et intimidationem ceterorum; hoc enim monito minime negatur Ecclesiam etiam ex alio fine, si ii duo obtineri nequeant, moveri posse ad poenas statuendas aut infligendas.

Quae ita a claris auctoribus disputata demonstrant quaestionem non facilis esse solutionis, cum in ea solvenda non plene conveniant praeclari auctores [4].

67. — III. Utrum Ecclesia poenis temporalibus uti possit?

1° Ad hanc quaestionem plane solvendam haec praemittenda censemus:

a) *Coactio directa* et *immediata* [5] aut *indirecta* et *mediata* esse potest; *illa* est quam societas per se, directo imperio, propriis mediis, propriis ministris; indirecta et mediata quam societas non per se, sed suo imperio, mediis et ministris alterius societatis exercet [6].

---

[1] Wernz, *l. c.*, VI, 73, III.

[2] Cfr. etiam Tarquini, *l. c.*, pag. 43, n. 47.

[3] Wernz, *l. c.*, 72.

[4] Cfr. etiam Chelodi, *Ius poenale*, n. 18, ubi sententiae P. Wernz accedit, una cum Hergenröther-Hollwek, *Lehrbuch des k. K. R.* n. 710; qui tamen suae theoriae limitationes apponit pro quibusdam poenis e. g. censuris, et etiam quod ad alias restringit.

[5] Cfr. infra n. 72, 1°.

[6] Hoc sensu intelligendum videtur c. 10. *De iudiciis*, X, II, 1, ubi Coelestinus III postquam poenas mere spirituales ut excommunicationem et anathema enumerat haec habet: « Postmodum vero, si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur ».

b) Item distingui debet sententia iudicialis poenam aliquam infligens et modus eiusdem exsecutionem curandi.

Huc referuntur quae habet Vecchiotti [1]: « Animadvertimus discrimen adesse inter sententiam qua poena aliqua contra certum reum decernitur, et inter modos ac rationes, quibus iste ad poenam sustinendam adigi potest. Necessariae enim sententiae auctoritas in eo est posita, ut delinquentem certae cuiusdam poenae debitorem faciat. Ad sententiae autem exsecutionem refertur coactionis modus, seu vis ad cogendum delinquentem comparata, atque haec vel spiritualis, seu canonica est, vel est civilis seu armata. Iam vero canonica vis non solum privationes efficit mere spirituales, sed affert etiam temporales illas privationes quas spiritualibus poenis cohaerere consuevisse diximus. Ipsa haec utrarumque privationum ratio non modo constringere potest reum hominem alias illas poenas, de quibus hic agitur, respuentem, sed constringere etiam fideles alios, qui illius communionem vitare noluerunt. Sub nomine autem civilis seu armatae vis, quamlibet intelligo corporalem violentiam, quae homini, vel maxime invito, per auctoritatem publicam inferatur. Itaque hoc in genere comprehendo etiam vincula quaecumque ad constringendum corpus a civili auctoritate usurpata; excludo tamen ab eodem genere domesticam illam vim, qua paterfamilias uti potest, ad filios saltem minores, atque etiam ad servos quosque, ubi servitus conditio in usu adhuc sit, coercitione modica emendandos. Cui quidem rei affinis est corporalis illa vis quam ecclesiastici antistites in adolescentes, et praesertim in minores clericos, quos ad virtutem erudiunt, adhibent ».

c) Poenae etiam temporales distinguuntur in *graviores* et *leviores*; graviores appellamus quae sanguinis effusionem et membrorum mutilationem important, leviores vero quae carcere, mulctis, exsilio aut aliis huiusmodi privationibus continentur. Poenae graviores hoc sensu intellectae poenae mortis aequiparantur.

d) Praescindimus hic a poena mortis de qua statim quaedam videbimus.

Quibus praemissis hanc statuimus thesim.

68. — Thesis: *Ecclesia potestate coercitiva gaudens, iure proprio, nativo et independente, poenis etiam corporalibus delinquentes punire potest, et ad hoc vi physica canonica aut domestica per se ipsa uti potest, vi vero physica armata solummodo per auctoritatem civilem, quae ei ministerialiter deservire debet, quoties id necessarium sit ad exercitium iuris Ecclesiae et ab Ecclesia requiratur* [2].

Quo tamen non negamus Ecclesiam posse poenas etiam temporales leviores imponere (cfr. c. 2214, § 1 et quae in textu n. 67-73 habentur), sed textum Coelestini III referimus ad poenas temporales graviores.

[1] *Institutiones canonicae*, l. IV, § 7.

[2] Cfr. c. 2214, § 1.

Declaratio. - Plura quae hac thesi continentur ex iis quae supra praemisimus iam explicationem seu declarationem habent.

Ius proprium iuri vicario et iuri devolutivo opponitur et, cum illud Ecclesiae vindicamus, asserimus Ecclesiam illo gaudere iure suo seu ex natura sua, ita ut sine illo Ecclesia non sit amplius ea Ecclesia, quae nunc de facto est. Idem fere ac ius proprium *ius nativum* significat, quod est illud ius quod Ecclesia ex sua origine seu ex sua nativitate habet. Idem illud ius *independens* dicitur, independentia non qualicumque, sed ea qua quis alteri iuridice inferior dici nequit. Cui independentiae non opponitur, Ecclesiam necessario recurrere debere ad societatem civilem ad suarum poenarum exsecutionem faciendam, etenim recursus unius ad alterum non necessario includit et implicat dependentiam eiusdem ab illo, nisi in casu quo ex alio capite illa dependentia demonstretur; ita, e. g., publica civitatis potestas non pendet a singulis subditis, licet ad eosdem recurrere debeat, ut aerario subveniat, item respublica non pendet a militia, licet ad sui defensionem militibus indigeat. Ex quibus patet omnino distinguendum esse medium exsecutionis poenarum ab ipsa potestate puniendi et poenas exsequendi. Ecclesia enim poenam imponere et exsequi potest per se; aliquando tamen, praesertim cum de poenis temporalibus aut corporalibus agitur, ad hanc exsecutionem faciendam vi armata indiget, qua probabiliter ipsa destituitur et quam iuridice a republica postulare potest.

Poena temporalis aut corporalis absolute etiam poenis excommunicationis, aut suspensionis, aut alia etiam poena, quam spiritualem communiter appellamus, et quae fideles aliquo bono materiali aut corporali privat, per se contineri dicendum est; hoc espresse pro poena excommunicationis Ioannes XXII docet: « Est animadvertendum quod cum excommunicatio maior, nedum excommunicatum a perceptione sacramentorum removeat, sed etiam a communione fidelium ipsum excommunicatum excludat, corporalis est a Christo coactio Ecclesiae permissa » [1]. Attamen cum nos Ecclesiae ius poenas temporales infligendi fidelibus vindicamus, id etiam ad alias poenas temporales simpliciter, ut, e. g., ad poenam exsilii, ad mulctas, ad detrusionem in monasterium aut ad carceres extendimus; argumenta enim afferri solita non solum pro poenis temporalibus lato sensu acceptis, militant, sed et pro poenis temporalibus sensu stricto.

Quodsi nostris diebus Ecclesia poenis mere temporalibus contra fideles non amplius, aut saltem difficilius, utitur, id non ex defectu potestatis eius, sed potius ex mutatis circumstantiis societatis evenit, quia nempe illae poenae nunc potius ad destructionem quam ad salutem tenderent animarum, aut etiam ex eo quod respublica ad earum exsecutionem eidem vim armatam denegat; ex non-usu tamen perperam defectus potestatis deduci potest. Deinde etiam nostris diebus aliquas saltem poenas temporales, ut exsilium et relegationem (cfr. c. 1957), mulctas pecuniarias (cfr. cc. 2291, 12° et 2297) et alias Ecclesia retinet.

His verbis restricta et intellecta thesis *doctrinam theologice certam*

---

[1] Bulla « *Licet* », 23 Oct. 1327. Contra Marsilium Patavinum; cfr. Choupin, *Valeur des décisions* [3]. pag. 264 sq.

continet saltem post Codicem ex c. 2214, § 1 supra citato. Quod iam communissime admittebant auctores qui ante Codicem scripserunt [1].

Contra quosdam qui dubitanter de hoc poenas temporales infligendi iure Ecclesiae, scripserunt, ut Vacandard [2].

69. — Probatur thesis. - 1° Argumenta explicita ex sacra Scriptura ad hanc potestatem comprobandam desiderantur. Attamen eam ex omnibus locis deducere possumus ex quibus potestatem coercitivam in genere probavimus.

Si enim Christus Ecclesiae coercitivam dedit potestatem, talem dedisse dicendum est, quae efficax esse posset, et subditorum naturae accommodata. At coercitiva potestas subditorum naturae accommodata non esset et plerumque inefficax evaderet si ad temporales poenas ex se non posset extendi; ergo et ad poenas temporales Ecclesiae datam fuisse a Christo potestatem dicendum est.

Quod revera potestas et coactivitas mere et exclusive spiritualis subditorum naturae non sit plane accommodata, ex eo patet quod subditi, non angeli, sed homines sunt, animo et corpore constantes, quibus proinde incitandis maxime poenae corporales simul et spirituales inserviunt.

Dein poenas mere spirituales plerumque natura sua inutiles et inefficaces evadere quotidie inspicimus, ex malitia praesertim illorum qui in profundum malorum ruerunt et qui ex sua ipsorum malitia privationem bonorum spiritualium non sentiunt, cum maximo fidelium scandalo. Omnino igitur dicendum, Christum Ecclesiae suae potestatem, non qualemcunque dedisse, sed talem quae practice efficax sit, ad quod et poenarum temporalium inflictio requiritur [3].

70. — 2° Ex praxi Ecclesiae. - Ecclesiam poenis etiam temporalibus suos fideles delinquentes punivisse apud omnes in comperto est. Quae poenae temporales et corporales variae pro variis temporibus fuerunt.

Primis saeculis, tempore persecutionum adhibitae fuerunt *poenitentiae publicae* quas verae poenae rationem habuisse negari nequit, illae enim poenitentiae, non solum ad Deo satisfaciendum pro culpis, sed etiam ad ordinem socialem reparandum destinatae erant, aliae poenae ab Ecclesia saeculis sequentibus adhibitae sunt praesertim *exsilia*, *relegationes*, *carceres*, *mulctae pecuniariae*, *infamia* et *fustigationes* de quibus ultimis haec habet Augustinus: « Qui modus exercitationis et a Magistris liberalium artium et ab ipsis parentibus et saepe etiam in iudiciis ab Episcopis solet adhiberi » [4].

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, VI, n. 76 praesertim in nota 35; Choupin *l. c.*, pag. 262 et sq.; Cavagnis, *l. c.*, I, n. 288 sq.; Cappello, *l. c.*, I, pag. 130 et sq.; Rivet, *l. c.*, pag. 82 et sq.; Bargilliat, 31, n. 208; Sole, *De delictis et poenis*, n. 60 et sq.

[2] Cfr. Choupin, *l. c.*, ubi a pag. 545 ad 574 controversia inter ipsum Choupin et Vacandard circa hoc punctum refertur, quae utiliter legi potest.

[3] Cfr. Choupin, *l. c.*, 262 sq. et alios auctores.

[4] Cfr. S. Augustini epist. 133 ad Marcellinum tribunum (anno 412 scripta) quae in *Corpore iuris* refertur, c. 1, C. XXIII, q. V.

Saeculo v nominantur a Iustiniano *decanica* seu *decaneta* quae erant carceres ecclesiastici tum ad criminum vindictam, tum ad praeventivam custodiam adhibiti iam saeculo IV [1]. Et his quidem poenis Ecclesia usa est per plura saecula immo et nostris diebus aliquando eis utitur in delinquentes [2].

« Cum autem impossibile sit Ecclesiam universalem, seu supremam auctoritatem errasse sibi vindicando ius quo carebat, apparet Ecclesiam ita interpretasse suum ius punitivum, ut saltem ad recensitas poenas extenderetur. Dico *saltem*, nam per se simplex non-usus non ostendit carentiam iuris ulterioris [3] ».

71. — 3° Ex declarationibus auctoritatis ecclesiasticae. - Huiusmodi declarationes antiquis temporibus desiderantur, cum illis temporibus nemo esset qui hoc ius Ecclesiae denegaret. Attamen, cum saeculo v, Donatistae de hoc iure Ecclesiae quererentur, S. Augustinus iura Ecclesiae defendit. Cum saeculo XIV Marsilius Patavinus ius omne Ecclesiae coactivum et praesertim, ut videtur, ius poenas temporales infligendi nomine proprio, negaret, Ioannes XXII eiusmodi doctrinam condemnavit et ius Ecclesiae ex Evangelio seu ex iure divino, non ex concessione principum, vindicavit, non solum pro poenis spiritualibus, sed et pro corporalibus [4]. Item Concilium Tridentinum, Sess. III, c. XIV, de baptismo haec habet: « Si quis dixerit parvulos baptizatos cum adoleverunt... suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae, aliorumque sacramentorum perceptione arceantur donec resipiscant, anathema sit ».

Pius IX, in Encyclica « *Quanta cura* », 8 Dec. 1864, condemnat eos qui docent *Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi.* Quae verba sat explicita ex se maiorem adhuc claritatem habent, si cum XXIV Syllabi propositione comparentur: *Ecclesia vis inferendae potestatem non habet; neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam* [5].

Denique explicitum argumentum pro poenis temporalibus nunc habetur etiam ex can. 2214, § 1.

Quae quidem potestas Ecclesiae non qualiscumque potestas est, sed potestas *iure proprio* et *suo nomine* exercenda; ea enim se-

---

[1] Cfr. Wernz. *l. c.*, VI, n. 102 et sq.; Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 737 in nota 4; c. 3, l. I, 5.
[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, 103; c. 1, X, V, 2; et canones 1957, 2291, 12°, 2297.
[3] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 294.
[4] Cfr. Const. « *Licet* », 23 Oct. 1327.
[5] Cfr. Choupin, *l. c.*, pag. 251-276 et 545-574.

quitur ex natura ipsa Ecclesiae et ex documentis et declarationibus supremae auctoritatis ecclesiasticae supra relatis [1].

Quod argumentum ex declarationibus RR. Pontificum probat utique necessitatem potestatis poenas temporales infligendi; at forte eius vis probativa, si a duobus prioribus argumentis praescindatur, quae in hac quaestione totam vim retinent et maximi sunt momenti, non omne fert punctum et hoc solummodo probat Ecclesiam poenas posse infligere corporales, quae cum poenis spiritualibus ex natura sua adnexae sint, iuxta interpretationem a Ioanne XXII datam [2].

Attamen etiam hoc argumentum omnimodam vim retinet si illas RR. Pontificum declarationes una cum praxi Ecclesiae ad quam defendendam illae prodierunt comparamus.

« Quare vehementer erravit Vacandard, si putat ex doctrina Ecclesiae posse ipsius potestatem coactivam restringi ad coercitionem moralem per poenas spirituales...

« Quodsi Vermeersch admittit tanquam interpretationem minimam, sed sufficientem ad non incurrendum errorem in Encyclica « *Quanta cura* » damnatum, quod Ecclesiae tribuatur potestas edendi *damnationem conditionatam* ad poenas temporales subeundas, atque talem obligationem urgendi per poenas spirituales (sc. aut mulctam solve, aut excommunicationem incurres); evidenter nimium concedit et per viam indirectam practice negat potestatem, quam directe asserit esse tenendam » [3].

72. — De vi armata. - I. *De vi armata Ecclesiae ex iure proprio.* - 1° Vis armata seu militaris est *vis physica, externa et publica ad violentiam corporalem homini invito inferendam, cui materialiter resisti nequit.*

Differt vis armata a coactiva potestate, etiam relate ad poenas temporales, sicut differt ius a iuris exercitio seu a medio quo ius exerceri potest. Potestas enim coactiva est ius poenas inferendi seu ius vis moralis aut materialis inferendae contra reos invitos; vis vero armata est ipsa vis physica de facto adhibita. Circa quod notandum est posse haec duo in diversis subiectis subsistere, scilicet posse aliquem ius puniendi habere qui tamen vim armatam in promptu non habeat et per accidens proinde in sui iuris exercitio impediri possit. Ita, e. g., si pater senex a filiis grandiusculis iniuriis afficiatur certe ius eos puniendi habet, eique ius est, ut in bene ordinata societate, filii puniantur; re tamen vera, non puniuntur, quia cum filii vi physica potentiores ipso sint, eiusdem iuris exercitium ipsi prohibent. Idem valet et de civilibus societatibus; si civitas maior

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 296.

[2] Cfr. verba Ioannis XXII in condemnatione systematis Marsilii Patavini supra relata n. 68.

[3] Cfr. Wernz, *l. c.*, VI, n. 76, nota 55.

iniuria societatem minorem aggrediatur eamque devoret, non ideo civitati illi minori ius ad exsistentiam adimitur, quamvis de facto iniuria civitatis maioris suum ius prosequi praepediatur.

Item distinguere oportet vim armatam mediatam et immediatam [1]. Vim armatam immediatam habet qui ea per se directe utitur; mediatam e contra habet qui ea non per se utitur, sed eam ab alia societate mutuatur. Quod autem aliqua societas ab alia vim armatam mutuari debeat per se nullam dependentiam unius societatis ab alia indicat, sed solum hoc evenit, quia pro iisdem subditis gubernandis plures inter se dissidentes vires armatae repugnant. Si id enim verificari deberet, societas nulla in pace consistere posset; quod utique aliquando fit, at iniuria fit. Illa igitur societas perfecta quae vi armata gaudet, ea ad tranquillitatem tuendam uti debet sive pro se, sive pro alia societate imperfecta sibi subiecta, e. g., societas civilis pro societate commerciali; sive pro societate perfecta superiori quae forte exsistat; attamen pro adhibenda vi armata favore societatis inferioris ipsa societas superior iudex erit; ad adhibendam vero vim armatam pro societate superiore societas superior iudex erit, quae nullo modo ei a qua vim mutuatur subiicietur.

Nomine vis armatae non comprehendimus modicam coercitionem qualem patresfamilias in filios educationis causa exercere solent [2].

2° Quibus praemissis ad quaestionem: Utrum Ecclesia vi armata iure proprio gaudeat? respondemus: Ecclesiam vi armata iure proprio et immediato non gaudere; gaudere vero vi armata iure mediato, quod in hoc « consistit quod pro exsecutione legum Ecclesiae Status civilis teneatur vim armatam eidem praestare. Hoc certe competit Ecclesiae, tum ex dicendis de relationibus Ecclesiae et Status, tum ex eius perfectione; nam sine vi armata poenas temporales etiam mitiores, non posset exsecutioni mandare; oportet ergo vel ipsa habeat, vel saltem Status teneatur vim armatam ei praebere » [3].

Quod autem vim armatam immediatam non habeat affirmant communius doctores contra alios, quia duae vires armatae in eodem Statu repugnant et quia probari nequit illam vim ei a Christo collatam esse [4].

3° Quod si quis miretur nos hanc quaestionem, sicut et alias huiusmodi cum his connexas, nostris diebus agitare cum Ecclesia

---

[1] Cfr. supra n. 67, 1.
[2] Cavagnis, *l. c.*, 337; et supra n. 67, 1°, *b*.
[3] Cavagnis, *l. c.*, n. 336.
[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 340 et sq.

omnibus caret materialibus adiumentis, et insuper quandoque a societatibus civilibus persecutionibus exponitur ex invalescentis et grassantis liberalismi et communismi doctrinis, adnotamus nos hic agere de iuribus Ecclesiae, quae, nempe Ecclesia, ex sua fundatione a Deo obtinuit, non de factis quibus haec iure ab hominibus violari possint. Iura autem quae habet Ecclesia a suo Fundatore, non ideo minuuntur quia a Statu vel a malis hominibus non agnoscuntur, nec enim ab istis ea iura obtinuit Ecclesia; sicut iura quae habet homo a Statu non minuuntur nec amittuntur, quia in Statu homines sunt qui illa agnoscere recusent.

Ad invidiam tamen adversariorum retundendam adnotamus iura a iurium exercitio distinguenda esse, nec omnis iuris exercitium cuilibet tempori convenire.

Si igitur dicimus aliquod ius esse Ecclesiae, non ideo affirmamus illius iuris exercitium etiam nostris temporibus convenire; scit enim Ecclesia, quae Spiritu Sancto regitur, suis iuribus se uti debere ad animarum salutem, et ius aliquod posse, aliquo tempore, si toto rigore applicetur, in destructionem potius vergere quam in aedificationem animarum. Ita, e. g., licet certum sit Ecclesiam potestatem infligendi poenas temporales habere (c. 2214), etiam respectu fidelium, hoc tamen iure nostris diebus vix utitur relate ad clericos [1].

73. — II. *De vi armata ex iure devolutivo.* - Quae hucusque diximus, de iure Ecclesiae proprio, non de iure Ecclesiae devolutivo, verificantur. Ius autem devolutivum est illud quo quis gaudet in defectu alterius subiecti cui primo illud ius pertineret. E. g., parentes ius et officium habent ex iure proprio filiis educationem et nutritionem praebendi, si parentes quavis ratione deficiant hoc ius et officium ad alios cognatos proximos transfertur, qui proinde ius et officium devolutivum acquirunt.

Ecclesiam autem ius devolutivum ad vim armatam habere non solum ad sui defensionem, sed et ad defensionem societatis civilis ex eius perfectione iuridica comprobatur; omnis enim societas iuridice perfecta ius habet ad sui defensionem; cui defensioni nullo modo subveniri posset, si nec societas civilis ei vim armatam praebere posset, vel vellet, nec ipsa per se vi armata uti posset. Ratio enim ob quam Ecclesiae, ex iure proprio, vis armatae exercitium negatur nulla alia est, nisi quia duae vires armatae in eosdem subditos repugnant. At si ius devolutivum eidem tribuitur, casus duarum virium armatarum in eosdem non verificatur, quia tunc ipsa unice

[1] Cfr. Cavagnis, l. I, n. 338-339; Chelodi, *Ius poenale*, n. 46.

vi armata licite utitur. Nulla ergo ratio est cur vis armata, iure devolutivo, negetur Ecclesiae.

Hoc modo explicatur qua ratione Ecclesia romana, consensu etiam populi accedente, ad populi christiani defensionem, dominium temporale acquisierit, et cur saepe Episcopi medio aevo vi armata usi sint ad societatem civilem christianam defendendam aut etiam iura religionis tuenda [1].

74. — III. *Utrum Ecclesia habeat ius gladii seu punire possit Fideles et inobedientes poena mortis.* - De hac quaestione pauca omnino sunt adnotanda:

1° Quaestio fit de iure gladii Ecclesiae sive mediato sive immediato, sed tamen proprio, quod scilicet ipsa ex iure proprio, non devolutivo, exerceat sive per se sive per alium, seu per societatem civilem, quae ei hoc praestare teneatur.

Quaestio non est de iure gladii, quo aliquando uti possit Ecclesia ex iure devolutivo, ut supra de vi armata vidimus; tunc enim Ecclesia vices civitatis agit et qua talis utique iure gladii pollet.

2° Poenae mortis hoc loco aequivalet quaelibet alia poena gravior sanguinis effusionem aut membrorum mutilationem implicans [2].

3° Quaestio est controversa inter auctores catholicos, et plures hinc inde pugnant.

Pro sententia affirmante Ecclesiam iure gladii gaudere afferuntur praesertim: S. Thomas, Bellarminus, Suarez, Pirhing, Fagnanus, inter antiquos: Mazzella, Palmieri, Billot, De Luca, Cappello [3] et plures alii inter moderniores.

Sententiam vero negantem amplectuntur Bianchi, Vecchiotti, Moulart, Cavagnis, Vermeersch, Choupin [4], aliique recentiores ut Hergenröther-Hollweck [5], Chelodi [6].

Alii denique auctores duas afferunt opiniones nec suam plane sententiam pandunt. Ita praesertim Wernz *l. c.* qui tamen in negantem sententiam propendere videtur, ita etiam Bargilliat [7].

4° Nobis opinio negans probabilior videtur, licet sententiam affirmantem communiorem agnoscamus; quia ius gladii Ecclesiae nullo certo et evidenti argumento firmari contendimus et deinde etiam ob positivas rationes quae pro negativa sententia afferri possunt.

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 350 sq.
[2] Cfr. Vecchiotti, *l. c.*, l. IV, § 7.
[3] *l. c.*, I pag. 140 sq.
[4] Cfr. hos auctores apud Wernz, *l. c.*, VI, 99 in nota 20.
[5] *L. c.* 706.
[6] *Ius de personis*, 22.
[7] *l. c.*, n. 208.

a) Et primo argumenta pro sententia affirmante rem evincere non videntur: haec enim argumenta ad ista fere restringuntur: Ecclesia habet ius gladii, quia est societas perfecta. At in huiusmodi argumentatione pro principio assumitur id quod probandum remanet, nempe: Omnem omnino societatem perfectam necessario gaudere iure gladii, de quo proprie disputatur. Ex dubio igitur principio nequit nisi dubia consequentia deduci.

Alterum argumentum ex necessitate coercendi rebelles et inobedientes sumunt. At etiam istud in hoc fallit quod necessarium supponit ad compellendos inobedientes ius gladii, de quo proprie quaestio est; quam necessitatem nos omnino negamus cum, praeter poenam mortis, alia media et aliae poenae fini Ecclesiae convenientiora haberi possint ad inobedientes et rebelles compellendos [1].

b) *Argumenta vero quae contra ius gladii Ecclesiae sunt praesertim:*

α) Nulla afferri potest lex ecclesiastica poenam mortis continens; nec ulla sententia mortis ab Ecclesia, qua tali, prolata. Nec Ecclesiae imputandae sunt damnationes a societate civili exsecutae quia, etiam in casibus haeresis et similium delictorum societas civilis legem suam, non legem Ecclesiae, exsequebatur.

β) Ecclesia prohibuit interventum clericorum in iudicio criminali, quia id minus congruit mansuetudini quae decet clericos [2]. At si incongruum est clericos in iudiciis sanguinis intervenire; multo magis congruum videtur ipsam Ecclesiam, quae haec prohibuit, a poena capitali imponenda abstinere debere.

Pariter cum Ecclesia clericum degradatum aut alium haereticum iudici saeculari puniendum ob delicta sive ecclesiastica, sive communia tradit, iudicem rogat ut a sanguinis eius effusione abstineat. « Iamvero, ait cl. Cavagnis, si Ecclesiae nomine, sanguis funderetur, esset contradictoria haec petitio, et Ecclesiam in re tam gravi ludere, sine iniuria affirmari non potest. Ergo Ecclesia sanguinem nec effundit per se, nec vult nomine suo effundatur. Sed si Ecclesiae esset ius gladii, non repugnaret sanguinem effundi eius nomine, usus enim iuris, etiam severioris, in debitis circumstantiis non est inconveniens... » [3].

γ) Poena mortis minus congruit verbis Christi adversus discipulos ignem de coelo deprecari volentes: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* [4].

---

[1] Cfr. haec argumenta apud Cappello, *l. c.*, I, pag. 140 sq., qui affirmativam tuetur sententiam.

[2] C. 9, X, 50, III.

[3] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 316.

[4] Luc. IX, 54 sq.

Item male concordari potest sententia affirmans cum declarationibus RR. Pontificum. Nicolaus I haec habet: *Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet nisi spiritualem; non occidit, sed vivificat* [1].

« Concludendum ergo videtur non esse tribuendam Ecclesiae potestatem qua nunquam usa est, cum per tot saecula potuisset, quam nedum sibi vindicare, potius disertis verbis respuit; cuius tandem usus semper ipsi inutilis vel impossibilis foret » [2].

Quod si quis contra nostram sententiam condemnationes S. Inquisitionis afferat; adnotamus S. Inquisitionem qua ecclesiasticum tribunal nullam ad poenam capitalem condemnationem protulisse, nec contra haereticos Ecclesiam unquam poenam mortis constituisse, ut videri potest ex *corpore iuris canonici* vetere ubi leges ecclesiasticae referuntur, et potius Ecclesiae negatur ius poenam mortis inferendi ut constat ex loco supra citato [3]. At de S. Inquisitione fusius postea.

Sed haec insuper adnotamus « distinguenda esse quae princeps praestare debet in ministerium Ecclesiae eius nomine, et quod in protectionem eius praestat nomine proprio. Si enim daremus Ecclesiam indigere pro sua defensione applicatione poenae capitalis, et ex hoc adiutorium principis invocare, iam ipsa exerceret mediate ius gladii; sed semper poena capitalis eius nomine applicaretur, et princeps exhiberet tantum ministerium. Factum autem tribuitur tanquam principali auctori ei qui illud imperat, non autem ei qui illud ministerialiter praestat; ita mors delinquentis tribuitur iuridice principi vel iudici, potiusquam carnifici.

« Sed praeterea cum religio sit fundamentum moralitatis et moralitas sit fundamentum reipublicae, potest princeps protegere religionem non quatenus religio est, sed quatenus fundamentum reipublicae; si igitur in aliqua republica, catholica religio sit socialiter recognita ut vera religio, poterit Status compescere eius perturbatores, quia turbando religionem laedunt et societatem et proinde crimen religiosum est etiam civile. Hanc distinctionem inter id quod praestat Ecclesia et quod ulterius addit princeps innuit S. Leo Magnus in epist. ad Turribium: " Quae (Ecclesia) si sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit ultiones, tamen christianorum principum constitutionibus adiuvatur, dum ad spirituale non numquam recurrunt remedium, qui timent corporale iudicium...". Tamen Status ita compescere nequit crimen religiosum ut laedat finem religiosum, et proinde iudicis ecclesiastici est videre ne Status excedat in hoc. Praecedit tunc iudicium sacerdotale, iudicans de delicto religioso, ex g., de haeresi propugnata dogmatizando, quo habito traditur reus brachio saeculari, et iudex laicus,

---

[1] c. 6, C. 33, q. 2.

Videri etiam potest quod habetur c. 26 Concilii Lateranensis III, a. 1179: « Sicut ait Beatus Leo, *licet ecclesiastica disciplina, sacerdotali contenta iudicio, cruentas non efficiat ultiones;* catholicorum tamen principum constitutionibus adiuvatur, ut saepe quaerant homines salutare remedium, dum temporale super se metuunt evenire supplicium »; cfr. Denzinger-Ban., n. 401. Quae optime explicant praxim a Sacra Inquisitione tunc temporis servatam.

[2] Rivet, *l. c.*, pag. 94.

[3] Cfr. Concil. Later. III, c. 26, apud Denzinger-Bannwart, n. 401.

supposito crimine religioso, ei applicat poenam. Sed pro re nostra notandum est, tunc iudicem laicum non punire delictum religiosum, ut mere religiosum, sed ut sociale, et proinde non punire nomine Ecclesiae, sed suo » [1]. Quae sunt praeclare dicta et prae oculis habenda ad respondendum iis qui tribunali Ecclesiae condemnationes capitales tribuant.

75. — Scholion. - *Obiectiones.* - Contra potestatem coactivam in genere et praesertim contra ius Ecclesiae poenis temporalibus delicta coercendi plurimae fieri solent ab auctoribus acatholicis obiectiones; quare hic ad praecipuas solvendas principia adiecisse iuverit.

1° Quae obiiciunt de repugnantia Ecclesiae finem inter et ius puniendi Ecclesiae; quia, scilicet, finis Ecclesiae est salus animarum quae necessario libere obtinenda est, cui libertati opponitur coactivitas; et quod poenarum inflictio non veram religionem, sed hypocrisim adiuvat, his refutantur adnotationibus:

a) Notandum est finem Ecclesiae ultimum esse utique salutem animarum, at huic fini ultimo non opponi alios fines eidem subordinatos, ut sunt finis servandi ordinem socialem, quo servato, omnes in societatem facilius proprium finem consequi possunt; finis praeveniendi crimina, quibus a societate et ab individuis recedentibus, melius salus animarum obtinetur; finis emendandi vitam singulorum etc. Quae omnia optime ad finem ultimum Ecclesiae ordinantur; ad haec autem in Ecclesia poenae inflictio tendit, quae proinde Ecclesiae fini non opponitur.

b) Notandum est secundo poenas infligendi ius non ordinari generatim ad finem consequendum, nisi indirecte; scilicet, ad removenda obstacula ut, e. g., scandala reparanda, vindictam sumendam, emendationem procurandam, ceteros deterrendos etc. Quae omnia fini Ecclesiae non contradicunt.

c) Notandum est tertio finem potestatis coercitivae multiplicem esse, seu emendativum, vindicativum, exemplarem etc. et dummodo ex poena aliquis horum obtineri possit poenarum inflictio iustificatur. Et revera, etiam in poenis ecclesiasticis, aliquis horum finium obtineri semper potest.

d) Notandum est denique etiam illas poenas, quae ad reum emendandum et eius spiritualem salutem obtinendam ordinantur, non opponi libertati quae ad merendam vitam aeternam requiritur, sed potius eam adiuvare; etenim libertas quae requiritur ad meritum coram Deo est libertas indifferentiae, qua quis vult hoc vel illud. At haec libertas integra manet quaevis poena imponatur. Poenae enim inflictio voluntatem a malo avertere et ad bonum inclinare, de se, tendit. « Quod si aliquando timore poenae, quis ponat actum externum absque necessariis internis dispositionibus, et sic peccet, forsitan etiam graviter, erit ex mero abusu peccatoris et praeter intentionem societatis, quae intuitu boni publici, permissive se habet quoad peccatum individui » [2].

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, 313.

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 253; Rivet, *l. c.*, pag. 85; Cappello, *l. c.*, I, pag. 160 sq.; Tarquini, *Iuris publici institutiones*, n. 47.

2° Quae obiiciunt contra ius Ecclesiae poenas temporales adhibendi, ex eo quod poenae temporales hominem bonis privant temporalibus quae homini non ab Ecclesia, sed a natura data sunt, quaeque proinde non potest Ecclesia homini auferre, falso laborant supposito. Hoc enim remanet probandum, nempe, societatem in poenis infligendis ea tantum auferre a sociis posse quae ipsa sociis contulit. Ad contrarium potius probatur ex societatis civilis potestate poenas infligendi reis; quam potestatem nemo unquam sanae mentis negavit. Societas enim civilis reos coercet privatione vitae, libertatis physicae, familiae quae omnia homo non a societate civili, sed a natura habet. Falsum igitur est principium quo obiectio innititur nempe societatem posse in subditis puniendis eos iis tantum bonis, quae iisdem ipsa contulit, privare.

Id insuper notandum est hominem subdi Ecclesiae, qua hominem integrum, anima et corpore constantem, tota nempe sua activitate, quae bonis spiritualibus et temporalibus, tum naturalibus, tum acquisitis constat; quibus proinde homo, si id ad bonum commune requiratur, privari utique poterit [1].

3° Quod obiiciunt tertio ex necessitate vis armatae ad efficacitatem poenarum, praesertim temporalium, et proinde Ecclesiam iure has poenas imponendi destitui, quia vi armata caret, in hoc fallit:

a) Quod Ecclesia certo vi armata saltem mediata gaudet; quae si ei a societate civili non praestetur, ipsa et vi armata iure devolutivo immediate uti potest, si velit et necessarium putet, ut alibi vidimus; et proinde falsum est Ecclesiam vim armatam non habere.

b) Etsi conceditur Ecclesiam vim armatam non habere, inde tamen non sequitur ipsam iure poenas infligendi destitui; etenim duo distincta sunt haec; vim armatam et ius puniendi habere, et unum sine altero consistere potest; Ecclesia enim, licet vi armata careret, semper tamen vim canonicam haberet ad suarum poenarum exsecutionem urgendam, quae vis canonica in hoc consistit, ut reus debitor poenae coram Deo et Ecclesia fiat et censuris adigi possit ad poenas sustinendas.

c) Denique licet per accidens aliquando ius poenas infligendi in Ecclesia inutilis aut inefficax evaderet, non inde sequeretur Ecclesiam suo iure destitui; etenim plura iura, per accidens, aliquando impediuntur et ineffícacia redduntur et tamen nemo putat ea iura excidere; ita, e. g., ius dominii in res suas certe praevalet iuri furis qui rem abstulit; at, de facto, saepe hoc ius impeditur a fure et tamen ius non excidit.

4° Obiectiones quae ex textibus iuris, SS. Patrum, et doctorum catholicorum dictis afferuntur contra poenas temporales specifice sumptas refelli possunt sequentibus animadversionibus:

a) Quod generatim illa dicta vel illi textus contra usum poenarum ad conversionem infidelium obtinendam referuntur; quo sensu et nos ex certa Ecclesiae doctrina admittimus infideles ad fidem amplectendam nulla ecclesiastica poena compelli posse.

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, n. 297.

b) Unus vel alter textus SS. Patrum infirmare non potest doctrinam quam communiter tenent alii SS. Patres et praesertim Ecclesia, sua multorum saeculorum praxi.

c) Aliqui textus iuris qui contra Ecclesiae ius infligendi poenas temporales afferri solent — hoc tantummodo probant, Ecclesiae ius gladii seu ius mortis infligendae contra delinquentes non competere, quod et nos, ut probabilius, admittimus.

d) Denique aliquando textus, qui ius poenas imponendi negant Ecclesiae, interpretari debent de potestate immediate exercenda quam et nos ab Ecclesia iure proprio, si de poenis temporalibus gravioribus quae usum vis armatae requirant sermo sit, abiudicamus. At illi textus nequeunt recte interpretari de potestate mediate exercenda aut etiam de potestate immediate exercenda, iure devolutivo, ut iam supra vidimus [1].

76. — IV. **De tribunali inquisitionis.** - Auctores qui Ecclesiae potestatem gladii adiudicant, argumentum ad suam firmandam opinionem afferunt ex institutione S. Inquisitionis, per quam ab Ecclesia contra haereticos poenam mortis statutam esse affirmant. At hoc prorsus a veritate absonum est, quod ex iis quae circa S. Inquisitionis tribunal hic subnectuntur, patebit:

1° Ante omnia distinguenda est S. R. et U. Inquisitio ab Inquisitione hispanica; duo enim instituta sunt haec et non paris seu aequalis omnino rationis.

77. — 2° De S. R. et U. Inquisitione haec adnotamus:

a) Inquisitio in Gallia originem habuisse videtur, in concilio Bliteriensi (Beziers) a. 1215, ubi haeretici Albigenses multis criminibus indulgebant. In illo concilio Legatus apostolicus decrevit ab Episcopo in singulis paroeciis sacerdotem et duos vel tres laicos nominandos esse qui officio inquirendi haereticos eosque iudicibus saecularibus denuntiandi fungerentur. Huiusmodi Inquisitio episcopalis fuit. Anno 1232 Gregorius IX S. Inquisitionem organizavit et maxima ex parte Ordini Praedicatorum commisit; quae organizatio populis illius temporis maxime placuit ex eo praesertim quod per ipsam vita civium tutius protegebatur a malorum hominum vexationibus; ex quo factum est ut multi familiae Inquisitionis sese adscripserint [2].

b) S. R. et Univ. Inquisitio qua tribunal ecclesiasticum reum delicti ecclesiastici capite nunquam damnavit. Quod ex eo patet

---

[1] Cfr. Choupin, *l. c.*, pag. 274 sq.
[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 323-324.

quod inter leges ecclesiasticas nulla inveniri unquam potuit, quae hanc poenam statuat, nec in *corpore iuris*, nec extra corpus.

Quodsi medio aevo revera haeretici capite damnati sunt, id non Ecclesiae, sed civili potestati, imputandum est, quae hanc poenam in suo foro statuit et applicavit. Id patet, praeterquam quod nulla lex ecclesiastica hanc poenam statuens inveniatur, etiam ex formula qua haereticus a S. Tribunali brachio saeculari tradebatur: « Eundem *N.* tamquam haereticum relinquimus brachio et iudicio curiae saecularis, eamdem affectuose rogantes, prout suadent canonicae sanctiones, quatenus citra mortem et membrorum eius mutilationem circa *ipsum suum iudicium* et *suam sententiam* moderetur » [1]. Ex qua formula patet haereticum traditum fuisse non solum brachio, sed et *foro* et *iudicio saeculari* quod proinde in reum suam sententiam et iudicium proferebat, et suam, non fori ecclesiastici, sententiam reo applicabat.

Quod ex eo etiam confirmatur quod revera Friderici II lex poenam capitalem contra haereticos statuens invenitur, atque in ea ferenda Imperator testatur reum auctoritate sua damnandum: « *Auctoritate nostra ignis iudicio concremandus* ».

Hoc utique speciale interveniebat in hoc iudicis saecularis iudicio, quod ipse de crimine haeresis, qua delictum directe contra religionem est, iudicare non posset; nec enim iudex saecularis iudex appellationis erat; et crimen pure ecclesiasticum erat quatenus religioni opponebatur. Nihil tamen impedivisse videtur, quominus iudex de eodem crimine, quatenus crimen erat civitati obnoxium, iudicium ferret; et de iudicio sententiaque saecularis fori loquuntur tum Fridericus II, tum Gregorius IX [2].

De facto tamen sententias huiusmodi a iudice laico latas non possidemus et forte a iudice saeculari realiter nulla ferebatur sententia, quod evenisse potest ex quodam tacito vel etiam expresso pacto inter potestatem saecularem et ecclesiasticam inito, quo quilibet haereticus in foro Ecclesiae damnatus a iudice etiam saeculari ut noxius patriae habebatur. Quod quidem et haeresibus illius temporis apprime congruit; illae enim haereses ipsius societatis civilis fundamenta evertere conabantur, ut matrimonium, familiam et religionem; et communistis nostrorum temporum vel anarchicis optime aequiparantur [3].

---

[1] Cfr. Douais, *L'inquisition*, pag. 264.

[2] c. 15, X, 5, 16.

[3] Cfr. Douais, *L'Inquisition*, Paris, 1906, pag. 137 sq.; et 263 et sq.; Hergenröther-Hollweck, *l. c.*, 143-144.

c) Circa plures sententias mortis Romae aut etiam alibi probatas contra haereticos, aliorum etiam criminum reos, notandum est illas sententias, licet forte a tribunali Inquisitionis procedentes, non tamen processisse ab eodem quatenus tribunali ecclesiastico sed quatenus una cum iurisdictione ecclesiastica et civilem seu saecularem comprehendebat. Quod factum est ex eo quod idem erat ex iure historico princeps civitatis et Summus Pontifex religionis.

Audiatur in hac re clarus Cavagnis: « Sententiam autem probatam esse nomine Pontificis, ut talis, non ostendit merum factum pronuntiationis factae a Tribunali S. Officii, cum notum sit aliquando sub Pontifice rege attributiones tribunalium non fuisse exacte distinctas et separatas, sed facultatibus cumulativis processisse Pontificis et regis, adeo ut aliquando praesertim clerici officiales praestarent quae erant laicorum. Hinc potestas nativa Ecclesiae desumenda est ex legibus eius et factis generalibus, non autem a legibus specialibus Status pontificii, si quae fuissent ab illis discordantes, nisi aliud manifeste ostendatur. Ex dictis autem resultat leges generales Ecclesiae totamque eius agendi rationem, abhorruisse a sententia capitali pronuncianda. Item et pro aliis Statibus a pontificio distinctis videndum est an tribunal aliquando fuerit mixtum, idest ex iudicibus ecclesiasticis et civilibus compositum, quorum utrique pro re sua pronuntiarent; immo, etsi resultaret ex solis iudicibus ecclesiasticis, potuit esse iuridice mixtum, quatenus et regia auctoritate procederet, applicando poenas civiles inter quas est et capitalis » [1].

d) Quodsi quis miretur Ecclesiam non impedivisse eiusmodi poenam, notandum est ad id Ecclesiam obligatam non fuisse, quia illa poena tunc temporis, poterat iuste a societate civili imponi.

« Et insuper negari non potest in Statu catholico, ex indirecta subordinatione potestatis saecularis ad Ecclesiam, principem teneri ad protegendam religionem catholicam unice veram atque excludendum publicum exercitium falsi cultus. Ex qua obligatione nascitur ius condendi leges, etiam poenales, quibus illa unitas religiosa conservetur et protegatur contra perturbatores, qui, in tali hypothesi, etiam contra publicum bonum societatis delinquunt » [2].

« Quodsi RR. Pontifices non in casu particulari alicuius rei traditi brachio saeculari, sed generali modo hortati sunt, atque adeo iniunxerunt principibus saecularibus etiam sub interminatione poenarum spiritualium ut in coercendis haereticis suum Officium erga societatem et erga Ecclesiam adimplerent, atque in illos leges iam constitutas applicarent vel tales leges ederent; iterum inde nequidem imputabilitas poenae inflictae in Ecclesiam redundat. Nam R. Pontifex etiam in principes per baptismum sibi subiectos veram habet iurisdictionem; cum qua iurisdictione est coniunctum officium

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 320-321.

[2] Wernz, *l. c.*, VI, n. 100, III; Cavagnis, *l. c.*, n. 322; Choupin, *Valeur de décisions*, etc. pag. 473 et sq.

eos sive hortationibus, sive praeceptis urgendi ut obligationi suae satisfaciant, nec sinant ut ex negligentia sui officii societas, cui praesunt, grave detrimentum capiat... Sed qui alterum auctoritative monet de officio implendo, atque adeo, ex potestate quam habet, moraliter per poenas cogit, ut illud adimpleat, non est causa moralis actuum quos ille ex vi sui officii ponit » [1].

78. — 3° De inquisitione hispanica adnotamus:

a) Sixtus IV a. 1478 hispanis ad Mauros, ut plurimum, ficte conversos et ad haereticos compescendos Inquisitionem sub regum protectione et pluribus deinde a rege privilegiis auctam concessit [2].

b) Haec Inquisitio non solum de criminibus spiritualibus, sed et de criminibus mixti fori, immo et de criminibus mere civilibus iudicabat, ex quo factum est ut tribunal mixti fori revera evaserit.

Canonicus Llorente qui Inquisitionis hispanicae historiam scripsit, eidem 40000 capitales damnationes spatio trium saeculorum attribuit; at ignoratur prorsus quot ex his damnationibus causam habuerint delictum spirituale, quaeve delictum civile; ex eo praesertim quod ille scriptor, nova prorsus methodo, historia conscripta, archivia quibus usus fuerat, destruxit igne [3].

Hoc autem modo procedebat Inquisitio hispanica: « Advenientibus inquisitoribus in aliquam regionem; proponebant edictum quo omnes lapsos in haeresim, apostasiam vel superstitiones incitabant ad poenitentiam, atque sponte confessis indulgentia promittebatur... Contra ceteros procedebatur, primo publicando testimonia ut in ceteris causis. Sed cum testes ob multitudinem, potentiam et audaciam lapsorum non essent tuti, concessum est a Bonifacio VIII cap. ult. *De haereticis* in 6, publicationem supprimi posse quando periculum exstaret; id post occisionem S. Petri de Arbues, Aragoniae Inquisitoris anno 1485, in regulam generalem transiit. Cautelae tamen magnae adhibebantur, et poenae auctae sunt in falsos testes. Tortura autem, iuxta morem illius aetatis, in usu erat, sicut fuit et apud graecos et romanos; sed in eadem causa semel tantum eidem subiiciebantur accusati, dum in tribunalibus laicis nullus erat limes legalis. Adveniente autem die, habebatur actus fidei, *auto-da-fè;* id est poenitentes retractactionem suam legebant et eis poenitentia competens imponebatur. Rei autem criminum civilium

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, VI, n. 100, III; Choupin, *l. c.*, pag. 530, ubi id firmat hoc exemplo: « Supposons un juge prévaricateur, infidèle a sa mission. Grâce à ses faiblesses les voleurs, les assassins multiplient leurs crimes dans les pays au point de compromettre gravement la securité publique. Le ministre prévenu avertit le magistrat, avec sanction à l'appui, de faire son devoir et d'appliquer les lois en toute justice et équité. Le juge ne voulant pas s'exposer à subir des peines, remplit désormais son devoir avec courage, et rend des arrêts parfaitement justes et équitables. Non obstant les avertissements, les ordres, les minaces de ses supérieurs hierarchiques, le juge, quand il rend ses sentences, ses arrêts, ne en rest-t-il pas juridiquement responsable? Ses supérieurs lui ont tout simplement inculqué la necessité de faire son devoir. Il a compris cet avis, et le met en pratique mais il agit toujours sous sa propre responsabilité, en vertu de ses pouvoirs ordinaires ». Choupin, *l. c.*, pag. 530.

[2] Cavagnis, *l. c.*, n. 327.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, n. 328.

aut apostasiae cum impoenitentia, vel relapsus, foro saeculari tradebantur. Igitur quamvis inquisitio, nomine regio potuisset poenam capitalem applicare, non ipsa decernebat, contenta iudicio doctrinali de qualificatione haeresis, si exstaret, et de exsistentia criminis, ut faciunt hodierni iurati et periti, crimen autem in facto est » [1].

c) Quodsi haec, his non obstantibus, admiratione digna videantur, notandum est « hispanicae inquisitionis severitatem, etsi ex politicis rationibus satis iustam, a Summis Pontificibus pluries reprehensam fuisse; ex quo melius apparet indoles eius regia et politica, potius quam ecclesiastica et pontificia. Sub ipso Sixto IV relationes diplomaticae ruptae sunt hac de causa inter S. Sedem et regem Hispaniae, qui et omnes suos subditos ab Urbe revocavit. Reges etiam curabant impedire appellationem ad S. Sedem, cum facile ab ea absolverentur qui in Hispania damnati fuerant, vel saltem poenitentiae minuerentur. Hinc saepe poena excommunicationis a Pontifice vel Legatis eius comminata fuit et aliquando etiam lata contra inquisitores impedientes appellationes aut vexantes appellantes. Ex quibus melius elucescit mitis indoles Ecclesiae in poenis inferendis » [2].

d) Hoc tamen addendum est hispanicae inquisitionis meritum esse, si Hispania bellorum civilium per totam fere Europam grassantium ex invalescentibus saeculo XVI protestantium erroribus horrorem non sentiit, ab eisque immunis fuit.

Deinde, licet non omnes capitis damnationes in Hispania exsecutae iustificari possint, nec debeant, tamen illius regionis barbaries, tam resonantibus buccis ab Ecclesiae inimicis longe, lateque decantata, a barbarie aliarum regionum, praesertim vero protestantium, superata est, et ita quidem ut, ex testimonio cl. Cantù, plures, sine ulla iudiciali formalitate exsecutiones capitales factae sint, spatio undecim annorum (1641-1652), una religionis causa, in Hibernica ab Anglis protestantibus contra catholicos, quam, non solum hispanica sed et totius mundi inquisitio, toto quo exstitit tempore, fecerat [3].

4° Ex quibus omnibus patet iudicium de inquisitione hispanica a modernis incredulis iniustum ferri cum Ecclesiae haereticorum damnationes capitis imputent.

Sed etiam iniuste fertur iudicium de illis damnationibus, etsi societati civili imputantur, si de illis ex modernis nostrorum tem-

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 329 sq.
[2] Cavagnis, *l. c.*, 335.
[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 331.

porum moribus iudicium feratur. Suaviores enim mores hodierni utique ab illis severioribus poenis abhorrent, quae tamen medio aevo non repugnabant. Iudicium autem de moribus medii aevi ferendum est, non ex moribus hodiernis, qui, illis temporibus, minime convenissent, sed ex moribus tunc vigentibus. Ecclesia tamen etiam illis temporibus, quantum fieri potuit, mansuetudini studuit.

PARS II.

IUS PUBLICUM EXTERNUM

SEU

RELATIONES ECCLESIAM INTER ET ALIAS SOCIETATES

79. — *Connexio materiae.* - Expleta iam quaestione de Ecclesiae perfectione iuridica (*sovranità*), ultra progredimur ad determinandas relationes quas ipsa cum aliis societatibus sive civilibus sive religiosis habere potest; cum enim societates hominibus constent, facile inter eas relationes oriri possunt, ad quarum determinationem iurium norma statui debet. Ad hanc normam statuendam hac parte principia generalia trademus, remissis peculiaribus quaestionibus, quae ex iis quae hic dicimus tanquam consequentiae deduci facile poterunt, ad partem sequentem. - Ut autem quodam ordine procedamus, agemus:

1° De relationibus Ecclesiae ad civilem societatem catholicam.

2° De relationibus Ecclesiae ad societatem civilem christiano-acatholicam.

3° De relationibus Ecclesiae ad societatem civilem infidelem.

4° De relationibus Ecclesiae ad alias societates religiosas de facto exsistentes.

CAPUT I.

De relationibus Ecclesiae ad societatem civilem catholicam.

80. — I. **Praenotationes.** - Quaestio ista de relationibus Ecclesiae ad societatem civilem catholicam, ut recte notat cl. Wernz, « in concreto reducitur ad disquisitionem, quaenam relatio intercedat inter potestatem ecclesiasticam et civilem » [1]; etenim societates a suis potestatibus repraesentantur, et quod potest societas recte et potestas eius posse dicitur. Ut autem status quaestionis melius determinetur et ea quae infra dicentur melius intelligantur has, quae sequuntur, animadversiones praemittendas censemus:

1° Hic agimus tantummodo de duabus societatibus perfectis, societate nempe religiosa et societate civili. Aliae omnes societates sive temporales sive spirituales inferiores, cum intra alterutrius

---

[1] Wernz, *l. c.*, I, n. 10.

ambitum directe includantur, directe subduntur societati superiori perfectae sui ordinis et relate ad eamdem *homogeneae* vocantur; respectu vero societatis perfectae alterius ordinis, eidem subduntur vel non prout sua maior subditur vel non, et illius respectu dicuntur *heterogeneae* [1].

2° Cum igitur duae sint societates perfectae specifice inter se distinctae et necessario inter se relationes habere debeant, quia sunt inter se solummodo *formaliter*, non *materialiter* distinctae, eosdem plerumque habentes subditos, inter quos casus conflictus haberi facile potest; tota quaestio de relationibus Ecclesiae ad Statum reducitur ad hoc: *Utrum Ecclesia respectu societatis civilis catholicae sit maior, vel minor, vel prorsus aequalis.* Cui quaestioni ita respondendum est iuxta ea quae alibi diximus: Cum superioritas seu maioritas unius societatis prae alia ex finis superioritate aut maioritate dimetienda sit; et cum finis societatis religiosae, extra dubium, sit superior fine societatis civilis, omnino affirmandum est Statum esse inferiorem [2].

3° Maioritas seu superioritas unius societatis prae alia triplex considerari potest: et primo aut ea quae maior est, omnino independenter ab alia agit nec illam tangit, ita ut omnimoda et absoluta independentia utraque gaudeat; quae hypothesis ad separationem societatis civilis ab Ecclesia ducens, admitti nequit, quia hominem dupliciter divisum supponit, cum revera non sit, et quia in praxi illa absoluta independentia subsistere nequit, cum plurimi sint casus in quibus inter utramque relationes intercedere debent, quae relationes conflictum implicantes aut superioritatem aut inferioritatem iuridicam alterius ad alteram supponunt. Deinde finium ordines inter se coniuncti sunt et ordinari debent ita ut alter alteri non noceat, quod facile eveniret si utraque societas iisdem subditis ab alia independenter iubere praesumeret.

Secundo potest altera societas alteri praevalere absolute, ita ut eamdem directe subiectam habeat, atque in eam omnimodam iurisdictionem exerceat, etiam in iis quae ad illius finis assecutionem spectant. Et hoc verificatur in societatibus homogeneis respectu sui ordinis societatis perfectae. In hoc autem casu dicitur societas superior in inferiorem, potestatem directam exercere. At haec hypothesis in casu nostro admitti nequit, quia utraque societas finem proprium et in suo ordine perfectum habet; et quia aliter una tantum, non duae societates perfectae haberentur.

---

[1] Cfr. Tarquini, *Institutiones iuris ecclesiastici publici*, n. 49; Cavagnis, *l. c.*, I, n. 359.
[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 361, II; Tarquini, *l. c.*, 49.

Tertio tandem potest superioritas unius societatis prae altera ita concipi ut altera alteri praevaleat et super eam iurisdictionem exerceat; non *directe* tamen, sed *indirecte*, seu *per accidens*, id est, tunc solum cum huiusmodi iurisdictionis exercitium ad superioris societatis finis assecutionem necessarium est. Huius speciei est superioritas qua gaudet Ecclesia super societatem civilem catholicam, ut ex dicendis patebit.

In prima hypothesi coordinationem perfectam inter varias societates habemus, quia superioritas sine iurisdictione ad *superioritatem nominalem* reducitur; altera *superioritas directa* appellanda est; tertia *superioritas indirecta*.

4° Societatem civilem catholicam vocamus illam quae membris catholicis constat « et principia catholica agnoscit ut normam legislationis. Quodsi in ea sint aliqui acatholici, ipsorum ratio non habetur in legislatione generali, quamvis aliquando possit et debeat ipsorum ratio haberi in exceptionibus quibusdam pro ipsis ponendis, de quibus inferius. Quodsi cives essent catholici, sed legislatio non agnosceret principia catholica, iam id vitio legislationis vertendum esset, ideoque culpae sive populi sive principis, pro diversa regiminis forma; deficerent enim omnino rationabiles causae quae intra quosdam limites possunt permittere legi ut a religione catholica praescindat, quae consistunt ex infra dicendis in perturbationibus quae orirentur ex resistentia dissidentium: sed si resisterent ipsi catholici, iam mali catholici essent et nomine potius quam re. Iamvero in societate catholica debent verificari in concreto omnia quae in abstracto statuentur circa relationes societatis civilis et Ecclesiae: idest relationes exemplares, iuxta intentionem divinam plene exsecutioni demandatam » [1].

81. — II. Variae opiniones et earum crisis. - Circa relationes Ecclesiae ad societatem civilem plures a variis auctoribus excogi-

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, n. 397. Similia habet et Tarquini: « Civilis catholicorum societas ea re a ceteris distinguitur, quod eadem illa constat hominum multitudine, unde Ecclesia ipsa Christi, idest catholica coalescit: quo fit ut eiusmodi societas reale quoddam corpus ab Ecclesia diversum ac separatum nullo modo constituat, sed ambae simul rationem habeant duplicis foederis, atque obligationis eidem multitudini inhaerentis quae illa scilicet sub imperio magistratus civilis felicitati temporali quaerendae vires intendit, sub imperio autem Ecclesiae adeptioni vitae aeternae; atque ita quidem, ut fateatur, hanc vitam aeternam ultimum ac supremum esse finem, cui felicitas ac vita tota temporalis subsit, quandoquidem nisi haec fide teneat, neque ad catholicam Ecclesiam pertinere, neque catholico uti nomine ullatenus posset. Civilis igitur catholicorum societatis ea est vera notio, ut sit hominum coetus qui temporali felicitati quaerendae ita student, ut profiteantur, eam subesse debere studio felicitatis aeternae, quam sub Ecclesiae catholicae regimine obtineri tantum posse, credunt ». - Tarquini, *l. c.*, n. 53; Cappello, *Summa iuris publici eccles.*, n. 241 (1923).

tatae sunt theoriae, quae ad quattuor praeter nostram tenendam sententiam, facile reduci possunt. Nos hic eas exponemus et iudicium nostrum circa ipsas manifestabimus: ad longiorem tractationem remissa theoria potestatis indirectae quam nos, ut unice veram, admittimus. Sunt igitur in hac controversia quattuor opiniones:

1° **Theoriae hegemoniae seu maioritatis Status.** - Est systema illorum qui docent Statum omnium iurium fontem esse atque Ecclesiae perfectam iuridicitatem negant, saltem aequivalenter, docendo iuridicitatem, si qua Ecclesia gaudeat, a Statu obtinuisse et a Statu auferri iterum posse, nihilque posse Ecclesiam, Statu obsistente. Hoc systema tenent plurimi e liberalistis et nationalistis necnon cuiusvis nominis incredulis nostrorum temporum qui Statulatria, ut dici solet, laborant. In eius refutatione non sistimus, quia ex iis satis refutatur, quae de Ecclesiae perfectione iuridica et independenti alibi diximus [1].

2° **Theoria hegemoniae absolutae Ecclesiae seu systema potestatis directae.** - In huiusmodi systemate id affirmatur respectu Ecclesiae quod in superiori systemate respectu Status; scilicet: affirmatur Ecclesiam unicam esse societatem vere perfectam iuridice; societates vero civiles, si quo gaudeant iure, id ab Ecclesia aut a R. Pontifice obtinuisse; principes proinde saeculares non esse nisi vicarios aut delegatos Romani Pontificis.

Huiusmodi theoriam in refutatione systematis Marsilii Patavini tenuit Augustinus Triumphus (a. 1328) in libro *Summa de potestate Eccles.;* item Alvarus Pelagius (a. 1352) et alii pauci ut Ioannes Saresbariensis, Panormitanus, Iacobus de Terrano; S. Thomas Cantuariensis, Cardinalis Hostiensis seu Henricus de Segusia etc. [2].

Quodsi quidam moderniores hanc theoriam in usum deductam fuisse a Romanis Pontificibus asserunt, id probare non possunt, et facta quae afferuntur in nostra theoria potestatis indirectae optime explicantur, salva utriusque societatis perfectione iuridica et independenti. Neque enim affirmari potest perfectioni iuridicae societatis repugnare subordinationem indirectam.

De hac theoria hoc dici potest. Licet forte per se ipsa non repugnet, quia per se eadem societas utriusque finis assecutionem curare posset; repugnat tamen iuri positivo divino quo clare distinctio inter societatem temporalem et spiritualem, et proinde, inter potestatem utriusque clare continetur. Iure enim positivo divino scimus Christum societatem spiritualem tantummodo constituisse et fundasse et positive se protestatum esse sibi curam non pertinere de rebus temporalibus: « *Quis me constituit iudicem inter vos? - Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo* ».

---

[1] Inter systemata erronea etiam naturalismus et indifferentismus adnumerandi essent; at cum revera hi errores ad atheismum reducantur, et nos istum errorem refutatum supponamus sive in philosophia sive in theologia, hic de eo sermonem non facimus ad philosophos sedulum lectorem remittentes. Dein hoc etiam addendum est hos errores systema aliquod circa relationes inter Statum et Ecclesiam non habere, quia Ecclesiae omnimodam iuridicitatem negant et eius exsistentiam non considerant nisi ut factum nullo iure firmatum vel firmandum. - Cfr. tamen Cavagnis, *l. c.*, n. 515 et sq.; Cappello, *l.c.*, I, pag. 258 sq.

[2] Cfr. Chelodi, *Ius de personis*, 1922, n. 24.

Ceterum haec opinio nostris diebus ab omnibus viris doctis relicta est [1].

3° **Systema potestatis directivae.** - Fautores istius systematis admittunt utique aliqualem superioritatem Ecclesiae super Statum, at omnino negant quamlibet sive directam sive indirectam Ecclesiae in Statum iurisdictionem. Patroni huius systematis potestatis directivae veram iurisdictionem Ecclesiae in Statum, sive directam, sive indirectam, cui insita sit vis obligandi vel cogendi omnino negant, atque suam potestatem directivam Ecclesiae in potestatem civilem intelligunt de facultate quadam Ecclesiae docendi, monendi, consulendi, rogandi, quae non est propria potestas superior [2]. Hanc theoriam docuerunt plus minus reformatam Fénelon, Bossuet, Du Pin, Fleury, Gosselin, Van Gils, etc. [3].

In hoc istud systema errare videtur quod cum factis historicis depositionum principum et declarationibus [4] Romanorum Pontificum difficile concordari potest; et normam pro casu conflictus, facile occurrente, solvendo non tradit.

Ipsum vix effugere potest notam theologicam *falsitatis* [5].

4° **Systema absolutae coordinationis.** - Ista theoria duplici elemento constat: primo affirmat tum Ecclesiam tum Statum civilem societates perfectas in suo utramque ordine supremam; deinde ex hac prima assertione deducit neutram in alteram iurisdictionem exercere unquam posse, sed utramque parallela via procedere debere. Ex his autem deducunt fau-

---

[1] Cfr. Wernz, *Ius Decretalium*, I, n. 10, nota 32; Rivet, *l. c.*, pag. 119 et sq.; Cavagnis, *l. c.*, I, n. 398 sq.; Castiglioni P., *Manuale di Diritto canonico* (1916), pag. 99 et sq.

[2] Wernz, *l. c.*, n. 35.

[3] Cfr. Wernz, *l. c.*, et Rivet, *l. c.*, pag. 117 sq.

[4] Wernz, *l. c.*, I, 10, nota 37 contra systemata perfectae coordinationis aut potestatis directivae, affert propositionem 24 Syllabi Pii IX: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam ». Iuxta alios tamen illa propositio non refertur ad systemata potestatis *indirectae, directae* aut *directivae*, nec ad potestatem Ecclesiae spiritualem in Statum, sed ad potestatem temporalem Ecclesiae in genere (cfr. Sägmüller, *l. c.*, pag. 47).

[5] Non desunt tamen canonistae moderni potestatis directivae fautores ut Sägmüller, Böckenhoff, Scherer; immo sunt etiam quaedam documenta quibus isti ad suam opinionem roborandam utuntur vel uti possunt. (Cfr. e. g. schema concil. Vatic. apud Chelodi, *l. c.*, 27, pag. 42, 4, nota 5 et pag. 40 nota 5, ubi iudicium Romani Pontificis in res principum et politicas refertur ad potestatem *magisterii*. Ex his autem quidam auctores ita attenuant systema potestatis directivae, ut vix a mitioribus expositionibus systematis potestatis indirectae differre videatur. Ita, e. g., iuxta Sägmüller, potestas directiva in hoc consistit, quod Ecclesia ius et obligationem habet illuminandi conscientias principum et populorum docendo, adhortando, monendo, *praecipiendo* et *puniendo ;* itemque ius et obligationem in memoriam ipsis principibus et populis revocandi eorum erga Deum et religionem obligationes; et circa ipsas obligationes ius *decidendi* quid moraliter licitum, quid nefas sit. En verba clari A.: Potestas directiva « bestehet darin, dass die Kirche das Recht und die Pflicht hat, belehrend, mahnend, warnend, vorschreibend, unstrafend die Gewissen von Fürsten und Völkern aufzuklären, ihnem ihre Flichtem gegen Gott und die Religion vorzuhalten und darüber zu entscheiden, was sittlich erlaubt ist und was nicht ». (Cfr. Sägmüller, *l. c.*, I, § 13, 8, pag. 46. Potestas directiva quae potestatem includit *decidendi, praecipiendi, puniendi* vix differt a potestate indirecta. At etsi ab his praescindimus negari nequit aliquos casus conflictus solvi posse ex usu magisterii Ecclesiastici, quin opus sit vera iurisdictionis potestate indirecta uti (cfr. Chelodi, *ibidem*, pag. 42 4, n. 27).

tores istius systematis necessitatem concordatorum, subiectionem non solum clericorum, sed et Romani Pontificis legibus civilibus.

Huiusmodi doctrinam a Dante praeformatam plures moderni canonistae praesertim ex Germania docuerunt, inter quos sunt: Goerres, praeclarissimus defensor libertatis Ecclesiae, et post ipsum Walte, Schulte, Vering, Reichensperger, etc. [1].

Haec theoria iisdem ac systema potestatis directivae defectibus laborat, quod scilicet et facta historica et RR. Pontificum declarationes, infra ubi de potestate indirecta, afferendas, difficulter explicare possit. Dein argumenta quibus illud systema firmare student eius patroni fallacia sunt. - Ex eo enim quod utriusque potestatis origo a Deo est, non recte deducitur alteram alteri subordinari non posse; potest enim Deus plura entia condere alterum alteri subditum, sive directe sive indirecte. Potius contrarium dicendum est repugnare, nempe duos esse fines supremos omnino independentes hominis [2].

82. — III. **Doctrina tenenda. - Systema potestatis indirectae.** - 1° Hoc systema, quod nomen a Bellarmino obtinuit, antiquissimum est in Ecclesia et doctrinam tradit divina revelatione contentam.

Attamen huiusmodi doctrina in systemate ordinata non invenitur nisi postquam Ecclesiae potestas a Marsilii Patavini et aliorum regalistarum erroribus oppugnari coepta est [3].

83. — 2° **Expositio doctrinae.** - Doctrina de potestate Ecclesiae indirecta duplici constat elemento, seu duplici principio enunciatur:

a) Societas civilis et societas religiosa a Christo instituta

---

[1] Wernz, *l. c.*, I, 10, nota 36 Sägmüller inter fautores theoriae perfectae coordinationis enumerat forte ex nimia similitudine quae inter systema potestatis *directivae* et *coordinationis* exsistit: re vera tamen Sägmüller systemati potestatis directivae adhaerere videtur. (Cfr. Sägmüller, *l. c.*, pag. 46).

[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, nota 36.

[3] Illud systema docuerunt et docent optimae notae theologi et canonistae ut S. Thomas, Victoria, Molina, Petra, Suarez, Bellarminus, Soto, Bianchi, etc. inter antiquos; Wernz, Moliter, Philips, Liberatore, Palmieri, Tarquini, Manning, Bargilliat, Solieri (*l. c.*, 183-184), Cavagnis etc. inter modernos. Quamobrem ista doctrina iam a Suarezio ut *communis et certa* apud catholicos agnita est, quod multo magis nostris diebus verum est.

« Quare illi scriptores catholici errant, qui theoriam de potestate indirecta Ecclesiae tractant ad instar liberae cuiusdam opinionis plus minusve probabilis, vel cum quadam prudentia seponunt, ut, neglectis principiis vere fundamentalibus, ex concordatis vel *evolutione historica* relationem Ecclesiae et Status explicent, vel etiam argumentis inefficacibus impugnent, v. g. quod huiusmodi systema saltem nostra aetate exsecutioni mandari non possit. At veritas doctrinae et iura Ecclesiae non pendent a conditione temporum et difficultate exsecutionis; secus etiam alia iura certissima Ecclesiae essent neganda. Praeterea falsum est nostra aetate theoriam indirectae potestatis carere practica exsecutione; nam si v. g. certae leges civiles ab Ecclesia declarentur invalidae, etiam nunc in ipso foro civili vi obligandi sunt destitutae ». (Wernz, *l. c.*, I, 10, nota 33; Choupin, *l. c.*, pag. 260, in nota 1; Cappello, *Summa iuris publici ecclesiastici* (1923), n. 220-227).

sunt duae omnino distinctae societates perfectae, altera ab altera in suo ambitu independens [1].

Quod principium, etiam a fautoribus potestatis directivae et coordinationis absolutae admissum, ex iis quae de necessitate societatis civilis disputant philosophi, et ex iis quae praemisimus de religiosa societate perfecta, et distincta a civili, a Christo instituta, liquida sunt. Iure utique naturae fieri posset ut societas civilis, iure devolutivo, et societatis religiosae iura et officia haberet ut alibi vidimus; at de iure positivo quaestio ista amplius fieri nequit, supposita Ecclesiae institutione.

Addimus tamen hic quasdam propositiones quae principium illud elucidant et melius eius extensionem determinant. Illo igitur principio affirmatur: Ecclesia qua talis in rebus temporalibus seu sub respectu temporali seu ratione finis temporalis nullam in societatem civilem catholicam potestatem exercere potest.

Res temporalis, res spiritualis necnon res mixta in hac quaestione intelliguntur, *non ontologice, sed finaliter* seu ex destinatione; quo sensu res aliqua materialis *spiritualis dicenda erit*, si ad finem spiritualem seu societatis spiritualis de se tendat et ordinetur; res e contra spiritualis, aut saltem abstracta, temporalis erit si ad finem temporalem exclusive tendat. - Quo sensu, ut patet, res spirituales sunt sacramenta, clericalia officia et iura, dies festi religiosi, praedicatio Verbi Dei, bonorum ecclesiasticorum administratio et alia plurima quae, licet de se materialia sint, exclusive tamen ad finem spiritualem tendunt et ordinata sunt. E contra *temporales res sunt* iura civium ad bona acquirenda, administranda, alienanda, ius actione iudiciali sese suaque defendendi, quae, quamvis de se materialia non sint, ordinantur tamen ad finem temporalem. Item hoc sensu dicuntur *res mixtae* illae quae de se ad utrumque finem diriguntur, spiritualem scilicet et temporalem. Ratio autem seu character spiritualitatis aut temporalitatis rei mixtae inesse potest ex ipsa rei natura, in seipsa considerata, si ipsa res de se ad utrumque finem tendat ut, e. g., scholae institutio, civium concordia et quaelibet actio humana in qua ratio externi peccati occurrat; delicta quaelibet; et tunc res dicitur *mixta sensu stricto*. Aliquando vero character spiritualitatis aut temporalitatis rei accedere potest ex pacto aut ex facto aliquo historico, ut, v. g., electio Episcoporum, divisio dioeceseon, aedificatio ecclesiarum etc., quae de se spiritualia sunt, quia fini spirituali destinantur, at fieri possunt mixta ex concordato. Et tunc res dicuntur *mixtae sensu lato* [2].

Propositione igitur supra enuntiata dicitur Ecclesia *qua talis* nullam in res temporales auctoritatem exercere posse; nihil tamen obstat quominus Ecclesia, non ex titulo nativo, sed ex titulo adventitio, auctoritatem quam-

---

[1] « Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam, utraque est in suo genere maxima, habet utraque certos, quibus continetur, terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur ». Leo XIII Encycl. « *Immortale Dei* » 1 Nov. 1885, Leonis XIII, *Acta praecipua*, vol. II, pag. 152.

[2] Cfr. Rivet, *l. c.*, pag. 111 et sq.

dam civilem in res temporales acquirere possit; quod praesertim medio aevo factum esse scimus feudorum adnexione sedibus episcopalibus et creatione dominii temporalis Sanctae Sedis. At tunc Ecclesia illud ius exercet, non quatenus Ecclesia est, sed, quatenus princeps aut rex temporali utens imperio.

Item illa prima propositione affirmatur societatem civilem nullam in res spirituales auctoritatem habere. Quae omnia consectaria sunt eorum quae, ubi de Ecclesiae perfectione iuridica loquuti sumus, probavimus.

Quae quidem de se sufficerent ad utriusque societatis naturam in seipsa consideratam determinandam; at cum, utriusque societatis membra eadem plerumque sint, facile evenire potest, ut contactus inter obligationes, forte ab alterutra impositas enascantur et ex contactibus conflictus. Ad quos conflictus solvendos et utriusque societatis iura determinanda principium iuridicum haberi debet, quia in iurium collisione realis seu obiectiva contradictio haberi nequit. Ad hanc igitur normam statuendam haec altera propositio valet.

b) Ecclesia, quoties id ad consecutionem finis spiritualis requiritur, in res etiam temporales indirectam iurisdictionem exercet. - Seu aliis verbis. Relationes Status catholici cum Ecclesia ita sunt determinandae ut Status Ecclesiae cedere debeat, etiam in rebus temporalibus, quoties id requirat ratio finis spiritualis [1].

Enuntiatione huius propositionis, proprie, systematis potestatis indirectae essentia proponitur; eiusque differentia a quolibet alio systemate relationum Status et Ecclesiae.

Ut patet ex supradictis, in casu res temporalis dici posset fieri eo ipso res spiritualis, aut saltem mixta, quia aliquo saltem modo ad utriusque societatis finem ordinata; terminologia autem ista non adhibetur ad confusionem vitandam. Quod si relatio rei temporalis ad finem spiritualem talis sit quae usum rei ad finem temporalem impediat; in hoc proprie est vis potestatis indirectae, quod lex Status legi Ecclesiae cedere debeat, et bonum temporale iacturam pati [2].

℣ *c*) *Ulterior explicatio potestatis indirectae.* - Potestas autem ista Ecclesiae in Statum, aut Status ad Ecclesiam subordinatio *indirecta* dicitur, quia Ecclesia eam non exercet ratione materiae sibi

---

[1] « Inter utramque potestatem (ecclesiasticam et civilem) quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, ut diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis causarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum temporalium curare commoda, alteri caelestia et sempiterna bona comparare » Leo XIII, « *Immortale Dei* », *l. c.*, pag. 152.

[2] Cavagnis, *l. c.*, 407; Cappello, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, I, pag. 214 et sq.; Tarquini, *l. c.*, n. 55; Rivet, *l. c.*, pag. 132 sq.; Choupin, *l. c.*, pag. 258; Castiglioni, *Manuale di diritto canonico* (1916), pag. 102.

subiectae, sed ratione finis seu *quasi per accidens*, dum, de se, illa materia societati civili subiiceretur [1].

Potestas indirecta differt a potestate directa non origine, quia utraque est a Deo data Ecclesiae, et utraque proinde gaudet Ecclesia iure nativo et divino. Item non differt in seipsa quia utraque est vera potestas iurisdictionalis et spiritualis proprie dicta et ab Ecclesia neutra renuntiari potest, quia ei a Deo data est conformiter rerum naturae.

Differt autem altera ab altera in modo quo exercetur et relate ad obiecta circa quae exercetur. Potestas enim directa semper et exclusive in res spirituales exercetur, necnon in res mixtas qua parte hae ad finem spiritualem ordinantur; potestas vero indirecta exercetur in res, quae de se ordinarie sunt temporales, et in eas iurisdictionem exercet potestas civilis, si ipsis accidentaliter spiritualis relatio accedat, et pro illo tantum casu quo talis relatio exsistit. Ita, e. g., contractus circa res temporales est res temporalis quae de se nullam ad finem spiritualem relationem habet. Si autem contractus iuramento firmetur, relatio religiosa contractui accedit quae relationem ad finem spiritualem importet, qua exstante, Ecclesia in illam rem temporalem iurisdictionem exercet. Obiectum iurisdictionis de se et specifice temporale est, et qua tale in illud iurisdictionem exercet societas civilis, solummodo quantum intrat in dominium religiosum, spirituale aliquo modo fit, et in illud accidentaliter Ecclesia suam iurisdictionem exercet [2].

Unde si quaeratur *utrum potestas indirecta essentialiter differat a* potestate *directa* respondendum erit, utramque potestatem, non in seipsa seu essentialiter differre, sed solum circa obiecta in quibus utraque exercetur, et in modo quo exercetur.

Quibus praemissis ultro progredimur ad probandam Ecclesiae potestatem indirectam.

84. — 3° **Probatio potestatis indirectae.** - I. *Ex natura utriusque societatis.* - In casu conflictus inter Ecclesiam et societatem civilem medium obiectivum ad conflictum solvendum haberi debet;

---

[1] Et merito « vocatur indirecta, quia superior illa potestas circa temporalia non per se aut propter se, sed quasi indirecte et propter aliud interdum versatur. Porro eadem subordinatio *non mere negativa* est dicenda propter quam potestas ex natura rei etiam intra limites sui obiecti nihil agere potest, quod ex iudicio Ecclesiae redundet in ipsius damnum et iniuriam, *sed positiva* quoque *sit necesse est*, i. e. potestas civilis ita pendet a potestate ecclesiastica, ut suis actibus, id exigente Ecclesia, ad bonum et commodum societatis ecclesiasticae conferre debeat ». Wernz, *l. c.*, I, n. 10.

[2] Cfr. Choupin, *l. c.*, pag. 258 sq.

at medium ad hoc praeter potestatem indirectam, nullum haberi potest; ergo potestas indirecta admittenda est.

Ad maiorem. - Conflictum inter Statum et Ecclesiam oriri posse ex ipsa natura, quia, nempe, utraque iisdem membris praeest, et ex quotidiana experientia constat. Non posse autem conflictum realem obiectivum admitti, ex principiis generalibus de collisione iurium quibus statuitur in iurium collisione veram contradictionem admitti non posse, clare consequitur. Si igitur conflictus oriatur, errorem subiectivum personarum solummodo causam habere potest, et proinde medium obiectivum ad illum solvendum inveniri debet.

Ad minorem. - Media quae haberi possunt ad conflictum solvendum inter duas societates perfectas sunt: Amicalis compositio seu conventio, bellum aut indirecta iuridica potestas unius super aliam.

De amicali conventione non loquimur, quia, ut supponimus, conflictus ita fortis est ut neutra societas cedere velit.

De bello, ut medio solvendi conflictus specifice exsistentis inter Ecclesiam et Statum, sermo pariter esse nequit, quia, cum utraque societas sit in eodem territorio et duae societates, licet utraque perfecta, nequeant simul in eodem territorio vim armatam adhibere, si hoc esset medium solvendi conflictus, absoluta et directa potestas unius societatis, illius nempe quae vi utitur armata, super aliam statueretur et iam sermo esse non posset de perfectione iuridica utriusque.

Remanet unicum medium, nempe unius in alteram societatem indirecta iurisdictio. Utra autem hanc auctoritatem super alteram exercere debeat dubium esse nequit quin sit societas superior. At cum societatum superioritas ex finis superioritate dimetiatur, certum est Ecclesiam indirectam potestatem in civilem in hoc casu exercere posse. Saltem igitur in casu conflictus potestas Ecclesiae admittenda est ex consideratione utriusque societatis.

II. *Ex S. Scriptura.* - In S. Scriptura millies hoc principium enuntiatur: Bona spiritualia seu bona animae, quae curare debet Ecclesia, omnibus bonis temporalibus, quorum cura ad Statum pertinet, praeferenda esse, et totius potius corporis patiendam esse perditionem quam animae finem negligere. Hoc autem asserere idem est ac principium tueri quo potestas indirecta nititur. Ergo potestas indirecta Ecclesiae admittenda est.

Ad maiorem. - Quaedam ex praecipuis locis hic afferre iuverit. *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam et proiice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam* [1]. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae, detrimentum patiatur?* [2]. *Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, et vultis inducere super*

[1] Matth. v, 30.
[2] Matth. xvi, 26.

nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus, et apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus [1].

Ad minorem. - Verum quidem est illa loca citata S. Scripturae directe ad vitam individualem fidelium referri; at certe iidem textus etiam ad vitam fidelium socialem referendi sunt. Nulla enim est differentiae statuendae inter vitam individualem fidelium et vitam socialem necessitas. Nec enim Christus aliam statuit legem pro individuis, aliam pro societate, quod sine contradictione facere non potuisset, quia societas non est nisi unio individuorum, eiusdemque iura et obligationes a iuribus et obligationibus individuorum essentialiter praesertim in societate religiosa non differunt.

Citati textus ex S. Scriptura, non clare, de potestate iurisdictionali, positiva, indirecta Ecclesiae in Statum catholicum loquuntur, ut patet etiam ex eo quod Apostoli illo argumento « obedire oportet Deo magis quam hominibus » utuntur contra infideles Iudaeos, qui certe non erant indirecte Ecclesiae subordinati, saltem indirecta positiva potestate. Attamen argumentum expositum semper vim retinet ad probandum inter duos fines, temporalem nempe et spiritualem, semper huic non illi praeferentiam dandam esse.

Dein maiorem adhuc vim obtinet argumentum ex S. Scriptura, si ipsa S. Scriptura iuxta SS. Patrum dicta et RR. Pontificum decreta intelligatur.

III. *Ex doctrina SS. Patrum.* - Idem fere argumentum ac ex S. Scriptura ex SS. Patrum doctrina erui potest. SS. Patres enim expresse de superioritate Ecclesiae in Statum praesertim relate ad conversos imperatores romanos loquuntur et licet terminologiam nostram potestatis indirectae aut indirectae subordinationis, quae ut diximus serius introducta est, non adhibeant, doctrinam tamen nostram clare profitentur. Docent enim et imperatorem independentem, et Ecclesiam independentem et tamen Ecclesiam superiorem esse, quod, sine contradictione, nonnisi de superioritate indirecta intelligi potest. Immo SS. Patres suam doctrinam explicant optima similitudine superioritatis animae in corpus. Sicut enim duae sunt in homine substantiae, quarum altera alteri subditur, ita et inter homines duae sunt societates altera spiritualis, altera temporalis et, licet finem unaquaeque proprium habeat, tamen in finis proprii prosecutione temporalis societas finis spiritualis rationem habere debet, indirecta subordinatione servata. Iuvat nunc quaedam ex iis locis afferre:

S. Ioannes Chrysostomus in II ad Cor. hom. XV haec habet: *At vero heic quoque aliud imperii genus est ac civili quidem imperio sublimis. Ecquod illud est? Quod in Ecclesia, cuius etiam Paulus mentionem facit, cum ait: Obedite praepositis vestris et subiacete eis: hoc enim imperium tantum civili excellentius est, quantum coelum terra, et quantum inter corpus et animam discriminis est, tantum item ab illa hoc distat.* Et S. Gregorius Nazianz.

---

[1] *Act.* v, 28-29.

Orat. XVI: *At vos quoque (Principes et praefecti) imperio meo ac throno lex Christi subiecit. Imperium enim et nos gerimus: addo et praestantius et perfectius, si quidem nequam videatur spiritum carni, coelestia terrenis cedere.* Item Ivo Carnutensis epistol. 51 ad Henricum reg. Angl.: *Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus, nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas, nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina.* S. Thomas 2^a-2^{ae}, 9, 60, art. 6, ad 3: *Dicendum, quod potestas saecularis subditur spirituali, sicut corpus animae.* Alii SS. Patrum textus videri possunt apud auctores.

IV. *Ex declarationibus et aliis documentis RR. Pontificum.* - RR. Pontifices potestatem indirectam primum ad praxim deduxerunt et dein, cum sese dedit occasio, et praesertim cum errores contra ipsam divulgari coepti sunt, etiam in theoria sibi vindicarunt. Praecipuas ipsorum declarationes hac de re afferemus, quae non solum ut argumentum ad rectam doctrinam probandam inservire poterunt sed etiam, et praecipue, ad genuinam ipsius catholicae doctrinae explicationem dandam et declarationem.

Innocentius III [1], ad imperatorem Constantinopolit., haec inter alia plurima scribit: « Mirata est imperialis dignitas, quod te nisi fuimus in nostris litteris increpare. Huic autem tuae admirationi non causam, sed occasionem praebuit, quod legisti beatum Petrum Apostolorum principem sic scripsisse: *Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi, tamquam praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam, malefactorum...* Verum, si personam loquentis et eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentius attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, et eos ad humilitatis meritum provocabat... Quod sequitur: *regi tamquam praecellenti*, non negamus quin praecellat imperator in temporalibus illos dumtaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus antecellit; quae tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima praefertur corpori. Praeterea nosse debueras quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento coeli: luminare maior ut praeesset diei; et luminare minus ut praeesset nocti; utrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur, coeli, hoc est, universalis Ecclesiae fecit Deus duo magna luminaria, idest duas instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas, et regalis potestas. Sed illa quae praeest diebus, id est spiritualibus, maior est; quae vero carnalibus minor: ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur ».

Eadem fere habet Bonifacius VIII in celebri Bulla « *Unam sanctam* » contra regem Francorum data, quae, clausula finali definitionem ex cathedra continenti explicit [2].

---

[1] (a. 1201), c. 6, X, I, 33.

[2] Cfr. hanc Bullam, c. 1, 1, 8, in extrav. commun. una cum c. 2, 5, 7, in iisdem extravag.; cfr. etiam Wernz, *l. c.*, I, 31 et Rivet, *l. c.*, pag. 137 et sq.; Chelodi, *l. c.*, n. 24 ubi verba eiusdem Pontificis *bullam* explicantia afferuntur.

Innocentius III [1], ad Praelatos in Francia constitutos clariora adhuc de potestatis indirectae documenta habet. Ioannes *sine terra*, rex Angl. ad Innocentium III contra Regem Francorum Philippum Augustum recurrerat, quod hic, iuramenti fractione, suas terras invaserat. Cum Philippus Augustus coram R. Pontifice comparere renuisset, quod se in materia feudi independentem esse diceret, R. Pontifex in epistola ad praelatos Galliae ita genuinam circa hoc punctum statuit doctrinam: « Non putet aliquis, quod iurisdictionem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, cum ipse iurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire. Sed cum Dominus dicat in Evangelio: *Si peccaverit in te*... Et rex Angliae sit paratus sufficienter ostendere, quod rex Francorum peccat in ipsum, et ipse circa eum in correptione processit... Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, nisi forte iure communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum: sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, et debemus. Non igitur iniuriosum sibi debet regia dignitas reputare, si super hoc apostolico iudicio se committat » [2].

Terminologia tamen *potestatis indirectae* in documentis pontificiis primum a Pio IX, ut videtur, propositione 24 Syllabi adhibita est: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam » [3]. - Quae propositio ex litteris apostolicis « *Ad Apostolicae* » 22 Augusti 1851, excerpta est.

Denique Leo XIII in Encyclica « *Arcanum* », 1° Februar. 1880 haec habet: « Nemo autem dubitat, quin Ecclesiae conditor Iesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, *altera cui humana sunt tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt coelestia concredita* ». Quae dependentia certe directa esse nequit, quia duae sunt potestates distinctae et utraque ad suas res agendas libera et expedita. Quae doctrina in aliis etiam Leonis XIII documentis invenitur, ut in Encyclica « *Immortale Dei* » 1° Nov. 1885 etc. [4].

85. — 4° Extensio potestatis indirectae. - Licet omnes fere doctores catholici in asserenda Ecclesiae potestate indirecta conveniant, non omnes tamen in huiusmodi potestatis extensione determinanda consentiunt. Quapropter nos hic quaedam adnotamus,

---

[1] (a. 1204), c. 13, X, 2, 1.

[2] Cfr. Rivet, *l. c.*, pag. 140.

[3] Alii tamen auctores hanc propositionem ad potestatem indirectam de qua agimus non referunt. (Cfr. supra n. 81 nota, pag. 101).

[4] Cfr. etiam litteras Card. Secretarii Status ad Archiepiscopum Lugdunensem 14 Oct., a. 1913. *Acta A. Sed.*, vol. V, pag. 558 sq. Et auctores qui de hac re agunt ut Wernz, *l. c.*, I, n. 10; Cavagnis, *l. c.*, I, 357 et sq.; Rivet, *l. c.*, 132 sq.; Castiglioni, *l. c.*, pag. 100 sq.; Choupin, *l. c.*, pag. 261 sq.; Tarquini, *l. c.*, n. 53 et sq.; Bargilliat, 31. *Praelectiones iuris canonici*, n. 23 sq.; Ferreres, *Institutiones canonicae*, I, n. 48 sq.; Liberatore, *Del diritto pubblico ecclesiastico* (1887), pag. 300 et sq.; Chelodi, *Ius de personis*, 1922, n. 27.

quae maiorem lucem nostro systemati afferre poterunt, eiusque limites melius determinabunt. Dicimus igitur:

a) Potestatis indirectae systema, hoc saltem ut quid minimum includit, quod Ecclesiae ius agnoscatur auctoritative ea omnia removendi quae finis spiritualis consecutionem impedire possunt. Quaevis igitur obstacula, ex parte civitatis posita, Ecclesia potest removere. Hoc innixa principio, Ecclesia leges omnes civiles suo fini oppositas abrogare posset. Quod clare sequitur ex probationibus supra relatis ad probandam potestatem indirectam; hoc enim est minimum quod in ipsa indirecta potestate continetur, quodsi non admittatur, ipsa potestas indirecta reiicienda est [1].

Potestas hoc modo intellecta negativa indirecta vocari potest, quia, de se tendit solummodo ad obstacula removenda.

Quod dicimus de obstaculis ex pravis legibus provenientibus affirmandum est etiam de aliis quibusvis obstaculis ex legum forte applicatione, aut ex iudicialis potestatis exercitio provenientibus.

Immo Status catholicus qui leges contra Ecclesiam ferret et eas exsequi tentaret Status tyrannus evaderet et ipse se suo iure privaret [2].

b) Sed praeter haec quae negativa dici possunt, Ecclesia plura alia potest quae positiva sunt ut quae in ipsa ius, in Statu vero catholico erga ipsam officium important. Haec positiva hac propositione comprehendere possumus: Debet Status catholicus Ecclesiae ea omnia subministrare sine quibus ipsa suum finem, nonnisi cum miraculo, consequi posset.

Ut patet hac propositione ultra progredimur et positivum Status erga Ecclesiam officium asseritur. Hoc autem officium praeterquam a probationibus relatis ad probandam potestatem indirectam in genere, etiam his, quae sequuntur, rationibus firmatur.

α) Societas civilis Deum agnoscere, eumque colere tenetur, eo modo quo vult Deus; sed hoc importat praestationem Ecclesiae bonorum temporalium et aliorum auxiliorum sine quibus societas aliqua regi nequit. Ergo Status tenetur ea Ecclesiae praestare.

Ut autem magis appareat cur officium quod Status habet erga Deum, officium simul includat subministrandi Ecclesiae quae ei necessaria sunt,

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, libr. III, n. 197 et sq.; hac potestate usus est nostris diebus Pius X in Encyclica: « *Vehementer* » 11 Februarii 1906, sub fine contra legem *separationis* gallicam his verbis: « Nos pro suprema quam obtinemus divinitus auctoritate sancitam legem, quae rempublicam Gallicanam seorsim ab Ecclesia separat, reprobamus et damnamus ». Fautores tamen systematis potestatis directivae hoc documentum sicut et alia leges inhonestas condemnantia, non absurde, ut videtur, interpretantur ex solo potestatis directivae exercitio. (Cfr. Chelodi, *Ius de personis*, n. 42, pag. 41, nota 5 et pag. 42, 4, nota 5; Sägmüller, *l. c.*, I, § 13, pag. 46-47.

[2] Cfr. Liberatore, *Del diritto pubblico ecclesiastico*, n. 299.

haec quae sequuntur, quaeque clare ex doctrina catholica eruuntur adnotanda sunt:

Deus Ecclesiam positiva voluntate instituens, omnibus necessariam, implicite praecepit omnibus modum quo coli desiderat. Ecclesiae autem a se institutae immediate vim armatam et ea alia quae ad ordinem in societate servandum necessaria sunt non contulit; debuit ergo saltem eidem ius contulisse haec bona exigendi ab illa societate quae haec bona immediate et directe curat; alioquin dicendum esset Christum insipienter egisse; fundasset enim Ecclesiam cum fine superiori immo et supremo, media vero ad illum consequendum non concessisset. - Nec dici potest Ecclesiam debere haec bona emendicare, non auctoritative exigere stricto iure, quia id repugnat naturae Ecclesiae; repugnat enim societatem superiorem ab inferiori emendicare debere quae necessaria habet.

Nec obiici item potest, Christum posse miraculo subvenire Ecclesiae, hoc enim non negamus; sed miracula eo ipso quod miracula sunt, non intrant in ordine rerum; et nos nunc quaerimus de ipso rerum ordine a Deo statuto.

β) Alio etiam modo probari potest ius Ecclesiae ad positivum auxilium a Statu catholico exigendum:

Status pro societate, non societas pro Statu est instituta; seu aliis verbis: publica potestas in tantum publica dici potest, in quantum ad bonum publicum seu ad bonum sociorum ordinatur. At bonum sociorum in societate catholica, quam supra definivimus, requirit auxilii praestationem ex parte Status erga Ecclesiam; Ergo Status Ecclesiae favere eidemque media necessaria, quoties ab Ecclesia requiratur, concedere debet. Veritas minoris propositionis huius argumenti ex eo vera apparet, quia nisi hoc fieret, singuli socii sua erga Deum officia aut neglegere omnino deberent, aut certe ea difficulter nimis exsequi; aut saltem in adimplendis illis erga Deum officiis societatis civilis bono aliquid subtrahere.

Hoc idem argumentum alio etiam modo proponi potest: Status officium habet subditos adiuvandi in suis officiis adimplendis idque praecipue praestare debet circa officia potiora cuiusmodi sunt officia quae subditi habent erga religionem; at subditos adiuvare ad officia erga religionem adimplenda si subditi catholici sint, ut supponimus, idem est ac Ecclesiae debitam protectionem praebere et eidem favere; ergo Status hanc praestationem auxilii Ecclesiae facere tenetur [1]. Quaenam autem sunt ea quae specifice Status ex hoc officio praestare debet? Id nonnisi modo generali determinari potest, quia specifica determinatio plerumque a circumstantiis pendet. Certo modo statui potest, eum teneri ad vim armatam Ecclesiae praestandam, item ad bona ad cultum necessaria, si alio modo acquiri nequeant, subministranda, saltem si id ab Ecclesia requiratur. In dubio vero utrum bona quae Ecclesia requirit necessaria sint necne ad finem Ecclesiae, ius est Ecclesiae rem definire.

c) Quoties dubium seu conflictus oriatur inter bona spiritualia et temporalia et inter utriusque societatis fines; ius est Ecclesiae dubium auctoritative dirimendi.

---

[1] Liberatore, *l. c.*, n. 298; Tarquini, *l. c.*, 61.

Id ex probationibus generalibus potestatis indirectae sequitur; potestas enim indirecta ad hoc tendit praecipue ut conflictus inter duas societates vitentur [1].

d) Haec quidem de iure; quid autem si Status catholicus se imparem agnoscat, quavis denique ratione, ad regimen ordinandum iuxta haec principia? Lubet haec pro responsione ex cl. Ferreres referre: « Generale principium est neminem teneri ad faciendum id quod physice, aut moraliter impossibile est; ideoque, ubi dissidentium, indifferentium aut pravorum christianorum numerus talis est, ut regimen iuribus Ecclesiae omnino congruum impossibile evadat, satisfacit Status qui sincere id quod potuerit exsequatur, et quae corrigi non possunt, ea toleret. Attamen integra difficultas in eo est, an scilicet impossibile sit ea omnia praestare quae de iure praestanda erant. Huius autem impossibilitatis ultimum iudicium ad Ecclesiam spectat [2].

86. — IV. **Quaestiones variae.** - Sunt autem, praeter iam dicta, aliae quaestiones circa potestatem indirectam, in quibus non omnino conveniunt ipsi auctores catholici, fautores potestatis indirectae.

a) **De legibus ferendis in materia temporali.** - Sunt qui docent Ecclesiam seu Romanum Pontificem posse non solum leges iniustas et sibi oppositas abrogare, etiam in re temporali, quoties id requirat ratio boni spiritualis; sed et novas leges ferre in eadem materia temporali ex eadem ratione [3].

Hoc autem difficilius, saltem nostris diebus admitti poterit, tum quia licet necessitas finis spiritualis assequendi facile abrogationem legis hanc assecutionem impedientis suadere possit et in casu realis abrogationis effectum sortiatur, quia fideles non amplius in conscientia tenerentur illam legem ab Ecclesia abrogatam servare, casus tamen quo nova lex Ecclesiae circa temporalia ad bonum spirituale consequendum necessario requiratur difficilius excogitari potest, immo non comprehenditur quomodo hic casus haberi possit; et deinde, si casus haberetur, cum Status providere ipse per se nollet, saepe saepius talis lex inutilis evaderet, quia a Statu, ut supponimus, non agnosceretur.

Videtur igitur potestas indirecta ad novas leges circa temporalia condendas per se non extendi [4].

b) **De principum correctione.** - Circa principum correctionem haec adnotamus:

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 411 et sq.; Cappello, *l. c.*, pag. 221 sq.

[2] Ferreres, *Institutiones canonicae*, I, n. 50.

[3] Ita Bellarminus, *De Rom. Pontifice*, l. V, c. 6.

[4] Cfr. Rivet, *l. c.*, pag. 149; et etiam Cavagnis, *l. c.*, lib. III, n. 195 et sq., ubi plura exempla affert huiusmodi legum a R. Pontifice medio aevo latarum. Paulo aliter Cappello, *Summa iuris publ. eccl.*, n. 229.

α) Nulla est repugnantia quod princeps ratione finis spiritualis ab Ecclesia corripiatur; ipse enim ex eo quod princeps est in temporalibus impeccabilitatem non acquirit, sed nec impunitatem, etenim non fit Caput Ecclesiae sed eius subditus remanet et proinde ab Ecclesia corripi et puniri potest ratione peccati [1].

β) Nec ad has correptiones et forte etiam punitiones explicandas recurrendum est ad ius aliquod historicum humanum medio aevo vigens; licet enim hoc ius speciale exstitisse admittatur, tamen hac admissione RR. Pontificum declarationes non explicantur, quibus ad ius divinum in illis correptionibus faciendis plerumque appellant.

γ) Attamen quae de iure Ecclesiae reges corripiendi dicuntur in genere restringenda sunt circa modum correptionis faciendae; reverentia enim principibus debita, et eorum positio iuridica non permittunt poenis et iudicibus ordinariis eos subiici; quam ob rem Ecclesia contra eos non nisi ob delicta gravissima privata, vel ob delicta publica procedere solet et etiam, in his casibus, non per quoscumque iudices, sed solum per iudicem in ecclesiastica hierarchia supremum [2]; quamvis de se, stricto iure, non repugnaret principes laicos christianos a iudicibus ecclesiasticis inferioris ordinis seu gradus corripi et puniri.

Hac autem subiectione principes christiani independentiam (*sovranità*) in suo Statu amittere non sunt fingendi; etenim, independentia non eo usque est extendenda, ut ipsis concedatur ius contra legem divinam, cum scandalo fidelium, peccandi, et multo minus ius in populum tyrannidem exercendi; id enim esset non independentia pro Statu sibi commisso regendo necessaria, sed potius vesana licentia, quam ipsa sana ratio condemnat. Princeps utique independentiam amitteret, si Ecclesia, ipso recte gubernante, in rebus reipublicae civilis sese ultro sine necessitate intromitteret, minime vero si princeps fines iuris naturae aut positivi divini praetergrediatur [3], et ipsum corrigat vel puniat Ecclesia.

c) **De principum depositione.** - Haec circa hoc adnotamus:

α) Certum est aliquando ab Ecclesia principes christianos depositos fuisse. Novem casus huiusmodi depositionum enumerantur [4].

---

[1] Id clare affirmatur in C. *Novit* supra citato quod est Innocentii III, cfr. c. 13, X, II, 1. Adverte tamen ibi agi de peccato externo societati etiam religiosae damnum afferente; cfr. etiam Allocutionem Pii X «*Primum*», 9 Nov. 1903; ubi Romanus Pontifex ius sibi vindicat normam honestatis statuendi etiam pro genere *sociali* et *politico*.

[2] Cfr. c. 1557, § 1, 1°.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, III, 200-205.

[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 1, III, n. 208; Rivet, *l. c.*, pag. 143.

β) Certum pariter est ius Ecclesiae declarandi subditos regum christianorum liberos a iuramento fidelitatis et a subiectione erga reges, si rex tyrannus fiat. Quae declaratio per se potestatem iurisdictionalem nec directam nec indirectam importat. Unde id facere posse Romanum Pontificem et ipsi gallicani admittebant [1].

γ) Certum item est plures Status medio aevo speciali subiectione erga S. Sedem ligatos fuisse et proinde erga ipsam relationes ex iure speciali historico dimetiendas esse [2].

Id praesertim factum fuisse relate ad imperatorem romanum Europae occidentalis pariter constat ex historia. Erat enim institutum istud imperii Occidentalis titulus honorificus ad significandum quod « haberet Ecclesia Romana, adversus infideles, haereticos ac seditiosos tutorem » quod ex formula iuris iurandi qua utebatur imperator deduci etiam potest: « *In nomine Christi spondeo atque polliceor ego N. imperator protectorem ac defensorem fore huius Sanctae Romanae Ecclesiae...* » [3].

δ) Praeter haec quae fere ab omnibus, non exclusis gallicanis, admittuntur, sunt et alii casus in quibus R. Pontifices non solum declaraverunt reges depositos, aut eos de facto deposuerunt, ex iure quodam speciali humano historice acquisito, sed et vere deposuerunt, in ipsa depositionis formula declarantes, se non aliquo iure humano procedere, sed ex iure divinitus accepto. Ita, e. g., S. Pius V Elisabetham reginam deponens hac usus est formula: « Illius auctoritate suffulti, qui nos in hoc supremae iustitiae throno... voluit collocare, de apostolicae auctoritatis plenitudine, declaramus praedictam Elisabeth haereticam,... qui etiam ipsam praetenso regni praedicti iure... privatam; et item proceres, subditos et populos dicti regni... a iuramento... ac omni prorsus dominii, fidelitatis et obsequii debito perpetuo absolutos; prout nos illos praesentium auctoritate absolvimus; et privamus eamdem Elisabeth praetenso iure regni aliisque omnibus supradictis » [4].

Circa vero huiusmodi depositionum formulas multae sunt auctorum etiam catholicorum disputationes.

Quidquid in contrarium dicunt aliqui [5], recte explicari ipsae videntur ex iure publico medio aevo vigente, etsi generatim ius Romani Pontificis principes deponendi non admittitur. Etenim medio aevo omnes Status christiani talibus vinciebantur ergo Sanctam Sedem vinculis religiosis ex factis contingentibus ortis, quibus Romanus Pontifex in ipsis semper intervenire posset et quidem vi potestatis indirectae a Deo acceptae. Vincula enim illa, licet ex factis contingentibus orta, talia erant quae non necessario in omnibus societatibus civilibus etiam catholicis, si praescindamus a iure communi publico tunc vigente, inveniuntur, et proinde admitti poterit Romanos Pontifices illas depositiones fecisse quidem ex iure divino nativo, quod tamen ius divinum ex factis humanis, quae tunc temporis ve-

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, l. III, n. 232.

[2] Id clare supponit Alexander III, c. 7, X, II, 28, et Innocentius III, c. 13, X, II, 1, cfr. etiam Cavagnis *l. c.*, 1, III, n. 222 et sq.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 211 et sq.

[4] Rivet, *l. c.*, pag. 154.

[5] Ut Rivet, *l. c.*, pag. 154 et sq.; Cappello, *Summa iuris publici eccles.* n. 232-233.

rificabantur, oriebatur. Cum autem illa facta non necessario semper verificentur, etiam in Statibus catholicis, inde fit ut, hac interpretatione admissa, Romanus Pontifex nostris diebus principes amplius deponere non possit. Audiatur cl. Cavagnis qui talia facta quibus ius publicum medii aevi innitebatur ita enarrat, et exponit: « Erat conditio vel expressa vel subintellecta illius temporis, regem ut gauderet regia dignitate servare oportere communionem Ecclesiae, et ita regere ut approbationem Summi Pontificis mereretur; erant enim populi illi intrinsecus christiani. In Hispania iuramentum profitendi et defendendi catholicam religionem datum est a regibus a saeculo VII ad XIV; postea subintelligebatur... Si ergo medio aevo sua agendi ratione reges devenissent in eam conditionem ut Pontifex desperans de ipsorum correctione declararet eos non amplius satisfacere conditionibus catholicitatis, profecto ipsi amittebant iuridice regnum et Pontifex utebatur iure suo » [1]. « Sed etiam potuisset Pontifex eos deponere, eo quod male gererent res civiles, etsi Ecclesiam non offenderent; et en quomodo. Illis temporibus, cum rex assumeret coronam, iuramentum praestabat de publico bono recte curando; tunc repraesentantes populi, vel diversorum ordinum, e. g. nobilium, clericorum et municipiorum reddebant regi iuramentum fidelitatis; erat ergo pactum reciprocum; utrumque autem iuramentum praestabatur in manibus Ecclesiae, seu coram praelato principali illius regni, qui etiam, hoc iuramento, regem consecrabat ritu sacro. Spiritus autem huius rei erat, Ecclesiam esse depositariam reciproci iuramenti regis et populi, testem et iudicem; hinc exorto dissidio inter regem et populum, alterutrum corripiebat, et sicut censuris impellebat populum ad fidelitatem regi servandam, ita et regem, et, si opus esset, declarabat rescissum pactum ex inemendabilitate regis ». Quae optime dicta sunt ad historiam medii aevi intelligendam, et ad factas principum depositiones explicandas [2].

ε) At nobis nunc quaestio est solvenda pure iuridica et non ex factis historicis depositionum, quae, ut vidimus, una cum declarationibus Romanorum Pontificum explicationem habent ex iure historico tunc vigente. Nunc quaestio est de iure nativo divino absoluto Ecclesiae. Quaerimus igitur utrum Ecclesia praecisione facta a conditione societatis medio aevo exsistente, possit generatim principes punire, ob offensionem ipsi Ecclesiae illatam, etiam regni privatione.

Cui quaestioni ita respondemus: Certe Ecclesia ius non habet deponendi principes infideles, eos scilicet qui Ecclesiam per baptisma nondum ingressi sunt, non sunt enim eius subditi, nec eius proinde subsunt potestati, ne indirectae quidem. Poterit tamen Ecclesia etiam contra eos, si ipsi iura Ecclesiae aggrediantur et violent, iure iustae tutelae sese defendere, invocato etiam, si opus sit, principum christianorum auxilio.

Si vero agitur de principe christiano in republica christiana, cum respublica eo ipso quod christiana est, christianis regenda sit legibus iisdemque princeps attendere debeat in suo gubernio seu regimine, atque ad id *iuridice* non solum *ethice* teneatur, quia iuridice, licet indirecte subiicitur Ec-

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 224-225.

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, n. 226.

clesiae, si in hoc graviter delinquat puniri potest ab Ecclesia, et si incorregibilis evadat ab ea potest regimine seu throno privari, si ista depositio ad mala ex principis delicto aut incorrigibilitate obvenientia avertenda necessaria sit. Potestas enim indirecta Ecclesiae ad omnia extenditur quae ei, et quidem ut societati perfectae, necessaria sunt ad suum finem consequendum. Et haec quidem de iure; nostris vero diebus « cum spiritus societatis non amplius respondeat conditionibus requisitis pro exercitio huius iuris, Ecclesia, ex christianitatis imperfectione, eo non utitur » [1].

87. — V. De potestate in res mixtas. - 1° Res seu materias mixtas hic intelligimus eas quas supra hoc capite (III, 2°, *a*, pag. 103) definivimus, seu res quae ad utrumque finem spiritualem et temporalem ordinantur; quo sensu res mixtae distinguendae sunt a rebus mixti fori, quia haec ab utraque potestate spirituali et temporali pendent; res vero mixta ab alterutra sub diverso tamen respectu.

Res mixta potest esse naturalis, aut supernaturalizata; illa est quae est de se naturaliter mixta, e. g., scholae, matrimonium in hypothesi quod naturam sacramenti non induerit; haec est ipsa res naturaliter mixta quae aut ex positiva Dei voluntate aut ab Ecclesiae potestate indirecta ad ordinem supernaturalem est elevata; facta autem hac elevatione haec res per se non esset amplius res mixta, nisi lato sensu, quia supernaturalizatione subtracta est fini temporali. In ipsa re mixta supernaturalizata quae spiritualis evasit considerari possunt effectus quidam a natura ipsius rei separabiles, et hoc sensu recte vocari adhuc potest res mixta. Effectus autem inseparabiles a rei positione naturam rei sequuntur.

Alii tertiam adhuc habent distinctionem *rei mixtae supernaturalis*, at haec tertia distinctio inutilis videtur quia rei mixtae supernaturalizatae aequivalet [2].

2° In rebus mixtis naturalibus unaquaeque societas spiritualis et temporalis potestatem exercet pro ea parte quae proprium finem spectat, servata tamen subordinatione Status ad Ecclesiam, si in praxi conflictus oriatur.

Hac propositione duo affirmantur quae necessario ex iis quae supra ad probandam Ecclesiae potestatem indirectam diximus consequuntur. - Prima pars propositionis ex independentia qua utraque societas gaudet sequitur; altera vero pars est corollarium potestatis indirectae.

3° In rebus mixtis supernaturalizatis quorum nempe substantia

---

[1] Cavagnis, *l. c.* ; cfr. etiam utiliter opus G. Audisio, *Diritto pubblico della Chiesa e delle genti cristiane*, vol. II inde a cap. XIII; Cappello, *Summa iuris publ. eccles.* 232-233.

[2] Cfr. Cappello, *Institutiones iuris publici eccles.*, I, pag. 224 sq.

ad ordinem supernaturalem elevata est, Ecclesia plenam et exclusivam exercet iurisdictionem; et societas civilis ea quae circa ipsas statuit Ecclesia recognoscere debet.

Haec recognitio importat ex parte Status non solum recognitionem substantiae ipsius rei supernaturalizatae, sed et effectuum ex illa necessario procedentium et ex eius recognitione inseparabilium. Effectus vero temporales non necessario ex re supernaturalizata natos, Status recognoscere utique potest, at non necessario debet, et circa ipsos suas leges ferre, easque sanctione privationis recognitionis eorundem effectuum a substantia rei separabilium punire potest.

Attamen Ministros Ecclesiae in exercitio sui ministerii sanctione civili Status obligare nequit, ut effectibus temporalibus separabilibus provideant.

His propositionibus plura asseruntur quae per se ipsa enuntiatione clara sunt; quaedam vero, non probatione, sed declaratione indigent. In rebus igitur supernaturalizatis nihil posse Statum circa substantiam rei res est evidens; tales enim res, licet per accidens aliquos effectus temporales parere possunt, per se res spirituales sunt, nec mixtae dici queunt nisi lato sensu; patet proinde Ecclesiam circa ipsas plenam habere potestatem.

Idem patet de effectibus inseparabilibus ex positione illius rei supernaturalizatae nascentibus, quia tales effectus cum substantia rei confunduntur eiusque naturam sequuntur.

De effectibus vero temporalibus separabilibus a positione rei supernaturalizatae et ex illa per accidens procedentibus, res aliter diiudicanda est, quia pro istis non verificatur necessitas eos Ecclesiae avocandi et Statui subtrahendi. Quod autem Statui subest, potest a Statu sanctione puniri.

Restringitur vero haec sanctio poenalis Status ad fideles quibus ad effectus civiles obtinendos aliqua formalitas a lege civili praecipitur, quia aliter Minister non esset liber in suo spirituali ministerio ponendo et libertas eidem ex iure divino circa hoc competit; et dein etiam quia si punitio ministrum attingeret, non solum effectus separabiles attingeret, sed ipsam rei spiritualis positionem, quo pertingere lex civili nunquam poterit [1].

88. — VI. De iudicio meri facti spiritualis aut possessionis iuris spiritualis. - Factum aliquod potest esse spirituale et per accidens eius effectus temporalis, e. g., si Titius det hereditatem Caio infideli cum hac conditione; dummodo baptizetur; hoc in casu baptismus factum spirituale remanet, de eo tamen quaestio fit ad effectum temporalem.

Quaeri potest utrum in casu possit Status de nudo facto spirituali iudicare?

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, 421 et sq.; Cappello, *l. c.*, I, pag. 222 et sq.

Cum factum, licet spirituale in suis elementis, sit quodammodo naturale et sensibile, effectus enim eius spirituales sunt invisibiles, et cum de eo quaestio fiat relate ad effectus temporales, nihil obstare videtur quo minus Status de hoc facto iure cumulativo cum Ecclesia iudicare possit. Attamen, quia factum spirituale est et qua tale magis ad Ecclesiam quam ad Statum refertur, si inter utriusque iudicium non sit concordia, iudicium Ecclesiae sine dubio praevalere debet. Addit tamen cl. Cavagnis (*l. c.*, I, 437): « Verum oportet id recte intelligi. Dicitur primo a civili potestate iudicari posse de nudo facto, an nempe exsistat vel exstiterit, non autem de eius legitimitate, si in controversiam veniat, ex. gr., an baptisma Caio collatum fuerit valide aut licite. In ordine enim ad effectus et alias relationes spirituales, iudicat sola Ecclesia ».

Quaeri hic ulterius potest, utrum Status possit insuper iudicare de possessione aut quasi-possessione iuris spiritualis, e. g., utrum Caius ius habeat ad beneficium ecclesiasticum. Cui quaestioni ita respondendum est. Cum hoc iudicium sit de iure vere spirituali, quia illa possessio innititur titulo spirituali, e. g., beneficium officio etc., iudicio saeculari subtrahi certum est quidquid in contrarium docuerunt regalistae et statolatri moderniores; quod etiam ex eo patet quod in eo casu iudicetur ut praecise iudicium proferatur de effectibus spiritualibus seu ordinis ecclesiastici. « Ex possessione enim oritur ius quoddam saltem momentaneum non modo quoad bonorum et aliorum iurium temporalium adnexorum fruitionem, sed etiam ad iura vel officia spiritualia correlativa exercenda » [1].

89. — VII. De legibus civilibus in re temporali latis ab Ecclesia servandis. - Quaedam haberi possunt res temporales, quae nec directe nec indirecte ad finem Ecclesiae referuntur, licet necessario cum rebus spiritualibus connexionem habeant; e. g., publica hygienes cum actibus cultus colligata. Circa has res quaeri potest, utrum Ecclesia leges a Statu latas servare teneatur. Ad quod haec ex cl. Cavagnis adnotamus:

« Oportet tunc Ecclesia ita prosequatur finem suum ut non laedat finem temporalem. Cumque de normis servandis pro eo prosequendo iudicet Status civilis, eius leges de hac re erunt observandae. Id non importat inferioritatem Ecclesiae ratione iurisdictionis, sed necessitatem ex parte materiae, et proinde suscipit

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 436 sq.; Cappello, *l. c.*, I, 235 sq.; item Cappello, *Summa iuris publ. eccl.*, n. 255-256.

tunc leges civiles, tantum si vere necessariae aut utiles fuerint... Hinc si inutiles inveniat, iure eas spernit utpote frustra sibi onerosas. Item si utiles, sed noxias bono spirituali. Primum praestat ex sua independentia; secundum ex sua superioritate » [1].

90. — Obiectiones.

Plures contra Ecclesiae potestatem indirectam fieri solent ab adversariis obiectiones; nos hic principia ad praecipuas solvendas addimus.

1° Circa ea quae obiiciunt ex paritate Ecclesiae cum societatibus hebraeorum et paganorum, in quas Status, non societates religiosae in Statum, potestatem exercebant, adnotamus disparitatem maximam adesse inter Ecclesiam et illas societates religiosas. Et primum quidem societas religiosa hebraeorum pro gente hebraeorum tantummodo instituta est et in loco ubi forma regiminis civilis erat aliquo modo theocratica; Ecclesia e contra pro universo mundo et pro omnibus omnino hominibus creata est et pro diversissimis formis Status civilis. Societas religiosa hebraeorum non solum finem spiritualem, sed et temporalem habuit; Ecclesia solum finem spiritualem. Dein hoc etiam notandum est ex Philone negari assertum nempe societatem religiosam apud ipsos subdi potestati civili [2].

Quae ratio disparitatis multo magis apparet si Ecclesiam cum religiosa paganorum societate comparemus. Ecclesia enim, ut probatum supponimus, est vera, et unice vera, societas religiosa ex iure divino positivo; societas paganorum religiosa erat falsa, et deinde, etsi vera esse potuisset, probandum adhuc remaneret non sine iniuria apud ipsos religiosam societatem Statui seu societati civili se submisisse; et Statum in eam potestatem exercere potuisset.

Negata autem paritate tota vis obiectionis evanescit.

2° Obiiciunt Statum catholicum, eo quod catholicus fiat, in peiorem conditionem reduci quam status acatholicus, si Ecclesiae indirecte subiiciatur, quia sua independentia hac subordinatione privatur.

At negatur prorsus Statum subordinatione indirecta sua independentia privari. Privatur utique aut saltem coarctatur in libertate mala faciendi; at haec vera et bona libertas non est; nec enim Status civilis independentia consistit in hoc, ut mala quaelibet facere possit et tyrannidem exercere, sed potius in recto usu potestatis politicae; et pro societate civili cuius bonum Statum operari debet melius est ut ipse non possit tyrannidem exercere. — Ex alia parte nos Ecclesiae potestatem indirectam non tribuimus ad Statum opprimendum, sed ad ipsum recte dirigendum et etiam ad rectores puniendos, si in usu suae potestatis iustos limites praetergrediantur. Nulla est in hoc libertatis iniusta coarctatio, alioquin dicendum esset Statum ipsum iniuste coarctare homines qui sua libertate sunt abusi eos in carcere detinendo; hac enim detentione utique in sua libertate mali faciendi feriuntur.

Independentia Status laederetur potestate indirecta, si admitteretur Ecclesiam absolute et sine ulla distinctione, semper et ex quavis ratione

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 410 sq.
[2] Cfr. Tarquini, *l. c.*, 80.

posse in Statum iurisdictionem suam exercere; at hoc non affirmatur in systemate potestatis indirectae.

Quodsi quis instet dicendo Statum infidelem ne potestate quidem indirecta ab Ecclesia ligari posse et proinde semper verum esse Statum christianum peioris esse conditionis quam statum infidelem; - animadvertimus Statum infidelem non esse utique subordinatum Ecclesiae, ne indirecte quidem; at iure naturali et ipse ligatur, unde si princeps sua abutatur potestate, ipse a societate puniri poterit, aut certe de facto punietur, quae punitio est certe gravior pro tota societate quam punitio quae ab Ecclesia daretur, si iusta principia de potestate indirecta vigerent. Quod et plura facta historica demonstrant. Tempore enim quo potestas indirecta Ecclesiae admittebatur a regibus, revolutiones societatum contra reges non habebantur aut difficillime habebantur; reiecta potestate indirecta videmus in dies quot etiam inter christianos eveniant; quod et in populis ante Christum evenisse scimus.

Quid autem mirum si princeps susceptione baptismi, Ecclesiae dicatur fieri subiectus ratione rei spiritualis seu in spiritualibus, aut ratione finis spiritualis? Ipse bona spiritualia ab Ecclesia accepit; immo et plura bona temporalia quae cum bono spirituali intime sunt connexa ut religionem rectam, sine qua moralitas, quae regnorum omnium fundamentum est, consistere nequit, ut quotidie videre possumus. Quid igitur mirum si pro tantis donis quae consecutionem finis temporalis faciliorem reddunt, ipse aliquo modo Ecclesiae se gratum ostendat et in his rebus quae ei ipsa praestat subiiciatur? Is qui aliquod beneficium accepit, grati animi obligationem erga benefactorem contraxit; at nemo dixerit melius esse non recepisse beneficia quam hac teneri levi obligatione.

3º Circa obiectionem qua dicunt Statum catholicum non posse obligari ad Ecclesiae subveniendum, quia id maximam induceret in societate civili perturbationem et Status ad suicidium obligaretur, animadvertimus:

Generatim verum esse nequit, Status protectionem erga veram Ecclesiam perturbationem inducere; et primo quidem theoretice, quia utraque societas civilis nempe et ecclesiastica est a Deo et proinde debent utraque inter se concordare, quia in iis quae a Deo ordinata sunt discordantiam aut contradictionem esse repugnat; deinde etiam practice; scimus enim optime administratas fuisse societates civiles cum Ecclesia et Status communi concordia procedebant; e contra delicta multiplicantur in dies, quo magis Status Ecclesiae ostracismum indicit. Et haec quidem firmiter tenenda sunt.

Tales tamen verificari possunt in civili republica conditiones et circumstantiae, ut ea quae antea catholica fuerat talis simpliciter amplius dici non possit, sive quia multi a fide defecerunt, sive quia multi haeretici aut infideles ex alia regione in ipsam migrarunt, sive tandem quia ex grassantibus in dies erroribus naturalismi, liberalismi, positivismi, communismi et materialismi fides etiam catholicorum multum debilitata est, ita ut a vero spiritu catholico, etiam qui catholico nomine gloriantur aut ex ignorantia aut ex malitia alieni sint. Si tales revera alicubi civilis societatis conditiones verificentur, poterit princeps, etiam catholicus, a positivo Ecclesiae auxilio praestando excusari ad maiora mala vitanda, si certo certius rei

publicae ex praestito positivo auxilio revera mala maiora ut, e. g., graves perturbationes etc. obventura praevideantur; atque ad id princeps teneri etiam poterit sive ex prudentia politica, qua gravia mala a cuncta societate avertere tenetur, sive etiam ex iustitia, si pacto aut iuramento se antecedenter obstrinxit ex lege fundamentali reipublicae ad cultuum paritatem in sua republica servandam. Attamen etiam his in casibus principi catholico nunquam fas erit catholicam religionem positive opprimere aut etiam, quod in idem recidit, positivae oppressioni assentire et favere, quia id intrinsecam habet malitiam, et negativo prohibetur praecepto naturali, a quo nunquam datur excusatio, et dein formalem includit cooperationem ad malum [1].

4° Obiiciunt deinde Ecclesiam sibi contradicere et duplici uti mensura dum, ubi viget catholica religio, damnat separationem Ecclesiae a Statu, et, ubi vigent aliae acatholicae sectae hanc desiderat separationem. At nulla est in hoc Ecclesiae contradictio sive res consideramus in ordine ad ipsam Ecclesiam, sive ad imperantes acatholicos.

Nec enim Ecclesia sibi vindicat ius sese extendendi etiam in rebuspublicis acatholicis ex motivo libertatis cuilibet etiam errori concedendae, scit enim Ecclesia hoc ius fictitium et falsum esse, idque semper praedicavit et proclamavit omnes falsas sectas condemnando; sed sibi ius verum et reale vindicat, quia vera religio ipsa unice est, aliis omnibus exclusis. Quod cum ita sit, nulla est in eius agendi ratione contradictio. Praedicat etiam et fovet Ecclesia separationem falsarum religionum a Statu, quia ipsa certo et infallibiliter scit harum sectarum nullum ius verum esse posse; in iisque regionibus ubi late diffusus est error et falsa religio ita ut religio reipublicae secta acatholica sit, saltem libertatem qua de facto gaudent falsae sectae sibi vindicat, non quia non potest iuridice aliquid amplius sibi vindicare, sed quia id ipsi concedi saltem debet ex ipsis suorum hostium principiis. Nec enim unquam, theoretice saltem et generatim etiam practice, idem ius ad sui diffusionem concedi potest pro errore seu falsa secta aeque ac pro veritate et religione catholica; sicut non potest a Statu concedi aequalis protectio veris et falsis dominis; licet quandoque id practice ad mala maiora vitanda ut minus malum tolerari possit, salvis semper iuribus veritatis.

Quae tamen principi acatholico nunquam concedunt ius Ecclesiam veram, scilicet catholicam, comprimendi. Ut enim hoc ius sibi vindicare posset princeps acatholicus requireretur ut ipse non solum bona fide suam falsam profiteretur sectam, sed insuper requireretur ut ipsi certo constaret de falsitate religionis catholicae. At evidenter princeps acatholicus certus esse non potest de falsitate verae religionis. Immo etiamsi ipse sibi certam subiective de hac re opinionem acquireret, nullum adhuc ius haberet veram religionem opprimendi, quia ius Ecclesiae ab illius principis opinione omnino independens est. [2].

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 505-506.

[2] Cfr. Cavagnis *l. c.*, n. 514, ubi optime prosequitur in probatione huius assertionis, quod scilicet nullus acatholicus princeps sive infidelis est sive haereticus, sive schismaticus, certus esse potest catholicos in mala fide versari; circa quod nos non insistimus cum res ex iis quae in theologia fundamentali videntur sat clara sit. Alias obiectiones, cfr. apud Cavagnis eodem loco: Cappello, *l. c.*, I, pag. 239; Tarquini, *l. c.*, n. 56 sq.; Rivet, *l. c.*, pag. 157 sq.

91. — VIII. **De separatione Ecclesiae a Statu.** - Ex iis quae hucusque diximus de subordinatione indirecta Status ad Ecclesiam iam satis apparet quid sentiendum sit de Ecclesiae a Statu separatione. Attamen ad maiorem adhuc claritatem, et quia de re agitur maximi momenti et maxime practica, hic quaedam adiicimus.

Loquentes igitur de Ecclesiae a Statu separatione thesis ab hypothesi, ut felici dictione dici solet, distinguenda est. Quid autem sibi vult ista dictio: « thesis ab hypothesi distinguenda est »? Ad rem clarius enucleandam primo thesim explicabimus deinde hypothesim. Est igitur

1° **Thesis.** - *Ecclesia a Statu non est separanda.* - Quae thesis hic probanda non est, quia non est nisi consectarium eorum quae hucusque diximus de potestate indirecta et de indirecta subordinatione.

At etiam ex aliis multis probari haec thesis posset quae optime a Pio X [1] exponuntur in Encyclica « *Vehementer* » ad Cardinales, Episcopos et populum gallicum. Illa enim Encyclica postquam Pius X affirmat thesim separationis Ecclesiae a Statu absolute falsam esse et erratam, ita fere argumentatur ad suam firmandam assertionem: quia illa thesis innititur falso principio societatem nempe civilem qua talem nullum Deo cultum debere; deinde, quia illa thesi negatur ordinis supernaturalis exsistentia, dum affirmatur Statum curare debere suum finem omnino neglegendo finem supernaturalem; — tum, quia ipsa subvertitur ordo a Deo statutus quo concordia utriusque societatis firmatur; postremo, quia illa thesis ipsi societati civili nocet dum religionem, quae omnis moralitatis et consequenter temporalis etiam felicitatis fons et fundamentum est, omnino neglegit [2]. Addi etiam potest separationem Ecclesiae a Statu in praxi facile resolvi in Ecclesiae oppressionem; etenim, Ecclesia a Statu separata, facile conflictus inter obligationes quas eidem personae, utraque societas civilis et religiosa imponunt oriretur, ita ut saepe, vel saltem quandoque, eidem personae imposita praecepta impossibile sit adimplere; quo in casu vera et positiva Ecclesiae oppressio haberetur, quia cum ipsa vi armata generatim non utatur per se, Statusque ad sua praecepta implenda subditos vi armata cogat, in ea conditione inveniretur fidelis subditus ut si Ecclesiae legibus obedire voluerit carcere vel alia temporali poena a lege ci-

---

[1] 11 Februar. 1906.

[2] Cfr. illam encycl. in Micheletti, *Ius pianum*, pag. 453, sq. Similia iam habet Leo XIII: « Ecclesiam vero, quam ipse Deus constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, *magnus* et *perniciosus est error* » Leo XIII, « *Immortale Dei* », *l. c.*, pag. 159.

vili imposita puniatur, quod proprie dicta oppressio positiva et persecutio religiosa est; tunc enim positiva persecutio habetur, cum quis ut suae conscientiae consulat et satisfaciat, damnum temporale in vita aut in bonis sustinere cogitur [1].

Et haec quidem firmiter tenenda sunt de separatione Ecclesiae a Statu catholico; a thesi tamen distinguenda est hypothesis. Est vero

2° **Hypothesis.** - Dari possunt tales in societate civili conditiones quae Ecclesiae separationem a Statu, *ut minus malum, tolerandam* suadeant [2].

Haec *hypothesis* verificari potest in societate catholica in qua tam multi a fide errantes habentur, licet nomine catholici, ut timendum sit, si recta principia de Ecclesiae in Statum indirecta potestate ad praxim deducantur, ne mala maiora etiam pro ipsa Ecclesia eveniant ex perturbationibus aut revolutionibus. Verificari item poterit, et hoc etiam facilius, in nationibus christiano acatholicis, ubi plurimae habentur sectae dissidentes et ipsi principes acatholici sunt; etenim etiam in hoc casu verificatur hypothesis maiora mala vitandi. Nequit vero extendi hypothesis ad omnes nationes civiliter evolutas, quasi necessario evolutio societatis civilis ad separationem Ecclesiae a Statu ducere debeat; hoc enim hypothesim in thesim mutaret et principia de Status christiani subordinatione indirecta Ecclesiae cum illa amplius consistere non possent; deinde admitti nequit Ecclesiam Christum Statui indirecte superiorem fundasse solum quod ad Status imperfectos et quasi in formatione; nec enim unquam ubi de Ecclesiae potestate loquitur, eam a Status varia formatione dependere supponit.

Admissa tamen hypothesi pro casibus supradictis, semper attendendum est ut, saltem theoretice, recta principia de unione utriusque societatis firma retineantur, eaque quam primum fieri poterit ad praxim reducantur, nec unquam etiam cum particulares circumstantiae unionem rectam vetant, fas erit principi a christianis,

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, n. 534 et 536; Bargilliat, *l. c.*, I, n. 26; Choupin, *l. c.*, pag. 350; Liberatore, *La Chiesa e lo Stato* [2], pag. 88 sq.; Chas. Augustine, *l. c.*, I[4], pag. 249-291, *The Church in the U. S.*; Cappello, *Summa iuris publ. eccl.*, n. 217-218; cfr. praesertim encycl. « *Immortale Dei* » Leonis XIII, 1° Nov. 1885; encycl. « *Libertas* », 20 Ian. 1888; item Encycl. Pii X « *Vehementer* », 16 Febr. 1906 et prop. 55 Syll. Pii IX.

[2] Cavagnis, *l. c.*, I, 537; Rivet, *l. c.*, pag. 189. Bargilliat, *l. c.*, I, 33; Chelodi, *l. c.*, 26. In praxi de facto nunc separatio Ecclesiae a Statu viget pluribus in rebuspublicis, et alicubi quidem, servatis principiis supra in hypothesi expositis, ut in Anglia, in Statibus foederatis Amer., in Brasilia, in Cuba, Canada, Australia, Hibernia, Hollandia, Belgio, etc.; alicubi vero spiritu antichristiano, aut saltem anticatholico, ut in Gallia, quae tamen inde ab a. 1921 ad mitiora consilia redire videtur. Chelodi, *l. c.*, 26.

generice sumptis, principiis in legibus condendis discedere, et multo minus Ecclesiae catholicae persecutionem indicere [1].

92. — IX. **De liberalismo.** - Ex iis quae hucusque diximus etiam apparet quid sentiendum sit catholicis de liberalismo; quod est aliud nomen eorundem tamen errorum. Triplex autem liberalismus distingui potest:

1° *Liberalismus absolutus* quo uni Statui ius societatis perfectae iuridicae agnoscitur; iura autem aliarum societatum si quae agnoscantur, Ecclesia non exclusa, a Statu data dicuntur qui sicut dedit, eadem auferre potest. Hic error quo revelatio divina negatur et qui in atheismum tendit est error hegemoniae statalis. Refutatur autem probatione fundationis Ecclesiae ut societatis perfectae; circa quod nil hic addendum est.

2° *Liberalismus moderatus* agnoscit Ecclesiam societatem perfectam sicut Statum, alteram tamen ab altero et viceversa prorsus in omnibus independentem. Est error perfectae Status et Ecclesiae coordinationis. Refutatur probatione recti systematis subordinationis indirectae Status ab Ecclesia et reprobatione thesis absolutae separationis Status ab Ecclesia.

3° *Catholicismus liberalis* seu *liberalismus catholicus* admittit in abstracto superioritatem indirectam Ecclesiae in Statu, at in praxi semper meliorem esse separationem docet. De hoc systemate eadem valent quae nuper diximus de hypothesi separationis [2].

CAPUT II.

Relationes Ecclesiae ad societates civiles acatholicas.

Status acatholicus multiplex esse potest, et pro eius varietate variae etiam statuendae sunt normae ad eius cum Ecclesia catholica relationes iuridicas determinandas. Vel enim agitur de Statu acatholico christiano vel de Statu acatholico infideli; sub his autem duobus speciebus omnes aliae formae Status acatholici comprehendi

---

[1] « Cette situation (*separationis*), se produit dans certains pays. C'est une manière d'être qui, si elle a de nombreux et graves inconvenients, offre aussi quelques avantages, surtout quand le legislateur, par une heureuse inconséquence, ne laisse pas que de s'inspirer des principes chrétiens; et ces avantages, bien qu'ils ne puissent pas justifier le faux principe de la séparation, ni autoriser à la défendre, rendent cependat digne de tolérance un état de chose qui, pratiquement, n'est pas le pire de tous » Leo XIII, Encyclic. ad Galliae cathol., 16 Febr. 1892: (cfr. etiam Chas. Augustine, *l. c.*, I⁴, pag. 251 et sq. *The Church in the U. S.*).

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, 530 sq.

debent et adaequate comprehenduntur. De duplici igitur hac tantummodo distinctione loquemur.

93. — I. Relationes Ecclesiae cum Statu christiano-acatholico. - Supponimus societatem civilem in sua maiori parte aut in sua fere generalitate christianam esse, schismaticam tamen seu haereticam, non vero catholicam. Circa relationes Ecclesiae cum huiusmodi societate civili haec statui possunt:

1° *De iure.* - Status christiano-acatholicus Ecclesiae iurisdictioni indirectae subiicitur eodem prorsus modo ac Status catholicus. Quae thesis ut omnino certa admittenda est et ita probari potest:

Prob. - Status christiano-acatholicus Ecclesiae potestati indirectae subiicitur, si post professionem haeresis vinculum, quo ante professionem ligabatur, retinet. At revera illud vinculum et post professionem retinet; ergo Status christiano-acatholicus Ecclesiae subiicitur.

Varii sunt modi quo quis alicui societati subiicitur, ut, e. g., contractus pro societate matrimoniali; nativitas pro societate domestica relate ad filios etc. Pro Ecclesia a Christo instituta quam christiani omnes se tenere profitentur, unicus modus est baptisma, quo semel suscepto, aliquis christianus semper erit nec aut ulla vi aut voluntate fieri poterit ut christiano charactere privetur quo Ecclesiae subiicitur. At ille character, in omnibus christianis qui validum baptisma retinuerunt, habetur; ergo quilibet christianus Ecclesiae subiicitur dummodo valide baptizatus sit [1]. Societas autem civilis quae baptizatis constat Ecclesiae subiicitur sicut et ipsi baptizati. Status enim societatis naturam sequitur, non societas naturam Status.

Ad vim huius argumenti melius declarandam hoc etiam addi potest: Unice Ecclesia catholica ius habet conferendi baptisma, quia Christus unicam fundavit Ecclesiam, unicum instituit baptisma; ceteri omnes hoc iure non gaudent, unde licet valide conferant illud ex necessitate talis Sacramenti ad salutem, attamen omnes debent illud administrare nomine Ecclesiae et si hoc excluderetur, invalide conferretur. Ex hoc etiam fit ut homo baptizatus de iure ei subiiciatur cuius nomine ei collatum est baptisma, scilicet Ecclesiae.

Thesis hoc etiam modo probari posset: Nemo ex delicto commodum reportare debet; at si Status, professione haeresis, Ecclesiae iurisdictioni subtrahi posset, ex haeresis delicto commodum traheret, ergo admitti nequit hoc delicto subtrahi posse ipsum a subordinatione indirecta Ecclesiae.

Maior argumenti propositio per se patet, quia aliter incitamentum ad delictum haberetur, quae incitantia ab ipsa ethica naturali damnatur; item minor propositio est de se clara; si enim Status, haeresis professione, subtraheretur Ecclesiae iurisdictioni, haberet commodum ex suo delicto, quia haeresim sectando ab eius potestate liberaretur. Dici ergo omnino debet per haeresim Statum non liberari a potestate Ecclesiae.

---

[1] Cfr. c. 87.

Hoc insuper modo proponi potest thesis statutae probatio: Status haereticus Ecclesiae potestati indirectae subiicitur, si eius exsistentia qua Status haereticus est illegitima; et revera eius exsistentia qua haereticus est illegitima; ergo Status haereticus Ecclesiae subiicitur indirecta subordinatione.

Ad maiorem et minorem propositionem ea adnotari possunt quae supra in aliis modis probationum attulimus.

Nec obiici potest contra allatas rationes aliquem Statum, postquam expertus est aliquam Ecclesiam sibi non convenire, ab ea recedere posse; quia hoc principium, scilicet, aliquem posse per se ex aliqua societate, quam libere ingressus est, sese excludere, non est omnino certum aut saltem non est generale pro omnibus societatibus; sunt enim societates a quibus exire, postquam quis eas ingressus est, amplius non potest, ut, e. g., societas coniugalis, immo sunt et aliae societates e quibus quis exire prohibetur licet eas necessario ingressus sit ut, e. g., societas domestica respectu filiorum qui necessario in illa inveniuntur. Ita etiam cum quis in Statum peccaverit non est ei liberum ex Statu illo exire et poenas statutas evitare, nec hoc ius ei a Statu agnoscitur, alioquin carceres inutiles evaderent, quia certo minus malum est in alium Statum libere abire, quam vita durante poena carceris aut alia graviori mulctari.

Sed his rationibus relictis, semper tamen verum erit ab Ecclesia excludi non posse quavis lege vel voluntate humana illos qui eam semel baptismo ingressi sunt; et signo indelebili a baptismo relicto signantur.

Et haec quidem de iure affirmanda erant et firmiter tenenda, utpote quae ex dogmatibus catholicis liquido profluunt. In praxi vero Status acatholici, sive ex ignorantia, sive etiam ex bona fide, haec iura Ecclesiae non admittunt, ne seipsos condemnare videantur; quamobrem etiam Ecclesia, sua prudentia, alio modo suas cum ipsis relationes iuridicas ordinat.

2° *De facto.* - Cum societatibus civilibus christiano-acatholicis de facto Ecclesia agit sicut cum Statibus infidelibus, et ab eis eadem iura petit, quae ab infidelibus [1].

Ecclesia igitur iure petit et exigit a Statu acatholico ut eius ius praedicandi et exsistendi agnoscatur: his autem duobus iuribus omnia alia iura comprehenduntur sine quibus illa duo inania essent, ut, e. g., ius possidendi bona, Ecclesias habendi, fideles convocandi etc.

Haec vero rationabiliter a republica christiano-acatholica iure petit Ecclesia catholica, sibique iure nativo vindicat, nec enim respublica civilis, etiam acatholica, ius praetendere potest infallibiliter declarandi, quaenam ex variis christianis sit vera Ecclesia; quae cum ita sint, nequit pariter christianis sibi subditis transitum a secta haeretica ad catholicam Ecclesiam prohibere, quia id libertatem iustam conscientiae coarctaret iniuste, cum semper praesumendum sit reipublicae civili, quae infallibilis hac in re non est, subditos in hoc transitu conscientiae praecepto obedire.

---

[1] Quaestionem, ut patet, hic non facimus utrum Ecclesia intendat acatholicos ligare suis legibus, quia ista quaestio melius ad ius privatum remittitur ubi de legibus agitur. (Cfr. Maroto, *Institutiones iuris canonici*, n. 136; Rivet, *l. c.*, pag. 166 sq.).

Quod tamen non valet de transitu ab Ecclesia catholica ad sectam haereticam, quia, cum Ecclesia iure merito sibi infallibilitatem in rebus fidei vindicet et adversas damnet sectas, qui eam ingressus est sine culpa ab ea amplius discedere iure nequit [1].

Quod si Status haereticus vel schismaticus haec non concederet, possent ab Ecclesia exigi, etiam vi adhibita; id est Status christiani possent, et aliquando deberent vi cogere Statum ad iura Ecclesiae servanda; agitur enim de defensione, vim vi repellendo in defensionem Ecclesiae cuius omnes Status catholici sunt membra, ideoque tenentur eius iura servare et defendere et opem ferre fratribus suis. Hoc principium tam naturale est ut semper eodem iure usi sint et Status acatholici: e. g., protestantes contra catholicos qui, iuxta ipsos, molestabant alios protestantes [2].

94. — II. Relationes Ecclesiae catholicae cum Statu acatholico-infideli. - Infideles illos omnes vocamus qui per baptisma nondum Ecclesiam ingressi sunt; societates autem infideles illas vocamus quae huiusmodi hominibus efformantur, saltem ex maiori sua parte. Relationes Ecclesiae cum huiusmodi societatibus civilibus duabus propositionibus comprehendere possumus. Et

1° Omnes homines moralem habent obligationem Ecclesiam catholicam ingrediendi; in eos tamen qui per baptisma nondum ingressi sunt et in societates ab iisdem efformatas nullam, ne indirectam quidem, iurisdictionem Ecclesia exercere potest.

Duo in hac thesi affirmantur quae per se clara sunt; primo affirmatur moralis obligatio Ecclesiam catholicam unice veram ingrediendi, omnes prorsus homines tangens. Secundo negatur Ecclesiae in omnes, qui de facto eam nondum ingressi sunt, iurisdictio.

Dicitur ergo primo moralis, non iuridica aut physica obligatio, quia vi humana armata aut vi physica attingi nequit nec defendi. Obligatio enim moralis est necessitas creaturis rationabilibus a lege imposita aliquid faciendi vel omittendi. Hoc morali vinculo ligatae creaturae rationales, libertate physica, liberae remanent ad agendum vel non agendum, dum qui obligatione physica ligatur, hac libertate non gaudet nec proinde suorum actuum responsabilitatem habere potest. Et in hoc est essentialis differentia exsistens inter obligationem moralem quae homines et spiritus ligat, et obligationem physicam quae aliis creaturis inferioribus necessitatem imponit. Moralis quaelibet obligatio, ut demonstratur in ethica naturali, ultimo fundatur in Deo, qui unus potest praecipere aliquid creaturis rationabilibus; quia istae omnes, quatenus creaturae, sunt aequales natura et gradu, nec posset altera alteri imperare; imperium enim, ut aliquem liget, debet ferri ab eo qui supra ipsum superioritatem et potestatem habet. Unde non est potestas nisi a Deo [3].

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, 567.

[2] Cavagnis, *l. c.*, I, 569; Rivet, *l. c.*, 166, sq.; Cappello, *Institutiones iuris publici eccles.*, I, pag. 316 sq.

[3] Cfr. Noldin, *De principiis* [14], n. 109.

In altera thesis parte affirmatur Ecclesiam in infideles ne indirectam quidem potestatem exercere posse. Attamen id non ita est restringendum, ut nullo unquam casu Ecclesia infideles tangere posse dicatur. Aliqualis enim potestas indirecta, seu forte melius *mediata*, etiam in infideles est Ecclesiae concedenda, nempe Ecclesia tangit fidelem sibi subditum et, eo mediante, infideles; ita, e. g., si Ecclesia conditiones statuat pro concedendis dispensationibus ab impedimentis disparitatis cultus; ita etiam si disciplinam catechumenatus suis legibus determinet etc. At haec potestas non tangit nisi mediate infideles, directe vero fideles tangit.

Probatur prima pars thesis. - Omnes homines moralem obligationem habent ingrediendi Ecclesiam.

Homo tenetur finem sibi a Deo statutum prosequi, modo a Deo statuto; at homo nequit finem sibi a Deo statutum, modo a Deo statuto, prosequi nisi Ecclesiam ingrediatur; ergo homo tenetur Ecclesiam ingredi. - Maior argumenti per se patet: et ex philosophia morali probationem habet, nec proinde in eius probatione insistimus.

Prob. min. - Innumera sunt loca S. Scripturae in quibus Christus Deus praecepit hominibus necessitatem absolutam Ecclesiam ingrediendi. *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* [1]; circa quod non insistimus cum res sit de qua fuse agunt theologi. Ut patet in argumento a me allato multa supponuntur iam cognita et probata ex theologia dogmatica et morali.

Probatur altera pars thesis. - In societates civiles infidelium Ecclesia nullam habet iurisdictionem. — Nulla societas potestatem habet in eos qui ad ipsam nullo modo pertinent; - at qui Ecclesiam nondum sunt ingressi ad eam nullo modo pertinent; ergo in eos Ecclesia nullam potestatem habet.

Maior argumenti ex eo patet quod si aliqua societas posset subditis aliarum societatum qui cum ipsa nullo modo ligantur praecipere et ab eis obedientiam exigere, iam actum esset de ordine mundi et maxima oriretur confusio. Minor etiam ex hucusque dictis satis clara est; cum enim ex Christi voluntate constet Ecclesiam esse societatem visibilem quam ingredi nemo sine baptismate potest, constat etiam non baptizatos ad ipsam nullo modo pertinere.

2° Nihilominus Ecclesia ius habet praedicandi suam doctrinam in terris infidelium et sua bona tam spiritualia quam temporalia contra iniustos aggressores defendendi.

Hac thesi vindicamus Ecclesiae ius sese per orbem extendendi, et quidem ius divinum; et ius sese extendendi non qualicunque modo, licet forte

---

[1] Marc. XVI, 15, etc.

iniusto, sed solum praedicatione seu persuasione. Attamen praedicatio in thesi non intelligitur de stricte dicta praedicatione, sed de quibuslibet mediis quibus veritas docetur; comprehendit proinde libros, instructiones orales etc. huiusmodi, scholis non exclusis. In altera autem thesis parte vindicatur Ecclesiae ius sese defendendi contra illos qui eius iura impedire conantur. Quo iure non semper Ecclesia usa est, quia non semper fuisset eius usus conveniens; aliquando tamen eo est usa, ut ex historia constat. Ita explicatur cur Ecclesia quae profitetur se velle populos non vi armorum, sed persuasione convertere, usa tamen medio aevo sit bellis seu vi armata contra infideles; Ecclesia illa bella adprobavit atque ad illa principes populosque incitabat non ad obtinendam infidelium conversionem (quae forte aliquando per accidens sequi inde potuisset) sed ad suam tuendam libertatem. Ius autem hoc non est ius quoddam historicum, sed ius divinum ipsi Ecclesiae ab eius divino Fundatore collatum, quod mox ex dicendis patebit [1].

Probatur 1ª *pars thesis.* - Ecclesia ius habet praedicandi in terris infidelium.

Societas religiosa omnibus et singulis hominibus necessaria ius habet, iustis mediis, sese omnibus manifestandi; at talis societas est Ecclesia catholica; ergo Ecclesia catholica habet ius sese extendendi et sese manifestandi, iustis mediis, inter quae est certe persuasio.

Minor argumenti supponitur probata in theologia fundamentali; maior est per se clara, quia, si adest societas necessaria, quavis ratione necessaria sit, potest non solum, sed et debet ab omnibus cognosci et eam ingredi omnes tenentur.

Idem probari posset ex S. Scriptura ubi expressis verbis ius hoc ei a suo Fundatore conceditur.

Prob. 2ª *pars thesis.* - Ecclesia ius habet contra iniustos aggressores bona sua tam spiritualia quam temporalia defendendi.

Societas perfecta ius habet sese defendendi contra iniustos aggressores; at Ecclesia est societas perfecta. Ergo.

Maior ex ipsa notione societatis perfectae quam alibi dedimus clara est; si enim societas iure sese defendendi destitueretur iam non haberet media ad suum finem consequendum requisita et societas perfecta non esset amplius. Minorem alibi demonstravimus.

Posset hic contra hoc argumentum moveri difficultas, quod, scilicet, Ecclesia non habeat media necessaria ad efficacem sui defensionem. At ad hoc respondetur Ecclesiam haec media habere vel saltem ius habere haec media exigendi a societate civili. At etsi concedatur in aliquo casu, *per accidens* mediis necessariis ad sui iuris defensionem destitui, inde tamen non sequitur eam ipso iure destitui; ex facto enim quod quis iure suo uti

[1] Cfr. A. Ceria, *Diritto pubblico e privato*, vol. I, part. 2, lez. 2.

non possit quia in aliquo casu vi physica ad illud tuendum destituitur, minime sequitur illud ius non amplius exsistere, ius enim est aliquid distinctum a coactivitate, et a fortiori ab ipsa coactione, ut iam pluries diximus; ita, e. g., mulier quae se a viro opprimente defendere nequeat, quia eo debilior est, non ideo iure sese defendendi contra talem virum destituitur, et e contra vir ius eam opprimendi non acquirit ex eo quod maiori prae illa vi physica potitur. Nemo est qui non videat absurdas consequentias quas continet principium erratum quo vis seu coactio cum coactivitate seu iure sese defendendi, et ipsa coactivitas cum ipso iure confunditur.

95. — III. Relationes Ecclesiae cum gubernio illegitimo. - Cum, praesertim nostris diebus, facile accidere possit ut gubernantium dinastiae subvertantur et eorum locum gubernia, quae provisoria plerumque vocantur, occupent vel vi, vel etiam, ex defectu legitimi principis qui alio aufugit, non abs re erit hic quaedam addere circa relationes quas cum huiusmodi guberniis Ecclesia habere aliquando necessario debet ad subveniendum suis subditis in illis Statibus degentibus. Circa ista ergo haec adnotamus ex cl. Cavagnis:

1° In actu usurpationis nemo usurpatori obedire tenetur; tunc enim adhuc legitimus princeps adest cui unice obediendum est.

Consummata vero usurpatione, cum nempe usurpator in pacifica potestatis possessione est, ei populus obedire tenetur, non ex eo quod ille ius aliquod ex mero facto usurpationis acquisierit, sed ex novis titulis.

Tempore enim procedente novi tituli accedere possunt, et tunc usurpator desinet esse talis et legitimus fiet. Ita si praecedens legitimus imperans suis iuribus renuntiet, aut deficiat et nullus alius ei de iure succedat, populusque in usurpatorem consentiat. Sed etiam antequam antiquus legitimus princeps deficiat aut ius usum amittat, contingere potest usurpatori impossibile esse, saltem pro eo tempore, restaurare legitimum imperantem. Tunc huius ius suspenditur, et publico bono exigente, usurpator velut apud se depositam tenet publicam auctoritatem, eamque iure exercet. In id consentit aut saltem praesumitur consentire ipse legitimus imperans, et si dissentiret, irrationabiliter ageret, atque eius dissensui praevaleret necessitas boni publici, ideoque usurpator, provisorie, adhuc iure auctoritatem retineret atque exerceret. Ratio autem est quia civilis potestas in bonum sociale instituta est atque eius causa huic vel illi subiecto tributa, ideoque eius possessio rationem habet medii pro publico bono eique inservire debet et non vice versa. Quod si status societatis ita immutaretur ut restitutio antiqui imperantis evaderet stabiliter moraliter impossibilis, eius quoque ius evanesceret. Est autem moraliter impossibilis antiqui imperantis restitutio, quando sine magna societatis perturbatione, praesertim duratura, fieri nequit. E contra si status socialis ita componatur ut ei stabiliter necessarium evadat usurpatoris imperium, hic in legitimum impe-

rantem convertetur. - Hic modus respective amittendi et acquirendi imperium, quasi naturalis praescriptio appellari potest [1].

Si restauratio legitimi eiecti imperantis, unice impediatur ab usurpatore, distinguendum est inter ea usurpatoris praecepta quae directe referuntur ad rei publicae utilem administrationem et ea quae ad legitimum imperantem excludendum. - Prima, si de cetero honesta et societati utilia, servanda sunt, cum semper vigeat obligatio procurandi bonum publicum, et in iis adiunctis unicus modus practice efficax illud procurandi sit observantia eorum quae ab occupatore socialis potestatis praecipiuntur. Igitur ius gubernandi societatem considerandum est ut sequela pacifica possessionis potestatis eiusdem. E contra ad ea quae tendunt ad legitimum excludendum imperantem, per se positive concurrere non possumus, utpote quae ad iniustum finem directe referuntur [2].

2° Id quod de populo seu de ipsa societate civili relate ad usurpatorem dicitur, fortiori ratione et de Ecclesia dici potest, quae proinde cum usurpatore agere poterit, si prudens iudicaverit, de bonis ordinis spiritualis, salvo semper iure legitimi principis.

Attamen usurpator nullo modo praetendere potest ut sibi ab Ecclesia ea iura seu privilegia agnoscantur quae forte Ecclesia legitimo principi concesserat; quod enim legitimo principi datum est non censetur pari ratione concessum cuilibet imperanti [3].

96. — Scholion I. - Relationes Ecclesiae ad societates civiles imperfectas. - Societates civiles imperfectae ex iure humano exsistentes, hic enim praecisionem facimus a societate coniugali quae specialem una cum domestica tractationem mereretur, et de qua agunt philosophi, referuntur ad Ecclesiam sicut societas civilis perfecta a qua pendent et ipsa mediante. Societas civilis perfecta eas retinere debet intra suum ambitum, et Ecclesia relate ad ipsas id potest quod relate ad societatem perfectam a qua illae pendent; hanc tamen auctoritatem Ecclesia in ipsas exercebit mediante societate perfecta civili, nisi circumstantiae aliud suadeant.

Similiter Status nullam in societates religiosas imperfectas auctoritatem habet; quae proinde relate ad Statum perfectae et independentes sunt, quia finem superiorem, etsi partialem habent. - Quodsi has societates iura Status invadere contigerit, Status contra eas sese defendere poterit recurrendo ad societatem perfectam earum homogeneam, cui illae subiiciuntur, scilicet, ad Ecclesiam.

Nequit autem Status has societates ab Ecclesia catholica ap-

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, 574-575.
[2] Cavagnis, *l. c.*, 574 sq.
[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 578-579.

probatas supprimere, quia ab ipso non pendent nec in sua origine, nec in suo *esse;* ad ordinem enim superiorem referuntur.

Scholion II. - Relationes Ecclesiae ad societates religiosas falsas de facto exsistentes. - Religiosae sectae ab Ecclesia catholica separatae, christianae aut infideles esse possunt. Si de infidelium sectis sermo sit, dubium esse nequit quin ipsae, post Evangelii promulgationem, ex principiis in theologia catholica demonstratis, iure exsistendi destituantur. De facto tamen quousque infideles Ecclesiam ingrediantur per baptisma validum, eiusdem auctoritati non subiiciuntur, etsi eam ingredi tenentur.

Sectae vero christianae quae validum baptisma retinuerunt, Ecclesiae catholicae, quae unice vera est, subiiciuntur, et dum eidem obedire renuunt ut rebelles habendae sunt. Et haec quidem de iure.

Per accidens vero, tum haereticorum, tum infidelium societates religiosae tolerari poterunt, si ex earum suppressione maiora mala ne obveniant timeatur; praesertim si de haereticis agatur qui in haeresi nati et educati sint quorum proinde bona fides probabilis est [1].

Scholion III. - De officiis Ecclesiae erga civitatem. - Sicut civitas erga Ecclesiam, ita et Ecclesia erga civitatem officiis ligari potest; alio tamen atque alio modo.

Haec officia partim affirmativa partim negativa sunt.

Officio negativo Ecclesia finis temporalis necessarii consecutionem civitati impedire vetatur. - Dicitur autem finis necessarii temporalis consecutio, quia si finis temporalis determinati consecutio non est necessaria, ad id Ecclesia non tenetur, aut saltem summum ex sola caritate tenetur.

Quodsi circa finis temporalis necessitatem quaestio inter utramque potestatem oriatur, eadem Ecclesiae, societati superiori, non civitati solvenda est.

Positivo officio Ecclesia civitati haec praestare debet: eam adiuvare eidem praestando quae ad sui finis spiritualis consecutionem requiruntur, quaeque necessaria connexione ad finem etiam temporalem tendunt ut, e. g., promotionem cultus publici et publicae moralitatis etc. Ad alia quae ad sui finis consecutionem non requiruntur et directe potius ad consequendum finem temporalem tendunt Ecclesia certe non tenetur ex iustitia, aliquando tamen ex caritate teneri poterit. Quae quidem aliquando Ecclesiam civitati praestitisse ex historia constat praesertim occasione bellorum; sicut, e contra pariter civitas Ecclesiae ea praestitit, quae nec ex caritate, nec ex iustitia praestare obligata fuisset ut, e. g., magnas divitias tempore medii aevi [2].

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, n. 9; Cavagnis, *l. c.*, I, n. 582-583.

[2] Cavagnis, *l. c.*, I, 558 sq.; Cappello, *Summa iuris publici eccles.*, n. 250.

CAPUT III.

Relationes reipublicae catholicae ad societates religiosas acatholicas.

97. — Quaestio ista proprie non ad ius publicum Ecclesiae sed potius ad ius publicum civitatis pertinet; verum, cum maximam cum iure Ecclesiae connexionem habeat, de ea quaedam per summa capita hic referre iuverit.

I. **De concursu negativo** - seu de libertate aut tolerantia concedenda sectis acatholicis.

Distinguenda est ante omnia libertas a tolerantia; haec enim reprobationem rei toleratae includit; illa e contra a qualibet reprobatione omnino praescindit.

Si de civitate agitur ubi aut libertas aut saltem tolerantia iam ex lege viget, ut, e. g., si libertas cultus lege civitatis fundamentali a principe iureiurando firmata statuatur, tunc certe civitas etiam catholica eam concedere potest immo et tenetur, quousque dissidentes in illa republica permaneant.

Si vero illa libertas aut tolerantia non ex lege, sed ex moribus populi et consuetudine introducta sit, tunc prudentis principis, dependenter ab Ecclesia erit iudicare utrum abrogari possit, an forte etiam lege firmanda ad mala maiora vitanda.

Ubi vero nec libertas nec tolerantia adhuc introducta est, per se introducenda non est nisi in casu quo ita vehementer reclametur a civibus ut sine magnis incommodis denegari nequeat.

Insuper tamen veritas verae religionis ab Ecclesia et etiam, quatenus fieri potest, a civitatis principibus proclamanda est. « Ex qua aperta veritatis praedicatione, non modo sacer veritatis ignis inter homines conservatur, sed insuper ostenditur Ecclesiam non duci secundis occultis finibus, cum et doceat quae dominanti opinioni adversantur, ideoque non quaerit popularitatem, sed veritatem » [1].

98. — II. **De concursu positivo.** - Aliquando autem et positive Status falsis sectis succurrere poterit.

Ante omnia autem distinguamus oportet duplicem concursum seu cooperationem ad malum: concursum seu cooperationem formalem et concursum seu cooperationem materialem; illa tunc habetur cum quis vel actionem de se intrinsece malam ponit, vel etiam indifferentem, sed cum intentione mala; haec vero cum actio

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, 589.

bona vel indifferens ponitur, qua tamen ille cum quo cooperatur ad malum finem utitur. Ad formalem proinde cooperationem actio intrinsece mala, cui scilicet malitia intrinseca est ita ut nulla intentione excludi possit, requiritur, aut mala intentio una cum actione indifferenti, quia in casu finis malus ipsi actioni indifferenti malitiam tribuit. Cooperatio formalis nunquam licet; materialis potest fieri licita ex rationabili et proportionata gravi causa. Eo autem gravior causa ad cooperationem materialem permittendam requiritur quo ipsa actio magis in actionem malam influit; influentia vero in casu nostro maior erit si positive aliquid concedatur, si ipsi sectae concedatur quam si negative aut solummodo personis sectae addictis concedatur [1].

Quibus praemissis quaedam in particulari videnda sunt.

1° Si de secta religiosa acatholica fundanda agitur, quae nempe nondum organizata et constituta est, atque de eiusdem regimine in se ex parte principis catholici suscipiendo, cum ista positivam confirmationem, et adiutorium falsae religionis una cum formali cooperatione importent, omnino tenendum est civitatem catholicam hanc positivam organizationem in se suscipere non posse, et hoc verum esse sive unus princeps catholicus, sive cum eodem tota societas catholica est; quod enim civitati catholicae facere non licet id nec principi catholici etiamsi agat nomine societatis acatholicae facere fas est. Nihil tamen obstat in casu, si falsae religionis organizatio ad maiora mala vitanda expedire videatur, quo minus princeps sectatoribus falsae sectae ut se organizare possint, permittat, reservata tamen sibi vigilantia ne civitas ex hoc aliquid detrimenti capiat [2].

2° Exclusa autem positiva organizatione societatis religiosae acatholicae ex parte principis catholici, quaeri ulterius potest utrum princeps catholicus permittere possit ut sectatores falsae religionis in personam collectivam constituantur, quod tunc fit cum plures personae physicae in unum ex pacto uniuntur; aut societatem ineant quae personalitate iuridica gaudeat a singulorum personalitate distincta. Haec autem moralis personalitas generatim a societate perfecta quae ea ex iure naturali gaudet aliis imperfectis societatibus ad finem honestum communicari seu concedi potest.

Cui quaestioni ita responderi posse videtur: Certe princeps nequit sectae seu personae collectivae inhonestae, cuiusmodi est societas religiosa falsa, personalitatem iuridicam eodem prorsus modo quo eam societati honestae tribuit concedere; verum nihil obstare videtur quo minus societati inhonestae iam de facto exsistenti personalitatem aliqualem iuridicam recognoscat; ipse vero eam directe instituere, ut fieri licet pro societatibus honestis, non potest, quia id formalem includeret ad malum cooperationem. Societas igitur religiosa falsa ut corpus morale recognosci ex gravi causa poterit, non directe a principe catholico constitui. Ex quo fit ut eadem persona iuridica eousque exsistat donec omnes socii moraliter sumpti sunt

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, I, 593 sq.
[2] Cavagnis, *l. c.*, n. 626 sq.

concordes; si non sint concordes et maiori ex parte dissentiant, ipsa persona iuridica cessat, quod non evenit in persona iuridica a Statu directe instituta, non solum recognita [1].

3° Admissa autem ex parte reipublicae catholicae recognitione societatis religiosae acatholicae tanquam personae iuridicae, modo supra explicato, iam quaedam ad instar corollarii ex illa recognitione sequi videntur: videlicet:

a) Princeps catholicus sectae ita recognitae ius bona temporalia acquirendi, administrandi et alienandi recognoscere poterit; haec enim omnia liquido ex personalitate iuridica fluunt. Attamen illa societas cum sit imperfecta haec iura exercere tantum poterit dependenter a republica et servatis reipublicae legibus [2].

b) Item civitas aut princeps catholicus bonorum temporalium praestationes quas societas religiosa suis sectatoribus faciendas praescripserit quae moderatae sint et ad tempus praeteritum referantur urgere potest; quia iustum est ut quis sua pecunia concurrat ad expensas sustinendas quae in sui commodum factae sint, suoque nomine.

Quodsi socii pecuniam ad hoc non societati ipsi religiosae, sed reipublicae aerario solvant ut ex eo respublica omnes expensas nomine subditorum et pro subditis factas compenset, poterit tunc respublica hoc praestare. « Consideratur enim tunc aerarium publicum non ut pertinens ad ius societatis indivisibiliter, sed ad cives », qui ut domini eiusdem habentur.

Hoc valet certe de religionibus tolerabilibus quales sunt, e. g., sectae christianae acatholicae, at forte etiam aliis religionibus paganis applicari poterit, ad maiora mala vitanda seu ne motus contra pacem reipublicae et praesertim contra bonum Ecclesiae excitentur. In casu tamen subsidia praestanda sunt, non intentione cultus exercitio, sed solum civibus illius cultus subveniendi [3].

Dixi supra, *si praestationes tempus praeteritum respiciant*, si enim futurum respicerent, quia de se tenderent ad impediendam conversionem ad veram religionem, eas urgere certe non liceret; sicut nec relate ad tempus praeteritum id permittendum esset, si illae praestationes in obsequium religiosum seu in professionem falsae religionis fierent [4].

c) Potest princeps catholicus crimina in personas religiosas, e. g., sacerdotes falsae sectae toleratae, commissa punire quatenus crimina civilia ordinem publicum perturbantia; immo potest et maiore poena ea punire, quia ex circumstantia personae religiosae gravius et facilius ordo publicus perturbatur, praecisione facta a falsa religione. Simplici vero ratione personalitatis religiosae offensae poenam augere non licet, quia id esset recognitio falsae religionis qua talis [5].

Item iniurias in falsam religionem punire poterit princeps catholicus

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 603 sq.
[2] Cavagnis, *l. c.*, 605-606; Cappello, *l. c.*, 273, I.
[3] Cavagnis, *l. c.*, 608.
[4] Cavagnis, *l. c.*, 607; Cappello, *l. c.*, 273, II et 274.
[5] Cavagnis, *l. c.*, 614.

quatenus ordinem publicum civilem turbant, non quatenus iniuriae in falsam religionem sunt ex eadem ratione [1].

Pariter princeps transgressiones praeceptorum falsae religionis punire potest, quoties illa praecepta cum praeceptis iuris naturalis aut positivi divini coincidant, sive de transgressione positiva sive de simplici omissione agitur, quia id non est intrinsece malum. - Praeceptorum vero, quae unice a falsa secta sancita sunt, transgressionem punire nefas est, quia id formalem cooperationem ad cultum falsum importat [2].

d) Tandem princeps catholicus actus cultus falsi urgere poterit si hi boni ex se sint et poni simul possint sine qualificatione aut professione falsae religionis; secus omnino tenendum est eos urgeri nefas esse, quod formalem ad cultum falsum cooperationem implicant; concursus enim ad actus huiusmodi in concreto aliquid mali implicat. « Poterit tamen in genere inculcari sensus religiosus et religionis in genere observantia, cum haec possibilia sint et in forma quadam indeterminata, etsi praevideatur hos sectatores electuros formam falsae religionis » [3].

Scholion. - De relationibus Ecclesiae ad respublicas ex iure contingenti. - Quae hucusque diximus de iure naturali aut positivo divino circa relationes Ecclesiae ad respublicas aut viceversa, valent si utriusque societatis, nempe religiosae et civilis, naturam spectemus. Illa tamen principia mitigationem recipere possunt ex iure contingente a factis praesertim historicis orto. Huiusmodi facta historica ad haec reduci possunt: ad unionem in eodem subiecto utriusque potestatis spiritualis nempe et temporalis; ad concessionem seu delegationem propriae potestatis ab alterutra societate alteri factam sive per concordata de quibus postea, sive per mandatum explicitum aut saltem implicitum; quod ultimum antiquitus fecisse videtur Ecclesia ex gratitudine erga plures principes qui leges de rebus ecclesiasticis tulerunt ut, e. g., Constantinus, Iustinianus, Theodosius, Carolus M. etc. [4], eorundem leges canonizando.

Hoc tamen semper firmiter tenendum est de huiusmodi concessionibus ab Ecclesia factis: eas esse semper ab Ecclesia retractabiles et ne Romanum quidem Pontificem posse concessionem absolutam, his de rebus, facere non retractabilem, quia id iuri divino de independentia Ecclesiae et primatu Romani Pontificis repugnaret.

De unione autem in eodem subiecto utriusque auctoritatis religiosae scilicet et civilis, quam saeculis praeteritis factam esse novimus, haec adnotamus. Nihil obstat quominus qui potestate

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 616-617.
[2] Cavagnis, *l. c.*, 618-620.
[3] Cavagnis, *l. c.*, 623 sq., 585.
[4] Cavagnis, *l. c.*, 638.

religiosa gaudet simul et civili fruatur; immo nihil etiam obstare videtur quominus ipsa auctoritas civilis lege ei adiudicetur stabiliter qui potestate fruitur religiosa, ita ut ille in aliqua regione principatum civilem obtineat qui et religiosum obtinuit, e. g., Romanus Pontifex in principatu temporali Sanctae Sedis. Hoc autem licere ex eo praesertim patet quod qui ad officia superiora ecclesiastica habilis est, eo ipso et ad potestatem civilem exercendam idoneus habendus sit; maiores enim in sacerdote quam in principe requiruntur qualitates. E contra admitti nequit potestatem ecclesiasticam adnecti posse stabili quodam modo subiecto potestatis civilis, quia in casu principale serviret accessorio et dein plura requiruntur in subiecto potestatis ecclesiasticae quae in subiecto potestatis civilis non requiruntur ut, e. g., divina vocatio etc. Insuper si hoc fieri posset iam actum esset de libertate et absoluta independentia quae Ecclesiae ex iure divino competit.

At haec innuisse sufficiat.

PARS III.

IUS PUBLICUM SPECIALE

SEU

QUAESTIONES VARIAE SPECIALES

99. — Expletis iam quaestionibus generalibus de iuribus Ecclesiae et de eiusdem ad Status seu civiles societates relationibus, quaestiones quasdam nunc solvendas aggredimur, quae ad iuris publici ecclesiastici tractationem explendam necessariae sunt.

Non omnes tamen quae huc referri possent, quaestiones attingere necesse est; nobis sufficiet, ut quae potioris sunt momenti videamus, aliis ex principiis generalibus et ex theoria potestatis indirectae expositis in duobus prioribus capitibus solvendis lectoribus relictis.

Sunt autem quaedam quaestiones quae certe ad ius publicum pertinent ut, e. g., quae ad leges, ad statum personarum referuntur, quaeque sparsim in Codice ponuntur praesertim libris duobus prioribus, de quibus licet hic agi posset, melius tamen ad *Institutiones iuris privati* ex connexione materiae remittuntur. Igitur hac parte agemus quinque capitibus:

1° De concordatis.
2° De regio *placet* seu *exsequatur*.
3° De appellatione ab *abusu*.
4° De immunitatibus.
5° De fontibus iuris canonici.

CAPUT I.

De Concordatis.

Connexio materiae. - Ad modificationes seu mitigationes iuris naturalis et positivi divini, de quibus in altera parte huius libri, in scholio finali loquuti sumus, optimo iure referri etiam possunt pacta illa quae ab Ecclesia cum civitatibus sive catholicis sive acatholicis iniri iam ab antiquo et multo magis nostris diebus consueverunt; quae licet ius commune non constituant, sunt tamen maximi momenti praesertim ex connexione quam cum principiis iuris habent et quia, pro pluribus regionibus, ius particulare constituunt et iuri communi sive publico, sive privato in pluribus derogant. Huiusmodi pacta *concordata* appellata sunt. De his ergo hoc capite agemus. Videbimus:

1° Praenotationes, seu notionem, divisionem et historiam concordatorum.

2° Subiecta concordatorum.

3° Materiam et formam concordatorum.

4° Necessitatem aut utilitatem concordatorum.

5° Naturam iuridicam concordatorum.

6° Interpretationem concordatorum.

Art. I. — Praenotationes.

100. — I. **Notio.** - Concordata (etymologice a verbo *concordare*, quod « in eamdem sententiam convenire » significat) varie a variis describuntur. Nos, sepositis variis opinionibus circa eorum vim et naturam iuridicam, concordata ita describimus: *Conventiones inter societates civilem et ecclesiasticam ad earum relationes iuridicas melius determinandas et ad praxim facilius deducendas.*

Haec descriptio sufficere dicenda est ne omnes quaestiones circa concordata in ipsa eorum definitione praesolvere voluisse videamur. Natura iuridica harum conventionum, personae quae illas facere possunt, materia circa quam generatim fieri solent, ex infra dicendis melius patebunt.

Aliis etiam nominibus concordata appellari quandoque consueverunt, ut *Concordia*, *Leges concordatae*, *Conventiones*, *Pax*, *Tractatus*, quae sunt alia nomina eiusdem tamen rei [1].

101. — II. **Divisio.** - Concordata multipliciter dividuntur:

1° *Ratione subiectorum: a*) In concordata cum guberniis catholicis et cum acatholicis.

b) In concordata ab Episcopis et a R. Pontifice inita. Priora nostris diebus iam non sunt amplius practici momenti.

2° *Ratione finis:* Concordata pacis restituendae aut concordiae servandae.

3° *Ratione durationis:* Concordata perpetua et temporalia [2].

4° *Ratione materiae:* Concordata pro negotio aliquo particulari aut pro negotiorum complexu.

5° *Ratione formae:* Concordata expressa et explicita, et aequipollentia aut implicita.

---

[1] Cfr. Wernz, *Ius Decr.*, t. I, n. 165. Sägmüller, *l. c.*, pag. 123 sq. apud quem, ut de more, inveniri potest ampla de quaestione recensio litteraria, operum praesertim germanicorum; Cappello, *Summa iuris publ. eccles.*, 1923, n. 295 ubi etiam ampla recensio litteraria habetur.

[2] Novissimum Concordatum S. Sedis cum Lettonia temporaneum est; art. enim XX haec habet: « Duratio huius Concordati erit trium annorum... et prorogabitur tacita renovatione de anno in annum ».

Haec ultima distinctio in re fundamentum habere videtur et proinde admittenda, ut ex concordatorum historia constabit, licet de ea non omnes auctores loquantur.

102. — III. **Historia concordatorum.** - De historia concordatorum nobis agentibus utile videtur quaedam historiam iuridicam inter Ecclesiam et Statum priorum praesertim saeculorum tempore, innuere, quae licet directe ad materiam concordatorum non pertineant, proxime tamen ad eam referri possunt.

1° *Relationes Ecclesiae ad Statum Romanum tribus prioribus saeculis.* - Primo saeculo christiani in republica romana instar hebraeorum secta, tolerati fuerunt; immo, ut Iudaei, ipsi suas communitates seu uniones et Ecclesias particulares erigere potuerunt.

Sub fine saeculi I cum occasione tributi Iudaeis impositi ad templum Ierosolymis, Iovi Capitolino erigendum, christiani a Iudaeis discriminati fuissent, eorum societates ut illicitae et prohibitae haberi coeptae sunt; leges tamen contra illos, ut videtur, tunc, idest illo saeculo, nullae promulgatae sunt.

Primum certum documentum, quod vim retinuit usque ad Constantini tempora contra christianos, est Epistola Traiani (98-117) ad Plinium Iuniorem his verbis concepta: « Conquaerendi non sunt (christiani); si deferantur et arguantur, puniendi sunt » [1].

Habentur deinde documenta maiori, minorive severitate concepta contra christianos ab Hadriano (117-138) et a Marco Aurelio (161-180) edita.

Intervallis interiectis aliqualis quandoque christianis pax arrisit, at leges et edicta contra ipsos usque ad Constantinum suam vim retinuerunt [2].

Saeculo III Ulpianus Domitius rescripta principum contra christianos et ea omnia edicta quae in christianos applicari poterant in libro VII, *De Officio Proconsulis*, collegit [3].

Ultimis vitae suae annis Galerius († 311) qui antea contra christianos asperrime pugnaverat, ipsis tolerantiam concessit et se imperiumque romanum christianorum precibus commendavit. - Tandem vere anni 312 imperatores Constantinus et Licinius edictum tolerantiae pro christianis promulgarunt; deinde anno sequenti (313) iidem imperatores altero edicto plenam christianis libertatem concesserunt [4].

Hoc tamen edictum Licinius fideliter non servavit, quo factum est ut ei bellum moverit eumque Bizantii vicerit Constantinus anno 323. Constantinus vero aliis etiam rescriptis christianos tuitus est, eis concedens facultatem testandi pro Ecclesiis, exemptionem sacerdotum a muneribus municipalibus, praeceptum dies festos servandi [5].

2° *Prima concordata implicita.* - Post persecutiones pace Ecclesiae restituta, relationes inter ipsam et imperium romanum ita ordinatae sunt,

---

[1] Cfr. Marucchi, *Manuale di Archeologia cristiana*, ed. 2, 1908, pag. 45.
[2] Cfr. Hergenröther-Kirsch, *Storia universale della Chiesa*, vol. I, part. III, c. III.
[3] Hergenröther, *l. c.*, part. IV, c. I.
[4] Cfr. Hergenröther-Kirsch, *l. c.*, part. V, cap. I, § 3.
[5] Cfr. Hergenröther, *l. c.*, l. II, part. I, c. 1, § 1.

ut non improbabiliter dici possit illis temporibus prima concordatorum vestigia haberi. - Haec concordata, quae alterius ad alteram societatem relationes moderabantur, non quidem explicita sed implicita, ex concessionibus hinc inde, seu ultro citroque factis, manifesta sunt. Imperatores enim Ecclesiae legitimitatem agnoscentes, eidem protectionem et brachium saeculare seu vim armatam praestiterunt, Ecclesia vero imperatori christiano ex parte sua privilegium in suis conciliis seu synodis interveniendi concessit.

Quod quidem ab Ecclesia admissum fuit quousque imperatores superioritatem indirectam Ecclesiae agnoscentes, his iuribus seu privilegiis circa spiritualia dependenter ab ipsa et ad eiusdem praecipue defensionem usi sunt; ubi vero iis ad Ecclesiam opprimendam et ad haereses defendendas principes uti coeperunt, RR. Pontifices et SS. Patres vocem suam contra eosdem levare, aliquando etiam morte et exsilio despectis, non destiterunt [1].

Hac igitur periodo quae usque ad schisma Ecclesiae orientalis se protendit, generatim Status romanus suas leges legibus Ecclesiae accommodavit, e converso vero Ecclesia plures leges a Statu latas canonizavit.

3° *Antiquiora concordata explicita.* - Antiquissima concordata, licet non formula postea adhiberi solita, inita, explicita tamen ad concordiam et pacem firmandam, haberi possunt conventiones a regibus Francorum factae. Huiusmodi sunt pactum Casiriacum (Chiersy) a. 754 inter Stephanum III et Pipinum; pacta inter Hadrianum I et Carolum M. a. 774, et alia c. 30 sq. D. 63 relata [2].

Concordatis adnumerari item possunt privilegia ab Urbano II (a. 1098) Rogerio Siciliae Comiti concessa, et a Paschale II dein confirmata, quibus pars exsecutiva legum a legatis Papae promulgatarum Comiti committebatur. Huiusmodi privilegia nimis late interpretata dein in *Monarchiam Siculam*, quam vocant, degeneraverunt, quae pluribus novis conflictibus causam dedit [3].

Pacis restituendae, graviter antea turbatae, causa, primum, ut videtur, concordatum proprie dictum illud est, quod inter Anselmum Archiepiscopum Angliae Primatem et Henricum I Anglorum Regem, assentiente Romano Pontifice, annis 1105-1106 conclusum et firmatum est, anno deinde sequenti promulgatum (1107). In ipso Ecclesia Episcopos ad illud usque tempus a Rege investituris donatos agnovit, pro futuro vero tempore rex investituris et iuramento feudali Episcoporum renuntiavit [4].

Ad finem ponendum luctae de investituris in Italia et Germania primum Sutrinus tractatus inter Paschalem II, qui morali vi ad illum firmandum coactus est, et Henricum V firmatus est; at luctae revera solummodo per concordatum Wormatiense a. 1122 inter Callistum II et eumdem Henricum V finis impositus est [5].

---

[1] Cfr. Hergenröther-Kirsch, *l. c.*, l. II, part. I, c. X, § 3.

[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 165, IV, et in not. 11; Hergenröther, *l. c.*, vol. III, part. I, c. IX, pag. 110-111 et cap. XII, § 1, pag. 129.

[3] Cfr. Hergenröther-Kirsch, *l. c.*, vol. IV, part. I, c. IV, pag. 52; Wernz, *l. c.*, I, 165, IV; Cavagnis, *l. c.* vol. II, lib. III. 67* sq.

[4] Cfr. Hergenröther-Kirsch, *l. c.*, vol. IV, part. I, c. V, pag. 78-79.

[5] Cfr. Hergenröther-Kirsch, *l. c.*, vol. IV, part. I, c. IV, pag. 58-60; Wernz, *l. c.*, I, 165, IV; Cavagnis, *l. c.*, I, 644.

« Universus titulus 38, *De iure patronatus*, libri III Decretalium, est tacitum quoddam concordatum atque non levium iurium in favorem laicorum facta concessio et futurorum privilegiorum principibus saecularibus datorum vera praeformatio » [1].

4° *Concordata a saeculo* XIII *ad* XVIII *inita*. - Inde vero a saeculo XIII ad XVIII potiora concordata a S. Sede cum civilibus guberniis inita, sunt:

a) Concordatum inter Episcopos lusitanos et Dionysium regem a. 1288 initum, quod, potius quam concordatum, est Romani Pontificis sententia circa Episcoporum iura et regis privilegia.

Item aliud concordatum cum Lusitania, a. 1516 initum.

b) Concordata Constantientia, Martinum V inter et principes ecclesiasticos Europae Septentrionalis, in Concilio Constantiensi, ad varias controversias dirimendas inita.

c) Concordata Vindobonensia inter Nicolaum V et Fridericum III imperatorem aliosque principes ecclesiasticos et saeculares a. 1447 inita, quibus plures Germaniae factae sunt concessiones.

d) Concordatum Leonem X inter et Franciscum I Regem Gallorum, a. 1516, ad pragmaticam sanctionem abolendam initum.

e) Concordatum cum Bohemia a. 1630 [2].

5° *Concordata saeculi* XVIII. - Inde vero a saeculo XVIII omnes fere Status catholici, immo et acatholici christiani cum S. Sede concordata inire coeperunt; praesertim ad relationes melius statuendas et ad pacem, quantum fieri potest, servandam quae ex falsis principiis de statulatria in dies invalescentibus difficilior evaserat.

Quae praecipua sunt inter haec innuisse sufficiet. Saeculo XVIII habentur praesertim concordata: Cum Lusitania a. 1778; cum Sardinia annis 1727, 1741, 1742, 1750, 1770; cum Polonia a. 1736; cum Hispania a. 1737, 1753; cum Sicilia a. 1741; cum ducatu Mediolanensi a. 1757; cum eodem et ducatu Mantuano a. 1784; cum Superioribus Provinciis Rheni a. 1721, 1727; cum Belgio a. 1727.

6° *Concordata saeculi* XIX. - Praecipuum huius saeculi concordatum, quo aliis nationibus exemplum datum est, fuit concordatum Napoleonicum inter Pium VII et Napoleonem I a. 1801 stipulatum; illo relationes Ecclesiae ad Statum gallicum determinatae sunt usque ad a. 1905, quo a gubernio laico anticlericali lex separationis Ecclesiae a Statu approbata est et concordatum denuntiatum, Romano Pontifice et Ecclesia Galliae lugentibus. Alia concordata hoc saeculo inita sunt: Cum Lusitania a 1857, cum eadem pro Indiis tamen orientalibus, a. 1886 cum *reversalibus* a. 1887, 1889, 1891 [3].

Item concordata: Cum Sardinia a. 1817, 1836, 1861; cum Hispania a. 1851, 1859; cum utraque Sicilia a. 1818, 1834; cum republica italica

---

[1] Wernz, *l. c.*, I, 161, IV.

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, 549-650; Wernz, *l. c.*, I, 165, IV.

[3] *Litterae reversales* sunt litterae officiales quibus legati duarum potentiarum debitis muniti facultatibus, earumdem nomine mutuo se obligant, acceptando alterius propositiones. — Hic modus se obligandi est minus sollemnis et adhibetur pro conventionibus partialibus, quae unum tantum vel pauca negotia, moderantur, non integrum systema relationum Status et Ecclesiae (Cavagnis, *l. c.*, n. 650, in nota).

a. 1803; cum Bavaria a. 1817; cum Borussia a. 1821; cum Hannover a. 1824; cum Helvetia a. 1828, 1845 et partialiter cum Ticino a. 1884, 1888, cum dioecesi Basileensi a. 1884; cum Russia 1847, et partialiter 1882; cum Etruria a. 1851; cum republica Costaricensi a. 1853; cum republica Guatemalensi a. 1853; cum Austria a. 1855; cum Wirtenberga a. 1857; cum Badis a. 1859; cum republica Haitiana a. 1860; cum republica Hondurensi a. 1862; cum republica Aequatoris a. 1862 et 1881 cum additionibus a. 1890; cum Rebuspublicis Nicaragua et S. Salvatore a. 1862; cum Montenigro a. 1886; cum Columbia a. 1887, cum additionibus anno 1892; cum Anglia pro Melita a. 1890 [1].

7° *Concordata saeculi* XX. - Saeculo autem XX pauca omnino concordata documentis publicis conclusa sunt. Sunt tamen quaedam etiam nostris diebus concordata conclusa. Ita anno 1914 [2] conclusum est concordatum cum Servia; die vero 3 Nov. 1922 concordatum cum Lettonia in *Acta Apostolicae Sedis* [3] et in *Monitore eccles.* [4] statim relatum. Nova potius introduci coepta est forma concordatorum implicitorum per legatos ordinarios aut extraordinarios ex parte rerum publicarum et Nuntios aut Internuntios ex parte S. Sedis. Hoc praesertim ex eo factum esse videtur, quia ex quotidie invalescente forma gubernii democratica, qua cunctus populus per deputatos concordata concludere deberet, huiusmodi conclusio difficilior evasit, et S. Sedes sese ludibrio exponeret sustinendi repulsionem ex parte parlamentorum seu comitiorum publicorum. Huiusmodi relationes sine expressis et scriptis concordatis inde a bello magno Europaeo (1914-1918) vigent pro Anglia et Gallia et partim etiam pro Germania, ubi relationes Status et Ecclesiae nunc reguntur legibus civilibus 11 Aug. 1919, quibus iura et obligationes societatum religiosarum determinantur pro toto imperio, relicta singulis Statibus practica exsecutione [5]. Non sunt tamen exclusa nova concordata: ita his diebus (sub fine Dec. 1923) annuntiatur proxima conclusio novi concordati S. Sedis cum *Iugoslavia*, loco concordati a. 1914 conclusi, quod tamen causa belli Europaei exsecutionem habere non potuit.

Art. II. — Subiecta Concordatorum.

103. — Subiecta seu personae quae concordata inire possunt sunt praesertim **Status** et **Ecclesia** [6].

I. *Ex parte Ecclesiae haec, quae sequuntur, adnotari possunt:*

1° *Episcopi* de iure vigente concordata inire non possunt, quia nunc huiusmodi pacta inire, causa est maior Romano Pontifici re-

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 650-651.

[2] Cfr. *Monitore Ecclesiastico*, vol. XXVI, pag. 188.

[3] v. XIV, pag. 577

[4] v. XXXV, pag. 60.

[5] Cfr. Eichmann, *l. c.*, pag. 14-19 ubi ius in Germania vigens exponitur.

[6] Habentur tamen et concordata a Romano Pontifice cum principibus ecclesiasticis, ut illa quae supra concordata Constantiensia appellavimus et partim etiam concordata Vindobonensia. - Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 167.

servata; praesertim ex eo quod generatim in concordatis iuri communi derogatur quod uni Romano Pontifici facere fas est, tum etiam quia generatim concordata iurium ecclesiasticorum alienationem aut saltem imminutionem important quae facere nequeunt Episcopi [1].

Attamen nihil obstare videtur quominus Episcopi cum civitate de rebus quae propriam competentiam non praetergrediuntur, pro tempore quo dioecesim ipsi gubernant, conveniant; at huiusmodi concordata, si fiant, potiusquam ad ius publicum ad ius privatum pertinent et formam simplicis contractus induunt [2].

2° *Romanus Pontifex* ex iure Primatus et qua Supremum Ecclesiae Caput quaelibet concordata, servato tamen iure divino naturali et positivo, inire potest cum quolibet gubernio etiam acatholico et infideli. « Ridiculi fuerunt, ut ait cl. Cavagnis, qui contenderunt concordata caduca facta fuisse eo quod Summus Pontifex non possideat amplius regnum. Nec enim inita sunt cum rege Romae, sed cum Vicario Christi » [3].

104. — II. *Ex parte reipublicae seu Status adnotamus:*

1° Concordata ineundi ius est generatim illi vel illis in republica quibus ius est pacta publica internationalia concludendi. Huiusmodi vero ius varium est pro variis rebuspublicis, unde:

a) Si ius pacta internationalia ineundi uni principi vel praesidi reipublicae reservatur, tunc res facilior evadit, quia generatim facilius est cum uno quam cum pluribus convenire et ipse per se in casu, concordatum tanquam legem Status promulgare potest.

b) Si vero, pacta publica internationalia ineundi, non uni principi aut praesidi, sed comitiis deputatorum a populo ius sit, tunc res est difficilior et concordia minus stabilis evadit. His in casibus « Sedes Apostolica ne evidenti ludibrio exponatur, conventiones in forma sollemni inire non solet, nisi gubernium civile necessitati petendi consensus comitiorum publicorum non sit adstrictum, aut de consensu illo certo praestando rationabile quoddam dubium exsistere non possit » [4].

2° Gubernia quae cum S. Sede concordata inire possunt sunt aut catholica aut acatholica, immo nihil obstat quominus et gubernium nationis infidelis idem faciat [5].

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, 166; Rivet, *l. c.*, pag. 195.
[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, n. 656.
[3] Cavagnis, *l. c.*, n. 655; Wernz, *l. c.*, n. 166.
[4] Wernz, *l. c.*, 166.
[5] Wernz, *l. c.*, n. 167.

Art. III. — Materia et Forma concordatorum.

105. — I. **De materia concordatorum.** - Materia concordatorum praesertim cum guberniis catholicis initorum sunt generatim ex parte Ecclesiae concessiones quaedam Statui factae; ex parte vero Status confirmatio, ex novo pacti titulo, obligationis praestandi Ecclesiae protectionem ad quam iam ex iure divino Status teneretur.

Speciatim vero hae sunt res circa quas praecipue conventiones fiunt in concordatis:

1° *Bona temporalia,* quibus plerumque, quantum possibile est, ad maius bonum obtinendum renuntiat Ecclesia praesertim quando ex parte Status usurpatio praecessit, imposita in casu obligatione Statui annuis pensionibus aut aliis legitimis modis cleri et cultus necessitatibus subveniendi.

Quodsi id fiat, aliquando etiam si usurpatio non praecesserit, non ideo tamen aliquid indebitum praestatur a Statu, sed solum indebitus erit modus quo praestatur: «etenim populus christianus tenetur occurrere expensis Ecclesiae eo modo quo Ecclesia determinaverit: igitur si princeps subministrat ex aerario, substantialiter non facit favorem, sed tantum in modo esse potest, vel aliquando in quantitate, ut pii principes saepe fecerunt dando Ecclesiae non tantum necessaria sed abundantia; sed hoc in concordatis pactum non est» [1].

2° *Res mixtae* sive tales sunt ex se et sua natura, quia ad utramque potestatem pari iure pertinent, sive tales ex iure contingenti et lato sunt; prioris generis scholae publicae, alterius generis nominationes Episcoporum, divisiones dioecesium, concessio tituli senatoris aut principis facta Episcopo determinatae regionis etc. sunt.

3° *Res spirituales* quae de se ad unam potestatem Ecclesiae pertinerent; at, quia plerumque Ecclesia circa has res aliquid de suo iure cedit in favore reipublicae, ipsae res eo ipso ad res mixtas, lato sensu, accedunt [2].

106. — II. **De forma concordatorum** [3]. - Forma externa concordatorum quadruplex praesertim distingui potest:

1° Forma *duplicis legis unico contcxtu promulgatae;* hanc formam refert concordatum Wormatiense quod inscribitur in una parte:

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, n. 654.

[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, 169.

[3] Sägmüller, *l. c.*, I, pag. 124; Prümmer, Dom. M., O. Praed., *Manuale iuris canonici* [2] (1922), n. 26.

Privilegium Callixti Papae II; in altera vero *Praeceptum Henrici IV (V) Imperatoris* [1].

2° Forma *Bullae Pontificiae:* hanc formam referunt concordata Constantiensia [2].

3° Forma *pacti internationalis* quae generatim servatur in concordatis modernioribus cum Statibus catholicis, et aliquando etiam acatholicis initis. Praemittitur declaratio tractatuum praecedentium, nominantur plenipotentiarii ab utraque parte delegati et deinde unico contextu ea circa quae conventum est, per articulos distributa, firmantur, atque ab utraque, suo cuiusque more, potestate promulgantur [3].

4° *Forma minus sollemnis*, qua utraque potestas contrahens, suo more, ut legem propriam quod concordatum est per litteras reversales, promulgat [4].

Art. IV. — Necessitas et utilitas concordatorum.

107. — I. **Necessitas concordatorum.** - Circa concordatorum necessitatem haec statui possunt:

1° Concordatorum nulla est agnoscenda necessitas absoluta in ordinariis adiunctis; etenim haec necessitas importaret nullum aliud dari medium ad conflictus inter duas potestates aut societates forte ortos dirimendos; at hoc falsum esse ex probatione theoriae de potestate indirecta Ecclesiae in Statum et consequenti Status ad ipsam subordinatione patet.

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, 168, I; Cavagnis, *l. c.*, 649.

[2] Wernz, *l. c.*, 168, I.

[3] Huiusmodi formae, quae communissima est, iuvat exemplum afferre ex concordato S. Sedis cum principe Amaniensi acatholico-schismatico. En tenor huius concordati: « Sua Santità il Sommo Pontefice Leone XIII e Sua Altezza Nicolò I, Principe di Montenegro, per tutelare gli interessi religiosi dei cattolici del Principato, hanno risoluto di fare una Convenzione, nominando a tale effetto due Plenipotenziarii, cioè per parte di Sua Santità l'Em.mo e Rev.mo signor Cardinale Ludovici Iacobini, Suo Segretario di Stato, e per parte di Sua Altezza, il signor Cavaliere Giovanni Sundevic, Suo Segretario Particolare; i quali, scambiati i loro rispettivi pieni Poteri e trovatili in buona e dovuta forma, convennero negli articoli seguenti:

Art. I. — « La religione cattolica Apostolica Romana avrà il suo libero e pubblico esercizio nel Montenegro ».

(*Seguono gli altri articoli*).

Art. XIV. — « La presente Convenzione entrerà in vigore immediatamente dopo la ratifica di Sua Santità il Sommo Pontefice Leone XIII e di Sua Altezza il Principe di Montenegro Nicolò I.

« Roma, li 18 Agosto, 1886.

« L. Card. Iacobini - Giovanni Sundevic ».

Cfr. *Acta* Leonis XIII, vol. II, pag. 214-217.

[4] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 168, III. Quid sint litterae reversales cfr. supra pag. 142, nota 3.

Sunt utique inter catholicos quidam auctores necessitatem quandam concordatorum statuentes ad res mixtas melius determinandas, at illorum doctrina falsa theoria perfectae coordinationis Ecclesiae ad Statum innititur, quam alibi refutavimus.

2° Necessitas concordatorum nec tunc admittenda est cum de ordinandis rebus mere ecclesiasticis aut mere temporalibus, agitur; aut enim res istae aliquo modo ad utramque potestatem pertinent, quia ad utriusque finem aliquo modo tendunt, et tunc eo ipso, saltem lato sensu, res mixtae, non amplius res mere temporales aut mere spirituales sunt; et tunc theoria de potestate indirecta etiam sine recursu ad concordata, principia suppeditat ad eas ordinandas. At etiam extra hunc casum « Ecclesia Statui certos favores per modum *meri privilegii* sine ulla forma pacti vel concordiae dare potest; atque similiter Status Ecclesiae res suae iurisdictioni subiectas citra pactum tradere valet » [1].

108. — II. **Utilitas concordatorum.** - Tales dari possunt in societate circumstantiae quae valde suadeant ineunda esse concordata, ad pacem et concordiam, quae in societate humana maximum bonum sunt, servandam aut restituendam et ut homines saltem agnoscant pacto, quod iam aliunde agnoscere deberent. Concordata igitur aliquando valde utilia esse possunt tum Statui tum Ecclesiae, et etiam, *subsidiarie* tamen, si nempe alia media, non de iure, sed de facto ad conflictus dirimendos deficiant in aliquo Statu necessaria.

Liquet proinde relationes Ecclesiae ad Statum concordatis firmatas non esse quidem optimas, at meliores utique absoluta separatione. Idque affirmandum est iuxta ea quae alibi de separatione Ecclesiae a Statu exposuimus [2].

Art. V. — De vi et natura concordatorum.

109. — De vi et natura concordatorum agentes, cum de re aliquatenus ex se iam difficiliori agatur, quae etiam ex eo difficilior evasit quia plures habentur opiniones circa ipsam, nullus enim forte est auctor, qui de hac re scripserit, et aliquid novi dicere ausus non sit, ad rem faciliorem, quantum fieri potest, reddendam quaedam praemittimus, quae, licet in studiosis iuris canonici iure supponantur ex praemisso philosophico curriculo et theologia fundamentali, tamen ad iuvandam aut renovandam memoriam conferre poterunt.

---

[1] Wernz, *l. c.*, I, 170, I; Cavagnis, *l. c.*, 653; Prümmer, *l. c.*, n. 25; paulo aliter Cappello, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, v. I, pag. 327.

[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 170, II; Rivet, *l. c.*, pag. 193-194. Prümmer, *l. c.*, n. 25.

Videbimus igitur:

§ 1. Principia ab omnibus catholicis de vi et natura concordatorum tenenda.

§ 2. Explicationem aliquorum terminorum in hac quaestione adhibendorum.

§ 3. Varias auctorum opiniones.

§ 4. Sententiam tenendam.

§ 1. — *Principia a catholicis retinenda circa vim concordatorum.*

Ut certa ab incertis discernantur et confusio, quantum fieri potest, evitetur, hic ea adnotamus, quae ab omnibus catholicis ut principia absoluta, ubi de natura iuridica concordatorum sermo sit, admittenda sunt et de facto admittuntur.

110. — I. Firmiter tenendum est Romanum Pontificem Primatus iurisdictione iure divino gaudere, et quidem ita *stabiliter*, ut si ei renuntiaverit eo ipse cesset esse Romanus Pontifex. Quod principium ex conciliis Florentino et Vaticano in tractatu *de Romano Pontifice* probant theologi. - Illa autem *stabilitas* ex eo etiam firmatur quod a Deo Romanus Pontifex Primas constitutus est et quidem *iure praeceptivo*, Primas enim voluntarius non esset Primas cum eum nemo agnoscere teneretur; nequit proinde ab ulla auctoritate humana mutari [1].

111. — II. Firmiter pariter retinendum est Romanum Pontificem, quatenus iure Primatus insignitus est, iurisdictione immediata in omnem Ecclesiam et in singulos fideles et pastores pollere; et repugnare fidei catholicae aliquem christianum haberi qui Romano Pontifici in iurisdictionis spiritualis exercitio obsistere legitime et iure possit [2].

112. — III. Item firmiter tenendum est Romanum Pontificem posse etiam stabiliter, creatione officii, hanc iurisdictionis potestatem partialiter aliis committere, ita tamen, ut ipsa potestas aliis delegata aut per officium comparticipatam in ipso R. P. *eminenter* remaneat, et quidem *realiter*, ita ut ipse possit semper et ubique, non obstante qualibet concessione aut delegatione, quod alii pariter possunt.

Quod principium ita certum est ut eo negato, negari oporteat et ipsum Primatum.

---

[1] Cfr. Hurter, *Theologia generalis*, n. 388 sq.

[2] Cfr. Hurter, *l. c.*

113. — IV. Distinctione praemissa inter ius et iuris exercitium, firmiter tenendum est, iuribus Primatus Romanum Pontificem renuntiare non posse, posse vero renuntiare exercitio aliquorum iurium; nullo enim praecepto positivo iubetur R. Pontifex iura omnia per se ipse exercere, nec enim posset, cum unica sit persona. Et sicut potest eorundem iurium exercitio renuntiare et aliis illud committere, ita potest se huic renuntiationi, aliquo saltem modo, obligare [1].

114. — V. Attamen, quia iurium exercitii alienatio non includit alienationem ipsorum iurium aut potestatis, firmiter pariter tenendum est hac obligatione, quaevis illa sit et quovis nomine appelletur, Romanum Pontificem nec privari iure Primatus, nec in suo iure exercendo ullo modo restringi, ita ut si contra susceptam obligationem renuntiati exercitii iuris operetur, peccet quidem contra illam ipsam susceptam obligationem, valide tamen semper operetur, licet sine ulla iusta causa a suscepta obligatione recedat [2].

Ratio huius assertionis quaerenda est praecipue in natura iuris Primatus, quae talis est, ut Primas eius valido exercitio renuntiare nequeat, quin eo ipso constitutio Ecclesiae, quae iure divino nititur, mutetur, quam mutationem nec ipse R. Pontifex facere unquam potest [3].

115. — VI. Certum est item apud omnes Romanum Pontificem posse et etiam debere potestatis exercitium seu usum cui in concordato forte renuntiaverit, revocare et pactum rescindere quoties id bonum animarum requirat, seu, aliis verbis, concessio et renuntiatio in damnum animarum vergat, quia tunc illicita illa fieret « nec enim salus animarum impediri potest quacunque auctoritate aut pactione » [4].

116. — VII. Certum pariter est Romano Pontifici seu Ecclesiae quaedam iura inesse ex iure nativo, quaedam vero iure so-

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 660.

[2] Wernz, *l. c.*, I, n. 172, praesertim in notis 124, 126, 129.

[3] Cfr. Wernz, *l. c.*, nota 118 et 124 contra Schulte, qui docuit, contra doctrinam catholicam, Romanum Pontificem posse et validum exercitium potestatis suae renuntiare. Cfr. etiam Cavagnis, *l. c.*, 660.

Quodsi aliquando dicatur nullum esse quod ipse Romanus Pontifex, contra pactionem firmatam renuntiationem fecerit, haec nullitas aut invaliditas, repetenda est non ex potestatis defectu in Romano Pontifice, sed ex defectu voluntatis eiusdem, qua antecedenter Romanus P. declaravit, se nolle vim tribuere actui contra pactum facto. Si tamen memor pacti adhuc agere velit, tunc utique valet actus pactioni contrarius. — Cfr. Wernz, *l. c.*, n. 126, p. 247; et nota 129 pag. 249.

[4] Cavagnis, *l. c.*, 661.

lummodo acquisitionis humanae. Ita, e. g., Ecclesia ex iure divino ius habet acquirendi bona temporalia ad suum finem necessaria; haec vero possidere vel illa bona solummodo a iure positivo pendet.

Priora iura non posse renuntiare iam vidimus; - alia vero, quae ei, non iure nativo, competunt, sed in aliquo facto humano nituntur, sicut eis Ecclesia antecedenter ad illud factum nullo modo gaudebat, ita etiam in sua exstinctione ab alio facto humano pendere possunt et Ecclesia illis iuribus acquisitis absolute et pacto stricte bilaterali renuntiare potest [1].

117. — VIII. Si concordatum alterutri parti seu Ecclesiae aut Statui, ex mutatis societatis conditionibus graviter noxium fiat; pars cui damnum obvenit ius ad rescissionem habet, quae tamen mutuo consensu facienda est. Si partes in damno agnoscendo non consentiant quaestio ex principiis generalibus *De potestate indirecta solvenda est* [2].

118. — IX. Denique aliqualem obligationem concordata observandi etiam in Romano Pontifice gigni omnes auctores, non exclusis fautoribus theoriae privilegiorum, admittere debent, nisi dicere velint Romanum Pontificem in clausulis concordatorum verbis ludere voluisse [3].

Insuper omnes catholici pariter admittere debent concordata semel ac promulgata sunt relate ad subditos sive Ecclesiae [4] sive civitatis vim legis habere et ius civile nec non ius particulare ecclesiasticum pro illa natione constituere. Quod extra controversiam est. Alia quaestio de natura intrinseca concordatorum utrum scilicet pacta sint, an privilegia, ab hac priori assertione independens est [5].

§ 2. — *Terminologiae explicatio* [6].

Cum in hac quaestione saepe adhibeantur a canonistis verba *contractus*, *pactum bilaterale*, *ius*, *privilegium*, eadem sunt ante omnia praefinienda, ne quaestio fiat de lana caprina, quod non raro in quaestionibus maximi momenti accidere conspicimus.

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 659; Wernz, *l. c.*

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 661, 3.

[3] Cfr. Wernz, *l. c.*, 165 in nota 9; n. 171, II.

[4] C. 3 Cod. iuris can.

[5] Wernz, *l. c.*, 165, I; 171, I.

[6] Hoc concedendum est Cappello in novissimo opere (*Summa iuris publici ecclesiastici*, 1923) pag. 398, n. 309, praecipuam differentiam inter opiniones catholicorum esse reponendam in defectu *terminologiae;* at ad hoc non restringitur differentia.

119. — I. *Pactum, contractus bilateralis.* - Pactum seu « *pactio est duorum pluriumve in idem placitum et consensus* » [1]. *Placitum* ad *voluntatem* refertur, *consensus* vero ad *intellectum;* si alterum adest, primum supponitur, non viceversa.

Contractus absolute et stricte definitur ab Ulpiano [2]: *Ultro citroque obligatio*, i. e., actus iustitiae commutativae utrinque obligans, « quod non sic intelligendum est quasi contractus sit ipsa obligatio formaliter; quia obligatio est effectus contractus in contrahentibus productus: et ita non est obligatio, sed causa obligationis, seu signum externum, quo homines exprimunt mentem suam, et sese vicissim alter alteri obligant et iura commutant » [3].

Sensu vero latiori contractus idem significat ac pactum. Et revera, nostris praesertim diebus, hae voces *pactum* et *contractus* promiscue adhibentur [4]. Sensu vero presso contractus differt a pacto, ut species a genere; pactum enim sub se comprehendit omnes contractus, quia *placitum* et *consensus* et in contractibus habentur; contractus vere id addit pacto quod in utraque parte obligationem gignat; pactum enim per se solummodo in altera parte obligationem parit [5].

Contractus *bilateralis* ille vocatur in quo ultro citroque seu utrinque oritur obligatio; aliis verbis, contractus bilateralis idem est ac contractus stricte dictus, quatenus nempe a pacto differt; e contra contractus unilateralis idem est ac pactum. Et haec fortasse est ratio cur antiquiores iuristae et canonistae distinctionem illam contractus in unilateralem et bilateralem non semper admittunt, quia eandem distinctionem simplicioribus verbis exprimebant scilicet: pacto et contractu [6].

Contractus bilateralis potest esse *aequalis* vel *inaequalis;* aequalis is dicitur per quem « directe duae obligationes et actiones aequales, veramque commutationem continentes gignuntur »; inaequalis « si per accidens et minus principaliter etiam ex post facto uni obligationi accedat altera et actio contraria » [7].

His iam praemissis, circa quae omnes fere conveniunt auctores, ultra progredimur et contractum bilateralem bifariam dividimus, prout sensu lato aut stricto accipitur.

---

[1] Cfr. fr. 1, D. *De pactis*, 2, 14; quod est Ulpiani, in edit. Mommsen-Krueger, Berolini 1922.

[2] « *Ulpianus libro undecimo ad edictum:* Labeo libro primo (ad edictum) praetoris urbani definit quod quaedam «gerantur», quaedam «contrahantur»: et actum quidem generale verbum esse, sive verbis sive re quid agatur, ut in stipulatione vel numeratione: contractum autem ultro citroque obligationem, quod Graeci συνάλλαγμα vocant, veluti emptionem venditionem, locationem conductionen, societatem, gestam rem significare sine verbis factam » fr. 19, D. 50, 16. Cfr. etiam Bonfante, *Istituzioni di diritto romano* [7], pag. 388-393.

[3] Salmanticenses, *Cursus theologiae moralis*, Tract. XIV, n. 2.

[4] Cfr. Ojetti, *Synopsis*, v. Contractus, n. 1573.

[5] Cfr. Reiffenstuel, *Ius canonicum universum*, l. I, tit. 35, n. 1, 5, 9, 10; Salmanticenses, *l. c.*, n. 1-2.

[6] Cfr. Salmanticenses, *l. c.*, 3 et 4; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 2 et sq., ubi distinctionem illam non commemorant. - Wernz, *l. c.*, III, 228, n. 2; Ojetti, *l. c.*, v. Contractus, n. 1573-1575; D'Annibale, *Summula theologiae moralis*, II, n. 408.

[7] Wernz, *l. c.*, III, 228, III, 8.

Contractus *bilateralis sensu stricto* tunc habetur « cum *utrique* parti paciscenti imponitur mutua obligatio ex iustitia commutativa, ita inter se connexa, ut una ordinetur ad alteram tanquam ad causam sive titulum stricti iuris »[1].

Ex quo fit ut generatim is qui aliquam rem possidet, vi pacti stricte bilateralis, ius strictum in illam rem obtineat, ita ut altera pars ne valide quidem, manente pacto bilaterali, circa eandem rem aliquid disponere possit[2].

Verum hoc tantummodo valere videtur, in casu quo in contractu *de iure in re*, non *de iure ad rem* agatur. Etenim si in contractu, etiam stricte bilaterali, solummodo ius ad rem concedatur, tunc pars quae ius ad rem concessit, retento in se iure in re, de ipsa re, seu de ipso iure in re, iniuste quidem, at certe valide disponere potest; quo casu hic alter contractus vere *iniustus*, at validus habetur. Huiusmodi exempla habemus in contractu sponsalitio, quo utraque pars, iustitia commutativa, ligatur, et tamen actus ab alterutra parte factus seu dispositio circa rem ipsam in priori contractu deductam, est certo validus; matrimonium enim cum tertia persona distincta nempe a persona cum qua prius sponsalia inita fuerant, est validum, nec dici potest iustum, et pars quae priori contractu tenebatur illumque violavit, ad restitutionem tenetur, aut saltem ad damna reparanda; ratio autem huius doctrinae in hoc consistere videtur, quia scilicet contractu sponsalitio ius ad rem, matrimonio vero ius in re conceditur. Similiter ius ad rem vocari posse videtur, *analogice*, ius nominandi Episcopos et alia iura spiritualia in concordatis concessa quae principibus *ius ad rem* dant[3].

Tria ergo ad strictum pactum bilaterale requiruntur et sufficiunt: *a*) Obligatio ex utraque parte, seu *ultro citroque; b*) Obligatio non quaevis, sed ex iustitia commutativa; *c*) Connexio inter duas obligationes talis ut una ad alteram ordinetur.

Alii hoc etiam requirunt ad pactum bilaterale stricte sumptum, ut personae contrahentes sint inter se aequales. At haec proprietas ut necessaria probari non potest; potest enim ratio iustitiae commutativae etiam inter personas inaequales haberi. Unde argumenta quae a quibusdam fieri solent ex hoc capite contra theoriam pactorum bilateralium minus valida sunt[4].

Sensu vero *lato, contractus bilateralis* tunc habetur cum in utraque parte, manente obligatione, aliquid pacto desit ex iis quae ad strictum pactum bilaterale requiruntur. Quapropter pactum bilaterale inaequale quod supra ex Wernz definivimus pactum bilaterale est, at sensu lato, quia inter duas obligationes deest nexus[5].

---

[1] Wernz, *l. c.*, I, 171, II, pag. 240.

[2] Wernz, *l. c.*, nota 118, pag. 243 et nota 107, pag. 240.

[3] Contra Wernz, *l. c.*, nota 126, pag. 247-248 ubi nimis generaliter affirmat, ut videtur, non posse dari actum iniustum et iuridice validum, ut ex allato exemplo constat, nec posse vocari *ius ad rem*, sed dici debere *ius in re* ius nominandi Episcopos.

[4] Ita Wernz, *l. c.*, in nota 118, pag. 243; cfr. etiam Salmanticenses, *l. c.*, tract. XII, n. 19 et 21; contra Cavagnis, *l. c.*, n. 662 et Cappello, *Institutiones iuris publici eccles.*, I, pag. 331 qui requirunt ad strictum pactum bilaterale paritatem iuridicam contrahentium.

[5] Patet proinde haberi posse pactum bilaterale late sumptum, in quo obligatio ex iustitia commutativa habeatur, etiam in utraque parte, e. g., si obligationes non sint inter se stricte connexae. (Cfr. Wernz, *l. c.*, in nota 108).

Cappello in novissimo opere (*Summa iuris publ. eccl.*) n. 305 praescindere videtur

120. — II. *Ius strictum, ius quaesitum* et *ius precarium.* - Praemittamus etiam oportet notiones *stricti iuris, iuris quaesiti et iuris precarii.*

Ius stricte dictum est illud ius quod « ex vera iustitia commutativa debitum, ita firmiter domino inhaeret, ut ipsi invito, i. e., absque ipsius consensu *ordinarie valide* auferri non possit, immo interdum simpliciter sit inalienabile » [1].

Ius quaesitum est facultas seu ius subiectivum facto aliquo iuridico comparatum, quod respectu tertiarum personarum iuri stricte dicto iustitiae commutativae correspondet vel correspondere potest, nec potest generatim valide a tertiis personis auferri; respectu vero superioris aut legis iuri stricto non correspondet, ita ut ex causa boni publici semper valide et licite revocari possit, sine causa, generatim valide non licite. *Privilegium* est ius favorabile alicui directe concessum aut aliis modis acquisitum, quod in tertias personas ius strictum pariter concedere potest, aut saltem ius legale, minime vero in concedentem seu in legem aut Superiorem. Privilegium potest esse *gratuitum, remuneratorium* et *conventionale; illud* gratia innititur et semper valide et ex causa etiam licite revocari potest; *istud* in meritorum praemium datur; et ex causa proportionate gravi, revocatur; *hoc* pacto seu conventione acquiritur et ex causa publica valide et licite revocari potest, sine causa nunquam licite, et si materia non obstet, nec valide revocari potest. Privilegium conventionale aliquando iuri quaesito, quandoque vero iuri stricte dicto aequivalet. *Ius precarium* idem est ac privilegium gratuitum, aut summum, remuneratorium [2].

121. — III. *Ius in re et ius ad rem.* - Alia notio, quae ad nostram quaestionem lucem afferre potest, videtur notio *iuris in re* et *iuris ad rem.*

« *Ius in re* est circa rem ipsam aliquam, ad quod ius ipsa devincta est, quia nimirum tribuit actionem realem, non solum in personam, sed in rem; quae ubicumque sit, illius est qui in illa ius obtinet, et quocunque res transeat cum illo onere transit, ut obstricta sit illi qui tale ius possidet.

« *Ius ad rem* est circa rem aliquam, ad quod res ipsa non est devincta, et sic directe et immediate non tribuit actionem in rem, seu realem sed tantum in personam, seu personalem. - Unde si illa res vendatur alteri, manet illi qui emit, nobis vero datur actio adversus personam, quia res ipsa nobis non est obligata, quamvis aliqua persona sit obligata ad rem ipsam dandam suo tempore » [3].

Hac iuris distinctione non satisfieri difficultatibus quae fieri solent contra fautores theoriae pactorum docet Wernz [4]; at id, cum reverentia

---

a communiter data notione contractus si dicit haberi posse contractum cuius obligatio non sit ex iustitia commutativa. Contractus sensu improprio non est contractus. Quorsum igitur ista distinctio ? (Cfr. etiam Cappello, *Institutiones iuris publ. eccles.*, I, pag. 331-332, ubi paulo aliter terminologiam explicat.

[1] Wernz, *l. c.*, in nota 107; cfr. item apud d'Annibale, *Summula*, II, n. 127 in nota 8 casus in quibus istud principium fallitur.

[2] Cfr. Chelodi, *l. c.*, 59, *d*; Wernz, *l. c.*, nota 107; item 158, II; Tarquini, *Iuris ecclesiastici publici institutiones*, n. 72.

[3] Salmanticenses, *l. c.*, tract. XII, n. 3.

[4] *l. c.*, I, 172, II, in nota 126, pag. 247.

tanti auctoris, non recte affirmari videtur; nec enim solida probatione niti videtur quod ibidem idem cl.mus auctor affirmat nempe, ius nominationis esse *ius in re* et non *ius ad rem* [1]; duo enim articula concordati Guatemalensis quae ibi affert ad suam assertionem probandam rem non evincunt; etenim etiam per promissionem ex iustitia obligantem ius quoddam acquiritur ipsam acceptanti, at semper probandum remanet illud *ius in re*, non *ius ad rem* esse; deinde ipsa terminologia, qua dicimus ius in re et ius ad rem, sat declarat duplicem posse haberi iurium speciem. Nec item affirmari potest ius nominandi, in casu concordatorum, esse revera ipsam Romani Pontificis potestatem, sed potius eiusdem exercitii aut usus participationem; nec enim Romanus Pontifex potestatem alienare potest, sed, summum, eius usum alterius favore renuntiare, quae renuntiatio respectu ad illum in cuius favorem fit *ius ad rem*, non *ius in re* est; et de facto si R. Pontifex eum praeveniat conferendo beneficium aut episcopatum ante nominationem, licet forte peccet contra iustitiam commutativam, quia tamen pars altera ius ad rem habebat non ius in re, valide agit.

Ex hoc etiam non videtur cur admittenda non sit distinctio potestatis ab usu eiusdem; duo enim valde distincta sunt potestas et eius usus; ut patet in iure proprietatis seu dominii [2].

Nec probat Wernz quod asserit, ut iam alibi innuimus, non posse haberi actum iniustum, et iuridice validum, in contrarium enim non singulare aliquod exemplum afferri potest.

Deinde licet admitteremus ius nominationis etc. quae principibus plerumque in concordatis conceduntur, et circa quae sunt praecipue quaestiones inter catholicos, esse privilegia ex natura sua et puras concessiones, non inde tamen sequi videtur Romanum Pontificem ad illa privilegia servanda *ex iustitia commutativa*, excluso stricto pacto bilaterali, ligari non

---

[1] Huiusmodi autem iura ius ad rem tantummodo implicare clare affirmat Cavagnis: « Ex pacto conservandi et pro futuro tempore aliquas concessiones principi, vel abstinendi ab usu quorumdam mediorum, utique non oritur in principe ius in re, sed ad rem habendam ab Ecclesia, sive in faciendo, sive in omittendo consistat » (Cavagnis, *l. c.*, 666). Et ad hoc videtur proprie reduci tota divergentia nostrae opinionis a sententia Wernz qui (n. 172, in nota 126, pag. 248) contrarium circa hoc punctum affirmat his verbis: « Ius nominandi est *ius in re* non *ad rem;* non enim in concordatis promittitur, sed datur et traditur », et affert ad rem probandam duos articulos concordati Guatemal. in quibus verbum *concedendi* tempore praesenti adhibetur; at in hac re melius rei natura quam verba et formulae verbales attendenda sunt: e. g., si ego dicerem Caio: Concedo tibi ius repetendi post duos annos a quocumque detentore libros istos qui mei sunt, licet verbis temporis praesentis utar, ius tamen in re nonnisi tempore futuro, i. e., post duos annos acquiret, de praesenti vero tantummodo *ius ad rem*. Similiter ius nominationis ius in re evadit solummodo ipsa nominatione et acceptatione ex parte Romani Pontificis.

Rem melius alibi etiam explicat Cavagnis: « Profecto si potestas Ecclesiae vel Pontificis imminueretur ex pactis susceptis et obligantibus, admitti non posset haec obligatio. Verum negamus ex pacto imminui potestatem paciscentis; secus Dei omnipotentia imminuta esset, quia Noe promisit in perpetuum non amplius diluvio vastaturum terram; et idem dicatur de sexcentis aliis Dei promissionibus: dicimus ergo distinguendum esse ius Ecclesiae et Primatus pontificii, constituens eius potestatem, et exercitium huius potestatis sui iuris. Ipsa potestas et ius prosequendi finem Ecclesiae mediis proportionatis est inalienabile et plenum, ideoque nequit imminui, atque immediate confertur a Deo cuilibet Summo Pontifici legitime electo ». Cavagnis, *l. c.*, I, 678 et etiam numeris seq.

[2] Aliter Wernz, nota 126 pag. 245.

posse. Hoc enim erroneum videtur obligationem ex iustitia commutativa solum oriri posse ex solo pacto stricte bilaterali, dum e contra constat oriri etiam posse ex pacto unilaterali et a fortiori ex pacto bilaterali late sumpto [1].

Nec etiam clare intelligitur quod affirmat Wernz de revocatione iuris nominandi per legem generalem, quod si fieret, sine ulla iusta causa, utique lex iniusta esset respectu principis, licet esset iusta respectu fidelium, et proinde valida. Concordata enim, licet pro subditis rationem legis habeant, pro paciscentibus tamen nonnisi improprie legis rationem obtinent, quo sensu dicitur: *Sua cuique conventio vel promissio lex est*, proprie autem pro ipsis rationem pacti et obligationem iustitiae commutativae importat. Quare si Pontifex concessiones factas revocet sine iusta causa, valide utique revocat, iniuste tamen, quo fit ut princeps ex tali revocatione iniusta ius ad recompensationem acquirat, aut saltem concordato ex vi concordati nec ipse amplius stare teneatur.

§ 3. — *Variae opiniones auctorum.*

Praemittendum est, ut iam supra innuimus, in qualibet sive canonistarum sive etiam regalistarum opinione id saltem admitti debere, ut post promulgationem et ante abrogationem concordata, respectu subditorum, vim legis habeant. Quod nisi admittatur, concordatorum ineundorum nulla ratio reddi poterit [2].

Hoc semel admisso videndum est utrum, praeter rationem hanc legis respectu subditorum, concordata etiam aliquod iuris vinculum inducant in personis, quae illa inierunt. Circa istam vero quaestionem, variae et quidem plurimae habentur auctorum sententiae. Quae omnes opiniones ad tres praecipuas reduci possunt.

122. — I. Opinio legalis seu regalistarum. - Concordata, iuxta regalistarum placita, non sunt nisi leges civiles, et sicut a Statu exclusivam vim obtinent, ita et ab eodem, si libuerit, revocari et valide et licite possunt [3].

Haec theoria quae cum doctrina catholica conciliari omnino nequit, ex systemate hegemoniae absolutae Status super Ecclesiam liquido profluit. Suam vero sententiam, his falsis rationibus, eius fautores defendunt; nempe: quod potestas statualis, quae hac doctrina innititur, sit inalienabilis, quod Status Ecclesiae longe superior sit et proinde contractus bilateralis cum ipsa sit impossibilis; quod Ecclesia vi coactiva qua exsecutioni mandare possit concordatum caret. At ista omnia, ut recte animadvertit Wernz [4], talem congerunt errorum seriem, quae impossibile sit hic

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, 171, nota 108.
[2] Wernz, *l. c.*, 171, I.
[3] Hanc theoriam docent Sarwey, Tudichum, Zorn, Hinschius. Cfr. Prümmer, *l. c.*, n. 24, I.
[4] *l. c.*, I, 172, I.

refutare et refutationem in toto nostro de iure publico tractatu iam obtinuerunt.

Et primo quidem nihil addendum de superioritate Status relate ad Ecclesiam cum iamdiu probaverimus contrarium, scilicet indirectam Ecclesiae superioritatem et Status subordinationem.

Iam supra in adnotationibus animadvertimus contractum bilaterale et stricte sumptum inter personas iure inaequales possibilem esse.

Deinde falso prorsus negatur Ecclesiae potestatem coactivam deesse, ut late iam alibi probavimus [1].

123. — II. **Sententia privilegiorum.** - In ista sententia, theoriae legali directe opposita, id, generali quodam modo, affirmatur respectu Ecclesiae quod regalistae respectu Status affirmabant. Hanc theoriam his verbis proponit Card. Tarquini eius praecipuus defensor: « Pronum est: Concordata... ordinario et regulariter privilegiis adnumeranda esse; ita ut Concordatum recte definiatur: *Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno, Summi Pontificis auctoritate edita ad instantiam principis eius loci, speciali eiusdem principis obligatione confirmata, se eam perpetuo servaturum* ». Et infra melius explicans mentem suam: « Eadem concordata (saltem, ut diximus, ordinario et regulariter) privilegiis gratuitis, aut ad summum remuneratoriis accenseri oportere, non autem privilegiis onerosis, quatenus saltem contractum proprie dictum haec indicant » [2].

Hanc eamdem theoriam, non iisdem verbis, at sensu fere eodem, tenent Schmalzgrueber [3], *Ius ecclesiasticum*, III, tit. V, n. 271, qui hac formula utitur: « Concordata licet habeant aliquam vim pacti... tamen magis sunt privilegium papale ». Eamdem fere doctrinam tenent P. Marianus De Luca, Card. Satolli, Card. De Azevedo, P. Liberatore, Radini Tedeschi, etc. [4].

Suam sententiam isti auctores his praesertim tuentur argumentis: quod in concordatis regulariter et ordinario de rebus agatur ad Ecclesiam pertinentibus seu cum fine Ecclesiae adnexis de quibus Ecclesia iure proprio, vi potestatis directae aut saltem indirectae, disponere possit; deinde quod de rebus istis verum contractum inire nefas sit sine crimine simoniae; tum quod iura primatus inalienabilia sint et nullam imminutionem pati possint; denique quod verum contractum bilateralem inter personas inaequalis iuris haberi non possit [5].

De singulis his argumentis pauca adnotamus:

---

[1] Cfr. Prop. 43 Syllab. Pii IX, Denzinger-Bannwart, 13, n. 1743; Chelodi, *l. c.*, 34, a.

[2] Tarquini, *l. c.*, n. 73, I et II.

[3] Attamen probe notandum est auctores classicos antiquiores fere exclusive de concordatis germanicis agere, quae a modernioribus valde differunt (cfr. Chelodi, *l. c.*, n. 34, *c.* nota 5).

[4] Cfr. Cappello, *Institutiones iuris publici eccles.*, I, pag. 334; Wernz, *l. c.*, I, 172, III; Rivet, *l. c.*, pag. 199.

[5] Cfr. Tarquini, *l. c.* 73, et Wernz, *l. c.*, 172, III.

Primo argumento a Tarquini allato verum quidem asseritur, licet non ea prorsus generalitate qua ipse affirmat concedendum sit, in concordatis agi de rebus ad finem Ecclesiae pertinentibus; - at, hoc admisso, et etiam admissa Ecclesiae seu Romani Pontificis potestate de illis rebus per se disponendi independenter a Statu, falso inde deducitur concordata solummodo privilegia esse gratuita. Ad quid enim tunc concordata et illorum severissimae conclusiones a Romanis Pontificibus adhibitae? Nec probari potest pacto aliquem se obligare non posse ad id ad quod per se nullo modo teneretur; immo, generatim, hoc pacta operantur ut vinculum iuridicum seu obligationem ex iustitia gignant pro casibus in quibus illud vinculum per se antecedenter non adesset; alioquin contractus omnes, si vinculum iam praeexsisteret, inutiles plerumque evaderent. Nihil igitur obstare videtur quo minus quis pacto se obligare possit ad non revocandum privilegium alteri concessum, sine iustitiae violatione. Nec ad hoc strictum requiritur pactum bilaterale quod et fautores opinionis privilegium admittunt dum negantes obligationem iustitiae ex parte Romani Pontificis, eamdem obligationem et quidem ex pacto ortam in principe seu in Statu admittunt [1].

Deinde quod de his rebus contractus iniri nequeat sine simonia - tam parvi ponderis argumentum est ut eidem responsio inveniri possit apud illos ipsos qui hoc argumento utuntur contra theoriam pactorum. Fieri, enim potest, ait Tarquini [2], ut Ecclesia « de rebus quibusdam temporalibus, quibus spiritualis ratio adnexa sit, ita cum societate civili paciscatur ut primum rationem spiritualem ab eis separet, deinde circa eas contractum ineat; quod si fiat, palam est, eas iustam proprie dicti contractus materiam factas esse ». At etiam respectu rerum pure spiritualium simonia non habetur, dummodo comparatio et commutatio rei spiritualis cum temporali non habeatur, ut revera fit in concordatis; « nec enim Summus Pontifex intendit concedere iura spiritualia principi, ex. gr., praesentandi Episcopos pro compensatione pecuniae vel alterius commoditatis temporalis quae a principe datur Ecclesiae; sed iura spiritualia ipse principi concedit in utilitatem concretam et relativam Ecclesiae; igitur deest animus simoniacus seu studiosa voluntas comparans spiritualia temporalibus. - Aliud est enim haec privilegia concedi a Pontifice intuitu protectionis temporalis quam spondet princeps, aliud concedi ut aequivalens bonis his temporalibus iuxta mentem tradentis. - Immo quod datur a principe, etsi materialiter inspectum sit temporale, est enim brachii saecularis auxilium, vel honorarium clericis, non est temporale si formaliter considereretur, sed spirituale ratione finis, seu ratione utilitatis spiritualis, quam Ecclesia capit ex protectione et tutela principis » [3].

Deinde ultro concedimus iura Primatus inalienabilia esse, at ex hoc perperam deducitur a fautoribus theoriae privilegiorum, Romanum Pontificem pacto non posse exercitium seu usum iurium Primatus determinare et quidem obligando se ad hanc determinationem ex iustitia, quam pactum quodlibet includit. In hac adversariorum argumentatione perperam

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, 173, I.
[2] *l. c.*, 73, I, *a.*
[3] Cavagnis, *l. c.*, 677.

confunditur notio alienationis cum notione obligationis ex iustitia. At certum est, apud omnes, non quamlibet obligationem ex iustitia alienationem esse ut, e. g., obligatio ex promissione ad quam quis se ex iustitia obligare voluerit [1]. Hinc clarus Cavagnis concludit « aliud esse materiam capacem alienationis, aliud obligationis; ius Ecclesiae nequit alienari, sed potest Ecclesia se obligare circa modum illud exercendi donec salus animarum aliud non exigat ». [2].

Denique pactum etiam stricte bilaterale exsistere posse sine invaliditate actus contrarii, iam supra diximus ex doctrina antiquorum canonistarum [3].

124. — III. **Sententia pacti bilateralis.** - Theoria pactorum bilateralium docet concordata praeter vim legis, quam habent pro membris societatis civilis et ecclesiasticae post promulgationem, licet forte ratione materiae plura privilegia a Romano Pontifice concessa principi contineant, tamen specialiter rationem pacti bilateralis habere et pactorum bilateralium vim obligandi pro utraque parte contrahente.

Hoc generali modo proposita theoria pactorum varias gradationes obtinet, quarum mitiores ad theoriam privilegiorum accedunt atque cum eadem fere confunduntur; severiores vero principia catholicae doctrinae de suprema et immediata atque immutabili potestate Romani Pontificis vix, aut ne vix quidem, non praetergrediuntur [4].

Quidam docent concordata esse pacta stricte bilateralia [5].

Alii docent concordata esse pacta bilateralia simpliciter, seu sensu latiori. Hanc sententiam tenent plures ex modernioribus.

Sunt tamen variae formulae quibus haec theoria explicatur. Giobbio hac formula utitur: *Concordata sunt privilegia conventionalia* [6]. Grandclaude dicit concordata esse *privilegia quod ad materiam, pacta vero bilateralia quod ad intentionem contrahentium et formam instrumenti* [7]; De Vecchi his

---

[1] Cfr. D'Annibale, *l. c.*, II, 416.

[2] Cavagnis, *l. c.*, 683.

[3] Cfr. etiam Wernz, *l. c.*, n. 172, in nota 118.

[4] Cfr. e. g. apud Wernz, *l. c.*, 172, in nota 124, theoriam pactorum a Schulte eousque defensa, ut doceat R. Pontificem ne valide quidem agere posset contra privilegia pacto in concordato principi concessa.

[5] Ita Schulte, Turinaz et Card. Soglia, necnon aliquo saltem modo Card. Billot. Cfr. istos auctores apud Wernz, *l. c.*, 172, in nota 127; hanc tuetur post Codicem Augustine: « The third theory vindicates the character of a strictly *bilateral contract* to each and every genuine concordat, excepting no portion thereof. This theory is thoroughly Catholic. It appears to us to be the only acceptable and logical one » (Chas. Augustine, *l. c.*, I[4], p. 218).

[6] Cfr. apud Wernz, *l. c.*, 172, in nota 126.

[7] Wernz, ibidem, nota 126. Opinioni Grandclaude videtur accedere Solieri (*Institutiones iuris ecclesiastici* [2], 1921, n. 334) qui ita suam enuntiat opinionem: « Argumentis perpensis nobis videretur in concordatis rationem *privilegii* ac *pacti* recognoscendam esse,

verbis *theoriam* proponit: *Nobis arridet sententia quae statuit* (concordatum) *pacti rationem habere, estque illud pactum non temporarium vel personale, sed reale ac perpetuum, quod religiose observandum generatim est* [1].

Illarum theoriarum probationes evertere conatur cl.mus Wernz, attamen, ut ipse tacite admittit, argumenta quae affert, summum probant concordata non esse pacta bilateralia sensu stricto, at utique sensu latiori a nobis supra explicato. Immo licet ipse theoriam pactorum non admittat, affirmat tamen argumenta contraria vim probativam habere solummodo contra theoriam pactorum stricte bilateralium [2].

Alii tandem docent concordata esse pacta bilateralia sensu quodam improprio. Ita Cappello [3] cuius opinio nihilo differre videtur a theoria privilegiorum, nec proinde de ea hic amplius agendum est.

Scholion. - Inter theoriam privilegiorum et pactorum locari potest theoria quaedam media ab Hammerstein, Wernz [4] et Rivet [5], admissa iuxta quam concordata partim, idest, quod ad quosdam articulos, pacta stricte aut late bilateralia, quod ad alios articulos privilegia sunt. Haec ecclectica opinio satisfacere non videtur clau-

---

ita ut concordata, quorum obiectum res est spiritualis, non sint nisi privilegia *publica conventione firmata*». Quae opinio nostrae theoriae proxime etiam accedit.

Eandem doctrinam admittit et Sägmüller, *l. c.*, I, pag. 125, his verbis: «Sind die Konkordate quasi-völkerrechtliche Verträge», seu, Concordata sunt quasi-tractatus internationales.

[1] De Vecchi, *Institutiones canonicae*, ed. 19, § 60, pag. 136, col. 2. Alii etiam hanc doctrinam tenent ut De Angelis, *Praelectiones canonicae*, I, pag. 97, 5° et pag. 98, 99, 7°, 8°; Cavagnis, *l. c.*, 664-685; Prümmer, *l. c.*, n. 24, II; Palmieri et alios plures apud Wernz, *l. c.*, 172, II, praesertim in notis. Cathrein suam in hac quaestione opinionem ita modeste exponit:

«Dovendo esprimere il nostro parere in proposito diciamo subito che ci arride piuttosto la teoria del contratto, la quale riconosce un dovere di giustizia commutativa anche nel Papa.

«Che riguardo ad alcuni punti del concordato esista un vero obbligo giuridico per il Papa è assolutamente incontestabile....

«Ma anche rispetto a quelle parti del concordato, in cui il pontefice conferisce allo Stato diritti ecclesiastici — per es., diritto di patronato o di nomina alle sedi vescovili ecc. — sembra debba ammettersi un obbligo veramente giuridico» (Cathrein, vol. II, pag. 776-777).

[2] Cfr. Wernz, in nota 129, pag. 240 et alibi in nota scilicet 108, pag. 241, ipse vero theoriam hanc admittit: «In concordatis, quae saepe non uno actu legitimo absolvuntur, sed sub distinctis articulis complexum quemdam negotiorum comprehendunt, forte accidit, ut in uno alterove articulo strictum pactum bilaterale contineatur, in aliis forte tantum pacta unilateralia modo hanc, modo illam partem obligantia... quo in casu propter *obligationem iustitiae* certo quodam ambitu in *utraque parte* productam, modo sensu stricto, modo sensu lato pactum quoddam bilaterale habetur». (Cfr. Wernz, *l. c.*, 171, in nota 108, ubi etiam affert exemplum pacti bilateralis late sumpti, quod intervenit in acceptatione stipendii Missarum).

[3] *L. c.*, pag. 341.

[4] Cfr. tamen notam [2], supra positam.

[5] Cfr. Rivet, *l. c.*, pag. 210.

sulis et formulis concordatorum quae aliquando saltem affirmant concordata esse pacta quod ad omnia et singula in ipso contenta [1].

Deinde distinctionem non necessariam inducit ad explicandum id quod facilius in theoria pactorum de qua statim, explicari potest.

§ 4. — *Sententia tenenda.*

125. — ***Concordata sunt pacta bilateralia lato sensu seu etiam pacta bilateralia inaequalia, eo sensu quem supra in praenotationibus definivimus.***

Ad adversariorum tela evitanda quaedam adnotamus: deinde thesim probabimus:

I. *Praenotanda.* - Pacto bilaterali non necessario transfertur ius in re, sufficit ut *ius ad rem* transferatur. Quod valet non solum de pacto bilaterali sensu lato, sed et de pacto bilaterali sensu stricto ut patet ex contractu venditionis-emptionis, in quo, iuxta plures codices, ante rei traditionem ius ad rem acquiritur. *Ius* enim *ad rem* ius est proprietatis stricto sensu, ita ut eius violatio iniusta sit [2].

Actus contrarius iuri ad rem ab altera parte positus, si rem ipsam, non *directe ius ad rem*, respiciat, actus validus est, licet sua positione ius ad rem auferat aut saltem inutile reddat; ille tamen actus, quia ius alterius partis (ius utique sensu stricto) violavit, iniustus est. Nec cum Cappello dici potest iocosam et puerilem esse distinctionem istam actus iniusti et validi a Palmieri allatam; licet enim forte verum sit, quod affirmat Cappello, actum directe oppositum actui seu contractui quo *ius ad rem* conceditur nullum esse, negatur tamen actum quo Romanus Pontifex a principe forte auferat ius nominationis (ius ad rem), libere prorsus officia conferendo sine ullo respectu ad nominationes factas vel faciendas, *directe* priori actui opponi, sicut qui matrimonium contrahit cum tertia persona distincta ab illa cum qua prius sponsalia inierat, directe non opponitur sponsalibus prioribus, licet utique contra eadem agat, et ius iisdem acquisitum impossibile et inutile reddat; et sicut ille qui rem tertiae personae vendit et tradit, licet non directe agat contra priorem contractum venditionis cum alia persona factum, tamen id facit aequivalenter [3].

Quae si vera sunt de contractibus stricte dictis bilateralibus, multo magis vera erunt contractibus lato sensu bilateralibus applicata. In contractu enim bilaterali lato sensu non omnia requiruntur quae in contractu

---

[1] Cfr. e. g., formulam concordati Leonem X inter et Franciscum I, apud De Angelis, *Praelectiones iuris canonici*, Romae, 1908 sq. pag. 99-105, n. 8-9.

[2] Cfr. Noldin, *De principiis* [14] (1922), n. 270, *d*).

[3] Cfr. Cappello, *Institutiones iuris publ. eccles.*, I, pag. 351-352 et in *Summa iuris publici eccles.*, n. 413, nota 36, ubi contra haec argumentatur, non felici, ut videtur, successu; cfr. etiam quae supra diximus n. 121.

bilaterali sensu stricto; et sufficit ut, in utraque parte obligatio oriatur, minime vero requiritur ut unius partis obligatio ad obligationem alterius partis referatur directe [1].

Concordata autem affirmamus esse pacta bilateralia sensu lato, licet forte quidam articuli eorum ad stricti pacti bilateralis naturam revocari possint.

Si quaeratur natura propria contractus quo concordatum aliquod initur; ad illas species revocari posse dicimus quas contractus innominatos vocant, qui his formulis comprehenduntur: *do ut des; facio ut facias; do ut facias; facio ut des;* quae formulae ad contractus bilaterales late aut etiam stricte sumptos revocantur.

Ex quibus etiam sequitur, si Romanus Pontifex forte pactum violet, etiam principem, qui concordato Ecclesiae aut Romano Pontifici plerumque ius ad rem pacto pariter concessit, vi pacti initi ad iuris concessi exsecutionem non amplius teneri, licet forte teneri adhuc possit ex alia virtute, e. g., ex religione aut ex obedientia Ecclesiae debita. Etenim Romanus Pontifex sua iniusta, ut supponimus, revocatione etiam alteram partem liberam a pacto reddidit.

Quibus iam praemissis, ad nostram thesim, unico quidem directo argumento, at apodictico, demonstrandam progredimur.

126. — II. **Probatur thesis.** - Cum de natura iuridica concordatorum investiganda agitur ea praeferenda est sententia quae clausulis in ipsis concordatis adhibitis unice congruit, easdemque recte et sine violentia interpretatur; at talis est doctrina pactorum bilateralium, saltem latiori sensu, acceptorum; ergo talis sententia admittenda est.

Maior demonstratione non indiget, sed, summum, declaratione. Etenim ad rerum naturam definiendam haec est via ordinaria; ipsis rebus studere, easdemque analysi submittere; hoc facimus in priori parte *maioris* nostri syllogismi, clausulas concordatorum considerantes. Pariter clara est altera pars *maioris;* agimus enim in hac re de quaestione positiva, in qua si aliquid RR. Pontifices declararunt, hoc tenendum est, nec vanis tergiversationibus, eorum dicta sunt violenter ad alios sensus reconditos referenda: hoc faciendo etiam irreverentia erga ipsos peccatur, dum implicite accusantur quod aliam contrahentem partem deceperint, aut quod iura Ecclesiae defendere non studuerint et prodigaliter profuderint, quod de pluribus Romanis Pontificibus affirmare temerarium est. Deinde nihil nos cogit magis catholicos esse ipsis Romanis Pontificibus. - Dicimus insuper in thesi *unice congruit*, ad excludendas directe theorias tum privilegiorum, tum mixtam seu ecclecticam, tum con-

[1] Quod verum semper erit etsi conceditur cl. Cappello id quod ipse affirmat relate ad contractus stricte bilaterales.

tractum bilateralium, sensu lato vel improprio. Si enim concordata sunt privilegia gratuita etiam respectu quorumdam articulorum, cur Romani Pontifices generatim protestantur esse pacta et vi pacti obligationem parere? Deinde princeps in errorem induceretur si, nulla facta in clausulis distinctione, ad singulos articulos clausula non referretur; immo quandoque clausulae de singulis articulis loquuntur et irritum declarant quidquid contra actum fuerit ab alterutra parte. Istae autem clausulae clarae sunt et nullam interpretationem contractum bilateralem excludentem admittunt, quapropter, aut dicendum est in illis Romanum Pontificem errasse aut concordata vera pacta esse sensu proprio bilateralia; nec dici potest ea appellata fuisse pacta bilateralia sensu improprio, quia sensus improprius non est supponendus, sed probandus, praesertim cum in casu nostro alii essent termini ad rem eamdem designandam.

Probatur minor. - Doctrina pactorum bilateralium sensu latiori clausulis in ipsis concordatis adhibitis congruit, et insuper alias Romanorum Pontificum declarationes unice recte et sine violentia interpretatur.

Libet hic ad thesis probationem aliquas clausulas referre:

In articulo 10 Concord. a Pio VII cum rege Bavariae, Maximiliano, inito haec habentur: *Utraque contrahentium pars spondet se suosque successores, omnia, de quibus in his articulis utrinque conventum est, sancte servaturos.*

Concordatum Leonis X cum Francisco I, Galliae rege, haec habet: *Art.* 27: *Consentimus illam veri contractus et obligationis inter nos et Sedem Apostolicam praedictam ex una, et praefatum Regem et regnum suum ex altera partibus legitime initi, vim et robur obtinere.* - *Art.* 28: *Nec non irritum et inane quidquid secus super iis vel eorum aliqua quopiam qualivis auctoritate etiam per nos et successores nostros praefatos scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.*

Similia habent concordata a Benedicto XIV, a Clemente XII, a Pio VI, a Leone XII etc. facta [1].

Idem affirmatur a Romanis Pontificibus etiam in aliis declarationibus, ex quibus quae sequuntur innuisse sufficiat. Iulius III in bulla « *Decet Romanus* », 14 ianuarii 1554 haec habet de concordatis cum Germanis: *Nos attendentes concordata praedicta vim pacti inter partes habere, et quae ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevisse, nec debere...* [2].

Leo XIII in epistola ad Gallos: « *Nobilissima Gallorum* », 3 Februar. 1884: *Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem, publice aliquid constitutum est, tunc profecto, quod* iustitiae *interest, interest idem reipublicae, concordiam manere integram.*

---

[1] Cfr. ista, apud Vecchiotti, *l. c.*, I, 369, pag. 137-138; De Angelis, *l. c.*, I, pag. 99-100; Cavagnis, *l. c.*, I, 669.

[2] Cfr. Vecchiotti, *l. c.*, pag. 138.

Item Pius X in Encyclica « *Vehementer* » 11 Februarii 1906, § *Accedit: Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. - Quare Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in ius quae pacta essent constantes permansuros. - Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur hoc est iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset* [1].

Magnam vim huius argumenti persenserunt adversarii atque ad se defendendos dixerunt quaestionem non ex clausulis aut declarationibus tantummodo solvendam esse, sed praecipue ex rerum natura de quibus in concordatis agitur. Contractus vero bilateralis rerum naturam in casu non esse capacem. At hoc perperam affirmari ex iis quae supra praemisimus constat; deinde, ut supra iam pariter adnimadvertimus, si res incapax esset contractus bilateralis, Romanus Pontifex circa eam concordatum non fecisset, sciebat enim Ecclesiae potestatem inalienabilem esse. - Si ergo, et non semel, fecit, putavit id fieri posse, quin ex hoc potestas eius aliquam imminutionem pateretur.

Nec dici potest illas declarationes et clausulas interpretatione egere; etenim « interpretationi locus est in dubiis, non in clarissimis dictionibus ». Cum autem hic sermo sit non de uno vel altero verbo, in uno aut altero concordato adhibito, sed de usu constanti loquendi Ecclesiae in concordatis, si revera Ecclesia putaret obligationem mutuam ex concordatis non enasci, ipsa eluderet universo orbi, quod nefas est de ea cogitare [2].

Item pariter obiici nequit voces in concordatis adhiberi solitas improprias esse; S. Sedes enim verbis clarissimis et in iure communissime adhibitis usa est; et si ea sensu aliquo inusitato adhibuisset, contrahentes decepisset [3].

Quodsi contradictio appareat inter clausulas has et doctrinam Ecclesiae de Primatu; tenendum est contradictionem apparentem esse; et loca ad concordiam revocanda esse; quae concordia optime fit in nostra sententia pactorum bilateralium sensu latiori [4].

Sunt utique quaedam clausulae difficilioris interpretationis quae aliqua, non tamen violenta, declaratione indigent, ut illa, e. g., quam ex concordato Leonis X cum Francisco I supra retulimus; at, circa ista quae ipsum actus valorem ex parte R. Pontificis attingere videntur, haec ex cl. Cavagnis adnotamus: « Haec intelligenda sunt quoadusque subsistat vis concordati, potest tamen Pontifex illud improbare, si vergat in detrimentum animarum, cum haec conditio ex rei natura et lege divina sit semper subintellecta; et si erret iudicando vergere in detrimentum animarum, cum non vergit, a nemine potest corrigi, cum in hoc superiorem non habeat, et tunc non amplius procedat ut contrahens, sed ut Pontifex. - Hinc si Pontifex disponat contra concordatum advertenter, sed non advertat ad clausulam irritantem, nihil agit; si ad eam advertat et eam revocet (seu ex iustis

---

[1] Alias etiam declarationes eodem sensu videre est apud Cavagnis, *l. c.*, 669; De Angelis, *l. c.*, pag. 101-103; Vecchiotti, *l. c.*, pag. 137-138.

[2] De Angelis, *l. c.*, pag. 104.

[3] Cavagnis, I, 672.

[4] Cavagnis, I, 673.

causis deroget, quod semper praesumitur), valet; sed tunc non agit ut contrahens sed ut superior » [1].

127. — III. **Obiectiones.** - Plurimae fiunt contra thesim nostram obiectiones; pleraeque tamen responsionem ex iis, quae in praenotationibus aut in probationibus attulimus, obtinent. Hic quasdam tangimus quae nondum fuerunt praeventae.

1° Wernz [2] obiicit cum de natura concordatorum agitur rem non esse definiendam ex sola ipsorum forma, quia alioquin de pluribus dicendum esset concordata esse solum leges ecclesiasticas. - At nos non dicimus quaestionem esse solvendam ex forma extrinseca, sed ex forma intrinseca concordatorum: at hac forma considerata, concordata, si vere concordata sunt, etsi ab uno Romano Pontifice publicantur, ex utriusque potestatis ecclesiasticae et civilis consensu procedunt et utrique parti obligationem important, alioquin non essent concordata, sed simpliciter privilegiorum concessiones, cuius exempla utique non desunt; at quis perperam illas concessiones concordata appellaret. Nos de veris concordatis ab utriusque potestatis consensu procedentibus loquimur.

2° Quod obiicitur ex eo quod si concordata essent contractus bilaterales sensu stricto, non possent, ne valide quidem, solvi a Romano Pontifice [3], posset concedi, nec enim nos affirmamus R. Pontificem posse pacta rescindere sine iusta causa directe - at posse id indirecte facere subtrahendo materiam eodem prorsus modo quo ille qui, contractu certe bilaterali et quidem sensu stricto, contraxit sponsalia cum Berta non potest solvere directe sponsalia, potest vero indirecte priori contractui materiam subtrahendo; vel etiam in contractu venditionis emptionis pro illis rebuspublicis ubi contractus venditionis ius ad rem solummodo concedit.

3° Quod obiiciunt ex litteris Pii IX ad De Bonald gratulatoriis - nullam vim contra nostram sententiam habet; ut enim omnibus notum est, Romanus Pontifex, litteris gratulatoriis, non intendit approbare doctrinam in aliquo libro contentam [4].

4° Aliae obiectiones - ex aequalitate seu paritate requisita inter contrahentes in contractu bilaterali; - ex alienatione iuris Primatus quam contractu bilaterali contineri necessario contendunt; - ex simonia quae haberetur si verus contractus esset concordatum; - ex eo quod Status ad ea quae in concordatis se obligat iam aliunde teneretur - deductae iam in praecedentibus declarationibus praeventae sunt; nec proinde de iis hic iterum agendum est.

Art. VI. — Interpretatio et rescissio concordatorum.

128. — I. **Interpretatio.** - Dubia circa concordatorum sensum occurrere posse nemo est qui non videat. Dubia vero huiusmodi

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, 680; cfr. etiam Wernz, *l. c.*, I, 172, nota 129.
[2] *l. c.*, n. 172, in nota 129.
[3] Cfr. Cappello, *l. c.*, pag. 344 et sq.
[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 670-671.

ex quavis ratione orta interpretare optimo iure ad contrahentes communi consensu pertinet, nec alterutri parti ab altera independenter id facere licet.

Id ex exposita theoria pactorum bilateralium ut corollarium sequitur, ius enim auctoritative per illos a quibus constitutum est interpretationem accipit. Unilateralem interpretationem ex parte Status regalistae, ex parte vero Ecclesiae fautores theoriae privilegiorum admittere ex principiis debent.

Principium a nobis admissum de necessario consensu utriusque partis (saltem ad licitam interpretationem in casu vere dubio) etiam in ipsis concordatorum clausulis admittitur. Videri potest, e. g., art. 35 concordati austriaci: « Si qua vero in posterum supervenerit difficultas Sanctitas Sua et Maiestas Caesarea invicem conferent ad rem amice componendam ».

Est tamen parva differentia inter fautores theoriae privilegiorum et theoriae pactorum quae in hoc proprie consistit. - Fautores theoriae pacti bilateralis sensu lato obligationem etiam in R. Pontifice admittunt recurrendi ad hanc interpretationem, ita ut aliter facta interpretatio, nisi gravis causa excuset, illicita sit; fautores vero theoriae privilegiorum hanc strictam obligationem in R. Pontifice non admittunt et solum obligationem congruentiae recognoscunt [1].

Si tamen inter contrahentes res communi consensu resolvi non possit, si de re mixta aut spirituali agatur, immo etiamsi de re temporali quae ad finem Ecclesiae quavis ratione referatur, R. Pontifex sua suprema directa aut indirecta potestate ipse per se quaestionem dirimere potest, eiusque iudicio ex indirecta subordinatione Princeps stare tenetur [2].

129. — II. **Cessatio concordatorum.** - Concordata dupliciter cessare possunt; aut totaliter aut partialiter.

1° *Totalis cessatio* concordatorum haberi potest:

a) *Ex mutuo consensu:* etenim « omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur » [3].

b) *Praescriptione* aut consuetudine: nulla est enim ratio, cur haec, quae alias leges vel contractus abrogare aut dissolvere possunt, non valeant concordatis derogare aut ea abrogare [4].

---

[1] Cfr. auctores in nota sequenti citatos et n. 117 supra in textu.

[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, 174; Cavagnis, *l. c.*, 661, 4°; De Angelis, *l. c.*, I, pag. 110-111; Tarquini, *l. c.*, n. 79-80; Choupin, *l. c.*, ubi refertur propositio 36 Syllabi damnata.

[3] R. I. 1, X, V, 41.

[4] Cfr. Wernz, *l. c.*, 175, III; Rivet, *l. c.*, pag. 208.

c) *Mutatione substantiali* conditionum et circumstantiarum; quippe cuilibet concordato sicut et cuilibet contractui, saltem implicite, haec conditio inest: *Rebus sic stantibus;* - dummodo tamen immutatio utrique parti appareat, nec alterutri in damnum alterius imputabilis sit; dolus enim nemini patrocinari debet [1].

2° *Partialiter* duplici modo cessare potest concordatum - si alterutri parti ius acquiratur contractum resolvendi respectu aliquorum articulorum, quorum observatio nimis difficilis aut impossibilis evasit, aut etiam respectu totius concordati ex iisdem rationibus:

a) *Ad partialem rescissionem* Ecclesia ius habet quoties aliquis articulus in detrimentum animarum vergere incipiat; quia in casu concordatum vinculum iniquitatis evaderet, quod iuridice fieri nequit. Cui rescissioni ab Ecclesia petitae ex mutuo consensu faciendae si Status accedere noluerit, Ecclesia ipsa per se eam facere poterit et ab illo articulo sese liberam considerare; aliis articulis in suo robore manentibus. Patet ex natura potestatis directae vel saltem indirectae pro natura rei de qua agitur. Poterit tamen in casu ius ad compensationem aequivalentem acquiri Statui, si id rei natura comportet [2].

Ex eadem prorsus ratione ius ad rescissionem determinati alicuius articuli acquiritur Statui, si illius articuli observatio in damnum reipublicae *revera* vergat. Dicitur tamen *revera* vergat, quia facile occurrere potest casus in quo hoc damnum putativum aut fictitium solummodo sit. Est tamen semper agnoscenda differentia inter priorem et istum casum. In priori enim, Ecclesia iure suo si Status iniuste dissentiat rem dirimere ex potestate directa vel indirecta potest; Status vero potestati Ecclesiae, eiusque iudicio ex subordinatione indirecta, stare tenetur [3].

b) *Partialis cessatio* concordati habetur etiam cum *alterutri parti* ius acquiritur ad totalem concordati rescissionem. Circa hoc eadem valent quae supra de rescissione determinati cuiusdam articuli aut de totali cessatione ex mutatis circumstantiis adnotavimus [4].

Ius ad rescissionem concordati alterutri societati acquiri potest sive ex culpa partis alterius, sive ex mutatis totaliter in alterutra societate circumstantiis et conditionibus in quibus concordatum initum fuit. Ita, e. g.,

---

[1] Cfr. Vecchiotti, *l. c.*, I, § 69, pag. 141, col. 2; Cavagnis, *l. c.*, 705.

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 661, 1°; Tarquini, *l. c.*, 82-83; Wernz, *l. c.*, 175, 1°; Rivet, *l. c.*, pag. 207.

[3] Cfr. auctores supra citatos.

[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 705.

si gubernium civile totaliter per revolutionem mutatum sit, Romanus Pontifex concordatum quod cum vetere gubernio inierat rescindere potest, quia gubernium novum cautiones a vetere datas praestare aut non vult aut non potest. - Ex ista autem Status civili immutatione non semper per se idem ius ad rescissionem Statui acquiritur. Ex hac autem ratione Ecclesiae facilius quam Statui ius resolvendi concordatum acquiri posse patet; etenim in Ecclesia potestatis exercitium ex Primatus natura huiusmodi immutationes violentas subire non potest.

Facilius adhuc, ut ex historia constat, Ecclesiae ius rescindendi seu, ut dici solet, *denuntiandi* concordatum, acquiri potest ex culpa Status, quia scilicet ipse prius practice aut etiam theoretice, proprio marte, contractum rescindere tentavit, aut non servat amplius. In hoc casu concordatum per se non est rescissum, quia ad rescissionem utriusque partis consensus, nisi aliunde gravis causa excusans habeatur, requiritur; at Ecclesiae ius concordatum denuntiandi acquiritur; quo tamen ipsa etiam in his casibus non utitur et potius observationi ipsius suadet [1].

Pari ratione Status, si Ecclesia sine ulla causa concordatum non observet vel eidem proprio marte deroget, quod nunquam accidit, ius acquirit ad rescissionem nisi de levi omnino et spernenda derogatione agatur: rescissionem tamen respublica per se facere non debet, sed eam a Romano Pontifice postulare; nisi Romanus Pontifex iniuste renuat et de re evidenti agatur, quod vix possibile est.

Attamen etiam in istis casibus rescindi ex parte utriusque potestatis amplius nequeunt illae concessiones quae *iuris in re* cessionem comprehendunt ut, e. g., bona donata a Statu ad Seminaria, ecclesias, beneficia erigenda vel dotanda; similiter concessiones factae ab Ecclesia quibus Status iam usus est, et in *ius in re* mutatae sunt, e. g., nequeunt resolvi collationes factae praevia nominatione, praesentatione etc., nec item actus potestatis iudicialis relate ad clericos aut alias personas ex se exemptas.

Circa dotationes vero beneficiorum et reliqua quae ex parte Status praestationem pecuniae importent videndum est, utrum illae dotationes aut pensiones a Statu factae sint Ecclesiae ad restitutionem saltem partialem bonorum ecclesiasticorum antea usurpatorum, an sola Status liberalitate aut saltem in compensationem concessionum ab Ecclesia in concordato factarum. Si primum Status, etiam concordato iuste resoluto, ad pensiones aut dotationes praestandas adhuc tenetur, et quidem ex iustitia commutativa, qua unusquisque res ex furto detentas suo domino restituere tenetur, non tamen vi pacti quod, ut supponimus, iuste rescissum est; in altera vero hypothesi liberalis nempe donationis, exclusa restitutione, contractu iuste rescisso, illae dotationes a Statu repeti amplius nequeunt ex iustitia ex concordato orta, sed nec ex iustitia ex vinculo anteriore. Tunc Status, summum, ex religione qua cultum Deo reddi publice debet has dotationes Ecclesiae solvere debet.

Status rescissionem concordati petere potest sicut Ecclesia si tales incidant circumstantiae ut ipsi revera concordatum maxime noxium evadat. Idque ex natura rei et ex eo quod iura inter se pugnare obiective nequeant.

---

[1] Cfr. De Angelis, I, pag. 112, 12°; Vecchiotti, *l. c.*, I, § 69, pag. 141.

Attamen utrum revera eae circumstantiae adsint, non fingendum, sed probandum et *authentice iudicio Ecclesiae* confirmandum est [1].

130. — Scholion I. - De concordatis ex vi, metu, dolo et errore initis. - Proprie dicta rescissio non habetur, sed potius nullitas iam ab initio adest, si consensus ad concordatum vi, metu gravi, dolo, aut errore substantiali extortus sit. In casu Romanus Pontifex cui generatim vis aut metus etc. nocent concordatum nullum declarare potest.

Huiusmodi concordatorum exempla non desunt: Concilium Lateranense (a. 1112 et alterum a. 1116) nulla declararunt ea quae Henrico V imperatori Paschalis II captivus, in synodo Sutrina, ex vi, concesserat [2]. Pius VII insigni humilitatis exemplo, ea quae Imperatori captivus apud Fontem Bellaqueum, 25 Ianuarii 1813, concesserat retractavit [3]. Item Clemens XII, 6 Aug. 1731, nullum declaravit concordatum ex errore, circumventione et dolo initum cum rege Sardiniae, per Marchionem De Ormea, a Benedicto XIII, a. 1727 [4].

131. — Scholion II. - De concordatis cum acatholicis. - Quae hucusque exposuimus principia, concordata cum rebuspublicis catholicis respiciunt; at nihil obstat, ut iam supra innuimus, quo minus etiam cum acatholicis Rom. Pontifex concordata ineat. Acatholici autem aut christiani aut infideles esse possunt.

1° **De concordatis cum acatholicis christianis.** - Circa concordata cum acatholicis christianis eadem valent principia, quae pro concordatis cum rebuspublicis catholicorum statuimus, eadem enim est relatio iuridica de iure, et Ecclesiae superioritas, eadem Status indirecta subordinatio. Nec enim admitti potest haeresi vel schismate ad meliorem posse respublicas conditionem reduci cum nemini dolus patrocinari debeat.

Attamen, quia de facto Status acatholicus recta principia non admittit, plerumque Ecclesia sui iuris exercitium seu potestatem indirectam, si bonum animarum aliud non exigat, non exercet et concordata, ut pacta stricte bilateralia, considerat. Igitur de iure concordata Ecclesiae cum Statu acatholico christiano sunt pacta, lato sensu, bilateralia; de facto vero ut pacta stricte bilateralia

---

[1] Wernz, *l. c.*, 176, II; cfr. etiam Cavagnis, *l. c.*, 661.

[2] Cfr. Albers, *Enchiridion historiae ecclesiasticae*, vol. II, pag. 127, n. 5; Wernz, *l. c.*, 175, not. 177-178.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 652.

[4] Cavagnis, *l. c.*, 702.

habentur; ex quo fit ut Ecclesia iurium spiritualium exercitium in huiusmodi concordatis non concedat, et solummodo de rebus temporalibus agat quae stricti pacti bilateralis capaces sunt [1].

132. — 2° **De concordatis cum infidelibus.** - Eadem valent si huiusmodi concordata fieri contigerit quae diximus de facto verificari in concordatis cum haereticis aut schismaticis. - At quod ibi de facto evenire diximus, hic de iure, quia Status infidelis, ne indirecte quidem, Ecclesiae subditur. Sunt ergo concordata cum republica infideli pacta stricte bilateralia, pactis internationalibus similia.

CAPUT II.

De regio "placet".

133. — **Connexio materiae.** - Inter errores qui Ecclesiae auctoritati independenti eiusque in rempublicam civilem indirectae potestati opponuntur duo praesertim enumerantur, qui aliquando a quibusdam etiam catholicis auctoribus propugnati sunt. Huiusmodi errores sunt regium *Placet* seu *Exsequatur*, et *appellatio ab abusu*.

De ambobus quaedam innuenda sunt. In hoc autem capite de *regio Placet* videbimus:

1° Eius notionem et divisionem.

2° Eius historiam.

3° Principia de eo tenenda.

Art. I. — Notio et divisio regii placet.

134. — **I. Notio.** - *Regium Placet* non est nisi consensus a principe civili datus ut actus auctoritatis ecclesiasticae in sua etiam re publica suam vim iuridicam sortiri possint.

Ius autem regii *Placet* ita a Van-Espen, eius praecipuo defensore, definitur: « Ius defensionis adversus Ecclesiae molimina, naturaliter insitum auctoritati politicae, cuius virtute declarat nul-

---

[1] Cfr. Cappello, *l. c.*, pag. 363-364 ubi tamen docet ea esse pacta bilateralia sensu improprio; cfr. etiam Tarquini, *l. c.*, n. 84, pag. 80 ubi dicit, Ecclesiam in iis concordatis incundis *speciem pacti* retinere debere eaque perinde ac pacta servare debere. « Quod si tractu temporis res eo deveniat, ut circumstantiis mutatis, eadem servari sine detrimento salutis aeternae, adeoque sine peccato non possint, rem primo componere mutuo consensu curabit; sin id minus succedat, a fide data merito recedet, quandoquidem eo in casu vera etiam pacta vi sua deficiunt » (Tarquini, *l. c.*, n. 84, pag. 80).

lam habere vim, bullas, brevia Pontificum, atque aliud quodcumque actum ecclesiasticae auctoritatis, quibus facultas illa non fuerit impartita » [1].

Est igitur, in regalistarum opinione, cuilibet principi ius quoddam inalienabile a iure cavendi ortum, ad dandum vel negandum prout opportunius videbitur, assensum actibus auctoritatis ecclesiasticae; atque a quibusdam eousque extensum est hoc ius, ut actus ipsi sine isto assensu nulli et irriti dicerentur.

In hoc proprie igitur, ex regalistarum opinione, ius regii Placet consistit, nimirum, ut sit proprium rei publicae civilis nativum et, iuxta aliquos, inalienabile ius ex iure cavendi promanans. Quare de iure *Placet* regii sermo non esset, si quis hoc ius assensus vel revisionis aut aliud quid simile ex Romani Pontificis concessione sibi vindicaret [2].

135. — II. Practice distingui solet regium *placet* a regio *exsequatur*. - Illud assensum actibus iurisdictionis ecclesiasticae procedentibus ab auctoritate in republica residenti seu actibus episcopalibus synodorum et conciliorum designat, hoc vero actus ab auctoritate rei publicae extrinseca seu a Romano Pontifice procedentes respicit [3]. Nos indifferenter alterutra voce utemur, quia ad nostrum scopum distinctio non est practici momenti.

Distingui etiam posset regium *Placet* pro ratione actuum quibus necessarium asseritur; scilicet, prout actibus potestatis legislativae aut administrativae aut iudicialis et exsecutivae opponitur. At etiam ista distinctio parum ad nostrum scopum refert.

Remotis temporibus regium *Placet* actus praesertim auctoritatis legislativae adversabatur; nostris vero diebus actus potestatis administrativae praecipue illo impetuntur.

Art. II. — Regii « placet » historia.

136. — Generatim regium *Placet* magnum occidentale schisma patrem habuisse affirmatur ex eo praesertim quod illa tempestate Urbanus VI (1478-1489) concessit quibusdam Praelatis « quod in eorum civitatibus et dioecesibus non posset fieri exsecutio aliquarum litterarum apostolicarum, nisi prius huiusmodi litterae ipsis praelatis vel eorum officialibus et per ipsos essent approbatae » [4].

---

[1] Tarquini, *l. c.*, (edit. 14) pag. 146; Cappello, *l. c.*, pag. 401.
[2] Cfr. Tarquini, *l. c.*, pag. 149. *Audistis...*
[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, II, lib. III, 2*; Badii, *Diritto ecclesiastico italiano*, n. 23.
[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 6*.

At hic, ut patet, proprie de regio *Placet* sermo non est, sed de *Placet* episcopali.

Fundamenta iuridico-historica regii *Placet* in Marsilii Patavini doctrina inveniuntur, licet de facto hae doctrinae non statim theoriam completam de regio *Placet* pepererint. - Marsilius autem Patavinus a. 1327 iam a Ioanne XXII damnatus fuerat.

Occasio vero qua regium *Placet* ad praxim primum deductum est, in schismate occidentali invenitur (a. 1378-1417). Attamen, schismate durante, nullum princeps hoc ius, ut ius nativum et reipublicae inalienabile sibi usurpavit, sed potius iuris exercitium ex circumstantiis specialibus iustificatum est [1].

Regio *Placet*, de facto, ad veras a falsis bullis decernendas pro cuiuscumque regionis diversitate, cum non omnes regiones eumdem legitimum Romanum Pontificem agnoscerent, usi sunt, in Gallia Dux Andegavensis, qui tamen hac de causa ab Ursino Iuvenali Archiepiscopo Rhemensi, illius nationis historiographo, reprehensus fuit; in Anglia item tempore schismatis Reccaredus II (1381-1399); in Sicilia rex Martinus; in Lusitania rex Ioannes [2].

Exstincto schismate, ab incepto non destiterunt politici et quod a principibus prius, ad praxim deductum fuerat, tunc ab aulicis canonistis rationibus iuridicis etiam defendi coepit.

Ita pro regio *Placet* scripserunt Felicianus Oliva, doctor canonum apud Lusitanos; Franciscus Salgado, Didacus Covarruvias, Barthel, viri ceteroquin catholici qui proinde ius *Placet* aliquatenus restrinxerunt. Omnem vero modum excessit in iure *Placet* defendendo Van-Espen et alii regalistae post ipsum. Contra vero *Placet* scripserunt Bellarminus, Suarez, Fontanini, Card. Altham, Bolgeni, Zallinger, Antifebronius et omnes fere canonistae catholici posteriores [3].

Primus qui sibi *ius Placet* tanquam ius reipublicae nativum vindicavit fuit Ioannes II rex Lusitaniae qui hac de causa damnatus, humiliter se subiecit... Post illam vero tempestatem ius regii *Placet* facilius propugnari coepit et ad praxim deduci. Saeculo XVIII, ex passim serpentibus erroribus Iansenii, ius regii *Placet* a pluribus aulicis propugnatum, est ad praxim deductum [4]. Romani vero Pontifices a parte sua Ecclesiae iura tueri nunquam destiterunt ita ut viginti duo RR. Pontificum documenta ius regii *Placet* condemnantia, praeter alia quae ad illud indirecte referuntur enumerari possint. Horum quaedam hic innuere iuvat. - Contra regium *Placet* habentur tria documenta Innocentii VIII, duo Leonis X, quinque Innocentii XI, quinque Clementis XIII, tria Pii IX [5].

---

[1] Ante schisma utique aliquando reges actus auctoritatis ecclesiasticae intra suum territorium promulgari vetarunt, at nemo umquam hoc se legitime facere affirmare ausus est. Ita Philippus Pulcher in controversia cum Bonifacio VIII, Henricus rex Angliae cum Alexandro III egerunt (Cfr. De Angelis, *l. c.*, I, pag. 50).

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, II, n. 7-8*.

[3] Cfr. Vecchiotti, *l. c.*, § 25; Cavagnis, *l. c.*, n. 16*.

[4] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 18-23, cfr. etiam Iemolo, *Chiesa e Stato*, c. III, § 8, ubi, animo ceteroquin hostili Ecclesiae et ad Status omnipotentis fictitia iura tuenda saeculi XVII regalistarum theorias evolvit.

[5] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 25*.

Art. III. — Principia de regio « placet » tenenda.

137. — I. **Principia tenenda.** - 1° Ius regii *Placet*, quatenus a regalistis, ut ius Status nativum et inalienabile propugnatum fuit, est evidens usurpatio iurium Ecclesiae; et dogmati de suprema et immediata iurisdictione Romani Pontificis in omnes et singulos fideles directe ipsum opponi, nemo est qui non videat.

Quapropter in eius confutatione, cum de re ex nostris catholicis principiis liquido profluenti agatur, hic insistendum non est. Si enim Ecclesia in exercitio suae iurisdictionis a Statu penderet, iam de eius indirecta in Statum potestate et de eius independentia actum esset. - Argumentum tamen ad ius *Placet* regii confutandum ita efformari posset: - Admitti omnino nequit ius regii *Placet* si iuri divino absolute repugnat; at ita revera repugnat: ergo. Regium vero *Placet* iuri divino repugnare clare ex S. Scripturae et SS. Patrum textibus eruitur. - Christus enim Petro et Ecclesiae potestatem leges ferendi et obligandi fideles tribuit directe, non dependenter a Statu. Nec enim dixit apostolis: *Ite ad principes et ab eis licentiam in eorum Statibus praedicandi petite;* sed absolute: *Ite et praedicate...*

2° Deinde si illud ius *Placet* nativum Statui quis dixerit, illo et infideles gaudere dicendum esset, at - hoc certe absurdum est ad suas leges promulgandas Romanos Pontifices assensum principum infidelium requirere debere, sed absurdius adhuc est, asserere iuri *Placet* solummodo reges fideles gaudere; ex hoc enim quod aliquis princeps Ecclesiam ingreditur baptismate, non fit princeps in hierarchia Ecclesiae, sed potius Ecclesiae subditus [1].

3° SS. Patrum testimonia quae implicitam, - de explicita enim damnatione sermo esse non poterat, quia regium *Placet* nemo sibi vindicabat - condemnationem continent, huc afferre non vacat. Testimonia optime hic eadem referuntur quae pro Ecclesiae independentia attulimus [2].

4° Libet vero quaedam huc afferre ex Romanorum Pontificum documentis, quae directe ad regium *Placet* referuntur. Huiusmodi documenta, ut supra innuimus, plurima habentur; hic nos duo tantummodo documenta afferimus, alterum ex concilio oecumenico Vaticano, alterum ex Syllabo Pii IX.

Concilium Vaticanum (Sess. IV, c. III): *Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem*

---

[1] Cfr. Tarquini in sua dissertione de *Regio Placet*.

[2] Alia etiam testimonia apud Tarquini, *l. c.*, pag. 156 videri possunt.

esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur [1].

Pius vero IX propositionem 41 Syllabi damnavit: *Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae, competit potestas indirecta negativa in sacra: eidem proinde competit nedum ius quod vocant* exsequatur, *sed etiam ius* appellationis, *quam vocant* ab abusu [2].

Nec etiam defendi potest mitior regii *Placet* usurpatio qua dicitur ipsum saltem eo in casu requiri quo actus potestatis ecclesiasticae exsecutionem in foro civili exigant, ad effectus in illo foro sortiendos. Nam ex rectis principiis de potestate indirecta Ecclesiae, Status hos actus etiam in illo casu ut certe validos agnoscere tenetur eosque exsequi. Quodsi ex hac exsecutione aliquod damnum serio sibi obventurum timeat; poterit suos timores Ecclesiae aperire quae certe etiam bono civili consulet.

138. — II. **Scholion.** - Obiectiones quae contra iura Ecclesiae pro regio *Placet* fieri solent, iam in praecedentibus solutionem habent; ad ipsas tamen melius refutandas haec insuper adnotamus:

1º Status utique, ut quaelibet alia societas ius habet invigilandi ne suo fini et suis iuribus a quopiam detrimentum afferatur; at hoc tenetur facere servato ordine finium societatum, quod postulat ut damno sibi forte ab Ecclesiae actibus illato obveniat, recurrendo ad ipsam Ecclesiam, aut damnum ipsum supportando si leve sit et Ecclesiae societatis superioris finis id requirat. Nec etiam damnum ipsum praesumendum est; et saepe a iuristis aulicis damnum invenitur quod est mere fictitium, et fabula lupi et agni verificatur.

2º Deinde *ius sibi* praecavendi minime includit ius suae praeviae inspectioni submittendi omnes actus aliarum societatum, iis non exclusis quae alteri societati perfectae directe subiiciuntur; hoc si fieret nulla posset consistere in Statu societas. Quare nec ipsis societatibus imperfectis id potest Status imponere ut omnes actus suae praeviae approbationi submittantur antequam valorem habeant. Ita iniusta esset lex Status quae hoc onus imponeret praeceptis patrisfamilias ut uxorem et filios obligent. Quanto magis ergo id affirmandum est de Ecclesia quae est societas perfecta et Statui ipsi superior! - Si hoc ius praecavendi ius importet regii

---

[1] Denzinger-Bannw., 1829.

[2] Denzinger-Bannw., 1741, cfr. etiam prop. 20 Syllabi et allocut. Pii IX « *Luctuosis agitatis* » 12 Mart. 1877, Denzinger-Bannwart, n. 1847.

Placet, illud sibi a fortiori tribueret Ecclesia ex eo praesertim quod indirecte superior est.

3° Nec valet tandem obiicere Statui cuilibet ius agnosci examinandi actus reipublicae exterae quae ab ipso exsecutioni forte mandanda sint; etenim primo negatur paritas reipublicae externae et Ecclesiae; Ecclesia enim non est externa ulli Statui cum iisdem subditis praesit ac Status; deinde etiam in eo deest paritas, quod Ecclesia Statui est superior [1].

CAPUT III.

De appellatione ab abusu.

De appellatione ab abusu pauca omnino innuenda sunt:

139. — I. **Notio.** - Appellatio est provocatio a iudice inferiori ad superiorem ratione gravaminis illati vel inferendi.

Appellatio proprie dicta supponit provocationem fieri a iudice ad iudicem, in eodem ordine; improprie tamen appellatur appellatio etiam provocatio ad iudicem ordinis diversi.

Appellatio dividitur:

a) *Ratione formae* - in iudicialem et extraiudicialem; prout in regulari processu aut via administrativa, extra iudicium, fit.

b) Ratione sententiae a qua appellatur est appellatio simplex aut *ab abusu*. Simplex vocatur appellatio a sententia simpliciter iniqua. - Ab abusu vero vocatur appellatio a sententia, non iniqua simpliciter, sed a sententia iniusta. Sententia iniqua ea est quae a iudice competente et debitis servatis formulis fertur, at, saltem iuxta appellantis aestimationem, contra eiusdem iura.

Iniusta e contra est sententia quae fertur vel a iudice incompetente, vel non servatis formulis substantialibus iudiciorum, vel quae est manifeste iniqua [2].

Appellatio ab abusu, ut nos hic intelligimus, est provocatio a

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 28-37; Cappello, I, pag. 416-417. Possunt etiam videri circa istam quaestionem: Bouix, *De principiis*, pag. 173-184; De Angelis, I, pag. 48-52; Rivet *l. c.*, pag. 101-106; Vecchiotti, *l. c.*, I, § 25.

[2] Notari hic iuverit ad confusionem evitandam non omnem poenam iniustam, esse simul invalidam. Iniusta enim dicitur sententia contra legem; lex autem aut substantialia aut accidentalia statuit; si contra primum sententia feratur, invalida et iniusta erit; si contra secundum, valida, at iniusta, contra quam proinde appellari ad iudicem superiorem poterit. Potest item haberi sententia materialiter iniusta, i. e., contra veritatem lata quae proinde in foro interno non obligat, et tamen obliget in foro externo, quia formaliter valida idest, omnibus a lege praescriptis servatis, lata. (Cfr. Wernz, *l. c.*, VI, 146, in nota 15; et 162 et 171; Chelodi, *Ius poenale*, n. 23 nota 3). At ut patet, haec non omnia sententiae a Romano Pontifice latae applicanda sunt.

iudice ecclesiastico ad iudicem saecularem, ut hic abusus potestatis a priori commissos corrigat [1].

140. — II. **Notae historicae.** - Tunc defendi coepit appellatio ab abusu cum iam in praxi ius regii *Placet* deduceretur; iisdem autem ducti rationibus huiusmodi ius principibus attribuerunt protestantes, regalistae et iansenistae. Speciali vero modo impetita est, utpote semper iniusta ex eorum opinione, sententia ex informata conscientia. Aliquando etiam ius appellationis simplicis deductum est ad praxim.

Mitiores vero moderni regalistae ius appellationis ab abusu pro eo tantummodo casu necessarium docent cum sententiae ab Ecclesia latae exsecutio a Statu concedenda est. Revocata autem sententia iudicis ecclesiastici ope appellationis ab abusu iudex laicus adversus iudicem ecclesiasticum procedere poterat aut occupatione eius bonorum temporalium, aut auferendo ab eo ius civitatis, aut alia etiam punitione [2].

141. — III. **Refutatio.** - Iniustitia appellationis ab abusu in sensu regalistarum quatenus provocationem ad iudicem saecularem laicum a iudice ecclesiastico designat, ex duobus praesertim capitibus demonstrari potest.

1° Absurdum iuridicum est appellare ad iudicem ordinis diversi; at appellatio ad iudicem laicum a sententia iudicis ecclesiastici est appellatio ad iudicem ordinis et potestatis diversae, ergo absurda iuridice haec appellatio habenda est.

Potestatem autem ecclesiasticam esse toto coelo diversam et independentem a potestate laica tum ratione subiecti, tum ratione originis, toto hoc tractatu demonstratum est.

Sicut igitur in Statu non admittitur appellatio a tribunali militari ad tribunal civile, licet in utroque casu de potestate seu iurisdictione temporali agatur; ita nec appellatio a potestatis ecclesiasticae sententia ad tribunal laicum.

Aut igitur neganda est potestas iudicialis Ecclesiae aut appellatio ab eius sententiis ad iudicem alterius ordinis et potestatis absurda habenda est.

2° At, etsi admittitur appellatio ab abusu ad tribunal ordinis diversi, adhuc tamen absurda est appellatio ab abusu in sensu regalistarum. Etenim appellatio, ex ipsa eius notione, est provocatio a iudice inferiori ad superiorem, et provocatio a iudice superiori ad inferiorem est talis absurditas iuridica quae ne cogitari quidem possit, iudex enim inferior eo ipso fieret superior. At iudex ecclesiasticus in sua materia est iudex exclusivus et in temporali indirecte supe-

---

[1] Cfr. Rivet, *l. c.*, pag. 106-107.
[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 45-46*.

rior iudice laico; ergo appellatio ab ecclesiastico iudice ad laicum est absurda.

Summum si appellatio ab uno ad alterum iudicium admitti posset, illa esset a iudice laico ad superiorem, indirecte, ecclesiasticum, non viceversa. - Plura in argumentis efformandis demonstrata supponimus ex supra expositis de iuridicitate, independentia et potestate indirecta Ecclesiae.

142. — **Scholion.** - Varia sunt argumenta quae a regalistis pro appellatione ab abusu afferri solent, quaeque aliquam difficultatem parere possunt.

Ad illa refellenda haec adnotamus:

1° Status habet utique ius et officium iura subditorum defendendi ab iniustis aggressoribus; at hoc potest et debet solummodo quatenus quis ei subditus est, non quatenus eius iurisdictioni subtrahitur, alioquin Status, non iurium defensor, sed potius usurpator et iurium aliorum invasor evadet. Ita, e. g., poterit utique Status defendere filiumfamilias ab iniusta vexatione seu punitione patris, si iuris naturae limites pater in sua punitione excesserit, in iis rebus in quae Status ius vigilantiae habet; at minime poterit, aut iniuste aget Status si praetextu defensionis iurium filiifamilias eidem contra patrem iuste praecipientem defensionem concedat. Quae animadversio si valet pro hoc casu in quo Status iurisdictionis suae limites non excedit, cum in utroque casu de iurisdictione agatur temporali, multo magis valere dicenda est cum defensio non est contra personam sibi subditam, sed contra societatem omnino a Statu independentem, qualis est Ecclesia.

Hoc etiam heic, memoriae revocandum est, subditum quemlibet Status postquam baptismum recepit, relate ad res spirituales aut spirituali adnexas, Status potestati subtrahi et uni Ecclesiae subiici, quo fit ut Status circa ista, ne ad iura quidem defendenda aliquid possit, quia sunt omnino extra eius competentiam atque iurisdictionem.

Quodsi adversarii instent dicendo Statum in exercenda appellatione ab abusu subditum in bonis suae competentiae defendere, qualia sunt, e. g., bona materialia beneficiis ecclesiasticis adnexa aut bona honoris et famae, quae certe bona temporalia sunt: negamus haec exclusive temporalia esse, ita ut ea attingere nequeat Ecclesia et exclusive Statui subsint. Nec enim bona spiritualia aut temporalia dicuntur, dum de competentia auctoritatis ecclesiasticae aut civilis agitur, ex eorum qualitate *entitativa*, sed potius *ex fine* qualitas dimetienda est. Et re sane vera, si ex sola qualitate entitativa res dimentienda esset, plura haberentur quae corporalia non sunt, et Statui subtraherentur, dum e contra certo constat eidem non subtrahi ut, e. g., honor et fama, iura omnia a lege civili recognita etc. Pariter plura habentur quae entitative spectata corporalia sunt et tamen certo certius Ecclesiae subiiciuntur in opinione ipsa regalistarum, quia rationem finis spiritualis habent; ita, e. g., sacramentalia. Illa igitur bona ad quae defendenda contra sententiam ecclesiasticam iura Status praetendit, licet entitative forte temporalia aut corporalia sint, tamen quatenus ad Ecclesiae finem referuntur eidem subiiciuntur, et proinde Status iurisdictioni omnino subtra-

huntur, nec eidem ius est hac in re actus potestatis ecclesiasticae iudicialis, quae sibi superior est, corrigendi.

Quod quidem valet etiam pro casu quo forte Ecclesiae iudicium erroneum seu iniquum sit; etenim, ut in bulla « *Unam Sanctam* », affirmat Bonifacius VIII: « Si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali, sed, si deviat spiritualis minor, a suo superiori; si vero suprema, a solo Deo non ab homine poterit iudicari » [1].

2° Concedimus tamen quosdam occurrere posse casus in quibus aliqualis recursus a iudice ecclesiastico ad laicalem admittendus sit. Huiusmodi casus varii enumerantur ab auctoribus:

a) Recursus ad tribunal laicum validus et licitus est, si fiat ad impediendam exsecutionem sententiae, quam ope brachii saecularis iudex ecclesiasticus inferior exsequi curet, non obstante appellatione, quae a reo interposita sit ad iudicem ecclesiasticum superiorem.

b) Potest tribunal aliquod laicale sententiae ecclesiasticae exsecutionem in suo foro denegare, si sententia sit evidenter iniusta et iniqua, etenim « quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi » [2].

Attamen si sententia ecclesiastica a supremo iudice processerit, animadvertendum est, ipsum potuisse a iure humano, in ea ferenda dispensare et proinde eius sententiam semper validam praesumendam esse, licet formulae ordinariae in eius prolatione servatae non fuerint. Hoc vero sententiis iudicum inferiorum applicandum non est, unde contra eorum sententias evidenter iniustas etiam ex solo defectu iuris humani poterit tribunal laicum exsecutionem denegare quousque lis ad supremam Ecclesiae potestatem deferatur et sententia illa aut rescindatur aut confirmetur.

Cum princeps licite in hoc casu exsecutionem in suo foro denegare possit, etiam reus ita iniuste condemnatus, si aliter sibi consulere nequeat, ad ipsius tribunal laicale recurrere poterit ad eamdem exsecutionem impediendam. - Ita appellasse ex historia scimus S. Ioannem Chrysostomum a sententia Theophili patriarchae Alexandrini, et S. Athanasium a sententia Arianorum, ad imperatorem [3].

Si sententia iudicis ecclesiastici sit dubie iniusta et invalida, ipsa servanda est in utroque foro, quia in casu praesumptio stat pro valore actus legitimi superioris (can. 2219, § 2); si vero sit evidenter iniusta et invalida non quidem ex defectu iuris humani, sed iuris divini aut naturalis a quo Romanus Pontifex dispensare non potuerit, tunc reum condemnatum, licet lata sit a Summo Pontifice, per se non obligat ad poenam subeundam, at obligare potest per accidens ad scandalum vitandum. Attamen recursus, in hoc casu, ad iudicem laicum fieri non potest, quia, cum Romanus Pontifex sit Suprema Potestas in terris a nemine iudicari potest [4].

c) Item a iudice inferiori laico sua abutente potestate ad superius tribunal pariter laicum recurri potest ad inferioris iudicis vexationes vitandas, praesertim si tribunal inferius aut etiam superius laicum Ecclesiae

---

[1] Cfr. Denzinger-Bannwart, 469; Cavagnis, *l. c.*, 47-50, ubi paulo aliter obiectioni factae respondit.

[2] R. I., 64, in VI.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, 46, IV, n. 55.

[4] Cfr. Bullam « *Unam Sanctam* » in verbis supra citatis; Cavagnis, *l. c.*, n. 53; c. 1556.

nullo modo subsint, quia ab infidelibus reguntur, et reo nulla alia adsit via ad sese defendendum. Ita S. Paulus Apostolus a iudice Festo ad tribunal Caesaris appellavit [1].

CAPUT IV.

De immunitatibus ecclesiasticis.

Ad ius publicum ecclesiasticum externum refertur etiam tractatus de immunitatibus ecclesiasticis: quam ob rem hic de his videbimus:

§ 1. Notionem et divisionem.
§ 2. Historiam.
§ 3. Naturam iuridicam.
§ 4. Quaestiones varias.

§ 1. — *Notio et divisio.*

143. — I. **Notio.** - *Immunitas* etymologice idem est ac exemptio a muneribus seu obligationibus, quo sensu munus obligationem significat [2], sic autem in re *immunitas ecclesiastica* describi potest: « Ius quo ecclesia, et alia loca sacra, necnon personae ecclesiasticae, ac res ipsorum libera ac immunia sunt a muneribus et oneribus saecularibus, atque ab actibus earum sanctitati et reverentiae debitae repugnantibus » [3].

Dicitur *ius*, quo genus indicatur; sunt enim immunitates exemptiones a iure seu lege iuridica, non mere ethica, firmatae. Aliis verbis definitionis variae species exemptionum indigitantur de quibus statim. Dicitur dein

---

[1] Cfr. *Act. Apost.*, XXV, 2°; Cavagnis, *l. c.*, 55.

[2] Cfr. l. 214, D. de V. S. 50, 16.

[3] Reiffenstuel, *Ius canonicum universum*, l. III, tit. 49, n. 4; consentiunt plurimi canonistae: Ferraris, *Prompta bibliotheca*, v. *Immunitates ecclesiasticae et immunitates ecclesiarum*, art. I, n. 1-5; De Angelis, *Praelectiones iuris canonici*, l. III, tit. 49, 1°; Ferrari, *Summa institutionum canonicarum*, II, n. 452; Cappello, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, I, pag. 453; Choupin, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège*, pag. 289; Rivet, *Quaestiones iuris ecclesiastici publici* (1912) pag. 213-215. Aliquatenus dissentit Cavagnis qui *l. c.*, v. II, n. 152* ita definit immunitatem: *Exemptio a laica iurisdictione competens ecclesiis et aliis locis piis, necnon personis ecclesiasticis et rebus ipsarum.* Quae definitio nimis extensa videtur et praeter immunitates proprie dictas etiam potestatem nativam Ecclesiae in *res spirituales* comprehendere videtur et ita nata est aliqualem confusionem parere. Cfr. etiam praeter citatos auctores de hac re; Wernz, *Ius decretalium* II, n. 168 praesertim in nota 124; III, n. 445-449; V, n. 291-294 praesertim vero notam 164; Lega, *Praelectiones: De iudiciis ecclesiasticis civilibus* [2] (1905) n. 329; Vecchiotti, *Institutiones canonicae*, II, lib. 3, § 71; Chelodi, *Ius de personis*, n. 109-112; Maroto, *Institutiones iuris canonici*, n. 512-517; Sägmüller, *Lehrbuch des kathol. K. R.*, I, § 55, 3, et II, § 167, IV, et § 194, apud quem alii etiam auctores citantur.

libera sunt a muneribus et oneribus saecularibus, quibus verbis maxime innuitur quaenam sit natura iuridica immunitatum ecclesiasticarum. Etenim non omnis exemptio a lege civili seu a civili iurisdictione immunitas, sensu stricto, vocari potest, sed solum illa exemptio quae, ut vim habeat, necesse est ut *positive* determinetur aliquo modo. Ideo immunitates definimus *exemptiones ab oneribus saecularibus* seu ab illis oneribus quae de se etiam res, personas et loca sacra tangere possent. Supponimus ergo Statum de aliqua re legem validam ferre posse, a qua tamen lege, immunitatibus ecclesiasticis, exempta sunt loca, personae et res sacrae. Ideo etiam alii auctores immunitates dicunt esse exemptiones a *muneribus communibus* [1]. Exinde fit ut, si Ecclesia proprie immunitates non statuat, Status eas statuere aut recognoscere, stricto iure, non teneatur, et libere etiam circa res, personas et loca sacra sua iurisdictione utatur, non iurisdictione ei ab Ecclesia delegata [2]. Ad notionem igitur immunitatum non sufficit haberi exemptionem a lege civili, sed proprie haberi debet exemptio a *lege civili valida* seu vim obligandi habente in casibus communibus. Quo ab immunitatibus libertatem exercitii iurisdictionis spiritualis ecclesiasticae distinguimus, quae libertas non est proprie immunitas, sed *ius nativum* [3] Ecclesiae a Christo collatum et directe ex Ecclesiae iuridica perfectione profluens. Sed praeter iurisdictionis spiritualis stricte dictae exercitium, plurima sunt quae loca, personas et res sacras aeque atque profanas tangere de se possent; cum sint temporalia et ad finem quoque temporalem praeter spiritualem forte adnexum tendant, de quibus proinde Status leges ferre posset atque huiusmodi leges per se validae essent, quae tamen Ecclesia, sua indirecta potestate, ratione, nempe, finis spiritualis exercita, iurisdictioni civili subtrahit. Qua in re non negamus difficile quandoque esse iudicare, in casibus particularibus, utrum de immunitate agatur an de iure Ecclesiae nativo.

144. — II. **Divisio immunitatum ecclesiasticarum.** - Tripliciter dividuntur immunitates ecclesiasticae, in *personales*, *locales* et *reales*.

1° *Immunitas personalis* ea est qua personae ecclesiasticae liberae sunt a iurisdictione et ab oneribus cuiusvis auctoritatis laicalis [4].

Has autem quae sequuntur exemptiones importabat huiusmodi immunitas:

a) *Exemptionem clericorum a publicis officiis*, non solum vilibus, sed et honorificis cum decore status clericalis incompatibilibus [5].

---

[1] Cfr. Rivet, *l. c.*; Choupin, *l. c.*, pag. 289; cfr. etiam Wernz, *l. c.*, V, n. 291.

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, II, 169*; Wernz, *l. c.*, V, 263 et 291 et sq.

[3] Cfr. c. 1160. Hunc canonem Chas. Augustine. *A Commentary*, VI, pag. 9-11, de immunitate locali explicat, idemque facere videtur Blat, l. III, h. c. n. 8; at id evenit praesertim ex defectu, in hac re, clarae terminologiae ab omnibus admissae; et revera licet hi auctores de immunitate hoc loco loquantur, explicatio tamen eorum *potius iuri nativo*, seu libertati Ecclesiae nativae applicatur. Canones Codicis qui *proprie* ad immunitates ecclesiasticas referuntur sunt: 120-123; 1178-1179 praeter alios qui ad immunitates referuntur indirecte.

[4] Cfr. Reiffenstuel, *l. c.*, III, t. 49, n. 225.

[5] Wernz, *l. c.*, II, n. 166; Rivet, *l. c.*, pag. 213-214; Cavagnis, *l. c.*, II, 155*.

b) *Exemptionem clericorum ab oneribus personalibus*, praesertim a taxis a lege civili singulis personis impositis [1].

c) *Exemptionem ab oneribus patrimonialibus*, seu a taxis quomodocunque bona patrimonialia gravantibus [2].

d) *Privilegium fori* seu ius quo causae quaevis iudiciales clericorum sive contentiosae seu civiles sive criminales ad iudicem ecclesiasticum, litis definiendae causa, deferendae erant, servato tamen principio iuris: « *Actor sequitur forum rei* », nisi alicubi particularis consuetudo contraria viguisset [3].

e) *Exemptionem a legibus civilibus* [4].

f) *Privilegium canonis* [5].

g) *Privilegium competentiae* vi cuius clerici aere alieno gravati ad illud solvendum cogi nequeunt privatione redituum ad honestam sustentationem necessariorum [6].

Et haec quidem omnia, transactis temporibus, cum leges etiam civiles christianae erant et christiano nomine gloriabantur, necnon independentia et perfectio iuridica Ecclesiae a Statibus saltem catholicis agnoscebatur, utroque iure vigebant; nostris vero diebus quibus Ecclesia omnibus armis ut hostis impetitur, ipsa, de suis iuribus pro bono pacis et ad maiora mala evitanda, plurima remisit. Adhuc tamen ex Codice iuris canonici hae immunitates personales retentae sunt; *a*) Privilegium canonis (c. 2343); *b*) Privilegium fori (c. 120 et 2341); *c*) Privilegium immunitatis ab oneribus civilibus a statu clericali alienis et praesertim a servitio militari (c. 121); *d*) Privilegium competentiae (122).

De immunitate vero a taxis sive personalibus sive patrimonialibus a lege civili impositis, sicut et de exemptione a legibus civilibus in genere sermo in Codice non amplius occurrit quod ad clericos inferiores attinet; quapropter iis privilegiis a Codice derogatum fuisse videtur, quod plurimis in locis iam diu centenaria consuetudine factum fuisse testantur auctores [7].

145. — 2° *Immunitas localis* est ius quo in locis sacris determinatis prohibentur actus profani, iisque ius asyli agnoscitur [8].

Ex qua notione patet non venire nomine immunitatis localis exemptionem ab auctoritate civili, qua mediante, Ecclesia in locis sacris suam

---

[1] Cavagnis, *l. c.*, II, 156*; Wernz, *l. c.*, II, 166; alii tamen hanc immunitatem realem vocant: cfr., e. g., Reiffenstuel, *l. c.*, n. 225.

[2] Cavagnis, *l. c.*, II, n. 156*.

[3] Wernz, *l. c.*, II, 166; V. 291, 292; Lega, *Praelectiones*, v. I, *De iudiciis ecclesiasticis civilibus* (1905), n. 329; Cavagnis, *l. c.*, II, 153*.

[4] Wernz, *l. c.*, II, 166; Rivet, *l. c.*, 225.

[5] Wernz, *l. c.*, II, 166 et 163-165; Rivet, *l. c.*, pag. 222-223, ubi tamen improprie dicit hoc privilegium inter immunitates computari.

[6] Cfr. Vermeersch, *Epitome iuris canonici*, I, n. 196.

[7] Cfr. Cocchi, *Commentarium in Codicem iuris canonici*, t. 2, n. 36; Rivet, *Iuris ecclesiastici privati supplementa*, I-II, pag. 44 (Romae, 1912); Wernz, *l. c.*, III, n. 146, III, *a*); Chelodi, *l. c.*, n. 112, *a*.

[8] Cfr. cc. 1178-1179 Bargilliat, *Praelectiones iuris canonici*, [21], II, n. 1420; Rivet, *l. c.*, pag. 61-62. Wernz, *l. c.*, III, n. 445; Vecchiotti, *Institutiones canonicae* [19], vol. II, pag. 183-192.

spiritualem iurisdictionem, pleno iure, libere exercere valet (cfr. c. 1160) [1]. Illa enim exemptio aliud est ex *iuribus nativis* ipsius Ecclesiae societatis perfectae ex iure divino directe profluens. Ex eo enim quod Ecclesia est societas perfecta ius habet, ex ipsa Christi institutione, ad iurisdictionem exercendam in iis rebus et locis quae ad suum finem consequendum necessaria sunt, independenter a Statu. Hoc ius Ecclesia habet ex se, seu ex natura sua, semel posita rei vel loci consecratione.

Attamen cum non repugnet, repugnantia absoluta, rem illam sacram aut locum sacrum in quibus suam Ecclesia libere exercet iurisdictionem spiritualem, gravari onere quodam temporali non quatenus sacrum est, sed quatenus est aliquid temporale, inde fit ut etiam in istis rebus et locis immunitas proprie dicta haberi possit.

Item non repugnat in locis sacris extra tempus sacrarum functionum quosdam actus profanos, non sordidos, exerceri, nec reos criminum inde etiam vi avelli, licet utique ratio consecrationis receptae suadeat ista minus ordinate in illis locis exerceri, et omnino requirat ut moderatio in istis exercendis servetur. Quod tamen non stricte natura rei seu ius divinum et nativum Ecclesiae stricto iure non requirit, sua potestate praescribit et requirit Ecclesia illis locis non solum in exercitio suae iurisdictionis, quod eius ius nativum est, sed etiam in aliis plurimis rebus exemptionem tribuens. Et ita explicatur qua ratione de immunitate, quae est exemptio a lege civili, sermo esse possit etiam in locis sacris quae ex se exempta sunt a iurisdictione civili et in quibus Ecclesia suam liberam exercet iurisdictionem. Haec immunitas localis in Codice retenta est, licet aliquatenus emollita iuxta emollitos mores nunc vigentes [2].

146. — 3° *Immunitas realis* « consistit in liberatione rerum ecclesiasticarum a quibusvis tributis vel vectigalibus solvendis, quae vi communium legum civilium rebus temporalibus imponuntur » [3].

Ratio qua huiusmodi res ecclesiasticae, quae sunt in dominio Ecclesiae et proinde prorsus independentes a lege civili quae nihil circa eas praecipere valide potest, dici possint immunes esse immunitate reali, difficilius explicari potest. Potius videtur dicendum immunitatem realem, quatenus exemptionem a tributis laicalibus designat pro rebus ad Ecclesiam pertinentibus, improprio sensu esse *immunitatem*, sed *ius nativum* Ecclesiae illis bonis inhaerens eo ipso quod illae res in dominio Ecclesiae sunt.

Cum tamen, nulla lege divina praeceptum sit, Ecclesiam hoc suo iure nativo uti debere poterit ipsa, si voluerit, sese submittere legibus civilibus tributariis, quod quandoque factum fuisse scimus [4].

Hac ratione explicatur cur etiam exemptiones a tributis a laica potestate impositis immunitates reales appellatae fuerint; quia, scilicet, Ecclesia aliquando ex specialibus circumstantiis suo iure nativo non fuit usa, et ita

---

[1] Cfr. supra pag. 179, nota 3.

[2] Cfr. c. 1160 et 1178-1179; P. Matthaeus a Coronata, *De locis et temporibus sacris* (1922), n. 37-46.

[3] Wernz, *l. c.*, III, n. 146.

[4] Cfr. Wernz, *l. c.*, III, 146, III, *b*; Reiffenstuel, *l. c.*, III, tit. 49, n. 253-261.

in aliis casibus, in quibus hoc iure utebatur, quasi videbatur uti immunitate a lege civili quae tamen, relate ad Ecclesiam, in hoc casu nulla vi gaudebat. Haec etiam fuisse videtur ratio cur Codex de *immunitate reali* expressis verbis non loquatur et tamen, certo certius, res Ecclesiasticae qua tales a tributis et vectigalibus immunes seu exemptae habendae sint; haec enim immunitas cum iure Ecclesiae nativo res sibi necessarias acquirendi, administrandi, possidendi, alienandi independenter a Statu confunditur; hoc vero ius pluribus in locis Codicis clare enuntiatur [1].

§ 2. — *Historia immunitatum ecclesiasticarum.*

147. — Videbimus per summa capita singularum immunitatum historiam, quo melius pateat ipsarum natura iuridica.

I. **De immunitatibus personalibus.** - 1° *Exemptio clericorum a publicis officiis seu muneribus.* - Tempore persecutionum certe sermo esse nequit de immunitate a publicis muneribus a Statu romano recognita, cum, tunc temporis, Ecclesia eiusque ministri non agnoscerentur et potius persecutionibus impugnarentur aut interdum vix tolerarentur. Reddita vero Ecclesiae libertate, Constantinus M., 31 Oct. 313, ministros sacros cultus catholici ab omni munere et onere personali exemit. Quod postea melius determinarunt alii imperatores [2]. Huiusmodi immunitas comprehendebat praesertim exemptionem a muneribus seu officiis reipublicae, a functionibus publicis, a muneribus sordidis, a muneribus municipalibus, a tutela et a cura, nec non a servitio militari. Etiam Ecclesia in suis conciliis huiusmodi exemptiones vindicare suis clericis non destitit [3]. Eaedem exemptiones a Friderico II (a. 1220) recognitae sunt et a Concilio Tridentino principibus commendatae [4] usque ad nostram fere aetatem etiam a lege civili agnoscebantur. Inde vero a gallica revolutione ista immunitas a variis Statibus, praesertim quod ad servitium militare restricta est, et alicubi penitus ablata. Ecclesia tamen iura sua vindicare, etiam nostris diebus, non destitit praesertim quod ad servitium militare clericis impositum attinet [5].

2° *Exemptio ab oneribus personalibus et patrimonialibus.* - Haec immunitas quae etiam ethnicis et hebraicis sacerdotibus agnita fuerat [6] iam a Constantino M. recognita seu concessa fuisse videtur [7]. Clarius etiam ab aliis

---

[1] Cfr. cc. 1495, 1496, 1499.

[2] Cfr. ll. 2 (a. 319), 9 (a. 349), 24 (a. 377), 29, 30 (a. 395), C. Theodos. De episcop. XVI, 2; ll. 1, 6, 33, 37 C. De episc. I, 3.

[3] Cfr., e. g., Concil. Tolet. III, a. 589 = c. 69, C. XII, qu. 2.

[4] Cfr. Auth. Frider. II, ad l. 2, C. I, 3. In editione a Krueger curata non amplius refertur; Concil. Trid., sess. 25, c. 25, *De ref.*

[5] Cfr. c. 121-123; Syllabum Pii IX, prop. 30 et 32; Decretum S. C. Consist., *Redeuntibus*, 25, Oct. 1918 in *Act. Ap. S.* (1918 pag. 481; Hinschius, *Das Kirchenrecht der Kath. u. Protest.* I, pag. 123 sq.; Wernz, *l. c.*, II, 167; Cavagnis, *l. c.*, II, n. 173*-181*; Maroto, *l. c.*, I, n. 518; Ferrini, *Manuale di Pandette*, n. 748, 754; Albers, *Enchiridion histor. eccl.*, I, pag. 249.

[6] Cfr. Genes. 47, 22 et 26 et Esdr. VII, 24; cfr. quoque Hinschius, *l. c.*, I, pag. 123, nota 7.

[7] L. 16, C. Theodos. II, 7.

imperatoribus determinata fuit, et a sacris canonibus et Sanctis Patribus vindicata [1]. Medio aevo eamdem exemptionem cum aliis recognovit et lege civili firmavit Fridericus II *authent.* ad l. 2 C. *De Episcop.* I, 3 quae sic se habet: *Item nulla communitas vel persona publica vel privata collectas sive exactiones, angarias vel parangarias ecclesiis aliisque piis locis aut ecclesiasticis personis imponant aut invadere ecclesiastica bona praesumant; quod si fecerint et requisiti ab Ecclesia vel Imperio emendare contempserint, triplum refundant et nihilominus banno imperiali subiaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur*, 20 Nov. 1220.

Etiam post Concilium Tridentinum haec immunitas viguit a Statibus passim recognita, aliquando oppugnata; et apud auctores longae habentur disquisitiones circa hoc et plurimae etiam S. Sedis decisiones [2].

Nostris vero diebus haec immunitas quatenus immunitas personalis est non amplius repetitur seu vindicatur ab Ecclesia nec multo minus a rebuspublicis clericis agnoscitur [3].

3° *Privilegium fori.* - De historia privilegii fori videri possunt leges Ecclesiae et leges civiles. Quae leges non semper eaedem fuerunt, ut ex mox dicendis patebit.

a) *Leges Ecclesiae.* - Iam S. Paulus fideles sui temporis reprehendit quod suas lites ad iudicem laicum infidelem, praetermisso Ecclesiae iudicio, solvendas deferrent [4]. Quo tamen S. Paulus non videtur negare iurisdictionem iudicis seu principis laici in causis temporalibus, civilibus vel criminalibus fidelium laicorum, sed potius consilium, non strictum praeceptum, dedisse, quod utique consilium illis temporibus nascentis Ecclesiae valde accommodatum erat. Praxi ista causas omnes ad Episcopum deferendi, litis definiendae causa, illis temporibus persecutionum, ut plurimum usi fuisse videntur christiani. Quod si de omnibus causis; etiam temporalibus, verum est, multo magis asserendum est de causis mere spiritualibus et ecclesiasticis [5]

Reddita Ecclesiae pace, Ecclesia certe non amplius prohibuit suis fidelibus laicis iudices civiles adire; attamen plerumque eodem ac tempore persecutionum iure usa est, etiam cum consensu auctoritatis civilis. Etenim Constantinus M. duabus constitutionibus (a. 321 et 331 vel 333 = cc. 35, 36, C. XI, qu. 1) permisit omnibus fidelibus, clericis et laicis ut ad iudicium Episcopi deferrent lites suas, etiam altera parte invita. Accesserunt etiam plures Conciliorum canones et Romanorum Pontificum decretales prohibentes ne clerici suas inter se causas seu lites ad iudicium laicale deferrent [6].

---

[1] Cfr. ll. 8 (a. 343), 15 (a. 360), 36 (a. 401), C. Theod. *De episcop.* XVI, 2, et l. 2 (a. 357) C. *De episcop.* I, 3; Cavagnis, *l. c.*, II, 177*.

[2] Videri potest, e. g., Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, v. *Clericus*, art. VII integre; Reiffenstuel, *l. c.*, III, tit. 49, n. 225-275, ubi tamen n. 226 recte distinguit bona ecclesiastica consecrata a non consecratis et a bonis clericorum.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, II, 182*; cfr. etiam Hinschius, *l. c.*, I, pag. 123-124; Wernz, *l. c.*, III, n. 146; Chelodi, *l. c.*, 112, *a*.

[4] I *ad Corinth.* v, 1-6.

[5] Cfr. Rivet, *Quaestiones iuris ecclesiastici publici*, pag. 77.

[6] Concil. Hipponens. a. 393, c. 6 et 9; concil. Carthag. XI a. 407, c. 10; Chalced., a. 451, c. 9; c. 26, C. XI, qu. 1, quo Innocentius I, a. 404 praecipit inter clericos et laicos causas exortas ab Episcopis audiri; c. 38, C. XI, qu. 1 = Gregor. 1, a. 604 et c. 40, C. XI, qu. 1 = Gregor, a. 594; cfr. quoque Wernz, *l. c.*, V, n. 277; Rivet, *l. c.*, pag. 78.

Praxis tamen et iura non fuerunt in tota Ecclesia uniformia illis temporibus; ita, e. g., Pelagius I, a. 555-560; praecipit etiam in causis clericos inter et laicos sequendum esse principium in utroque foro admissum: *Actor sequitur forum rei* [1]; dum o contra alii videntur insinuare omnes causas clericos inter et laicos ab Ecclesia iudicandas esse [2].

In regnis populorum germanicorum eadem principia de foro privilegiato clericorum generatim a conciliis particularibus vindicata sunt [3]; alicubi tamen permissum est ut clerici tribunal laicale vocati adire possent; aut saltem id permissum est, de Episcoporum consensu [4].

Saeculis VIII et IX omnes limitationes fori privilegiati clericorum sublatae sunt et omnes causae civiles et criminales clericorum, praeter causas feudales iudici ecclesiastico reservatae sunt [5]. Quo iure usa est Ecclesia usque ad Concilium Tridentinum, ex quo tempore maiori, quam antea, vi forum privilegiatum impugnari coeptum est.

Attamen etiam post Concilium Tridentinum, et praesertim nostris diebus, Ecclesia forum privilegiatum pro suis clericis vindicare non destitit plurimis et sollemnibus documentis [6].

b) *Leges civiles.* - Primae leges civiles, forum privilegiatum clericorum respicientes considerari possunt duae Constitutiones Constantini M. quae omnibus fidelibus permittebant tribunal Episcopi, etiam invita altera parte, adire, quae tamen, ut patet, non praecise ad forum privilegiatum clericorum referuntur. Hae Constantinianae Constitutiones moderatae sunt ab Arcadio et Honorio [7] eo sensu quod id solummodo permitteretur, adire scilicet tribunal episcopale, si utraque pars litigans consentiret. Ex quo factum est ut causae, mutuo litigantium consensu, in auditorio Episcopali definitae, si altera pars sententiae datae stare noluisset ad iudicem laicum, appellatione interposita, deferrentur et cum evidenti episcopalis dignitatis dedecore sententia ab Episcopo data reformaretur et aliquando ipse Episcopus iudici saeculari laico se sistere ut testis cogeretur. Contra huiusmodi iniurias protestati sunt Episcopi apud imperatorem Honorium a. 399, qui ut his incommodis obviaret praecepit causas omnes, quae de religione non essent, apud ordinarioris iudices iudicandas esse [8]. Attamen, ut ipse Honorius im-

---

[1] Cfr. c. 15, C. XI, qu. 1.

[2] Cfr. c. 26, C. XI, qu. 1; cfr. etiam c. 39, C. XI, qu. 1, in qua decretali Gregorius I, a. 601, statuit causam clericum inter et Episcopum aut etiam laicum inter et Episcopum per iudices ab ambobus litigantibus electos resolvendam esse, aut interpositione defensoris Siciliae ad quam illa decretalis directa fuerat, qui defensor laicus fuisse videtur. Cfr. etiam Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 796, et cc. 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, C. XI, qu. 1.

[3] Cfr. Wernz, *l. c.*, V, n. 28, in nota, 84 ubi plures canones conciliorum particularium citantur.

[4] Cfr. c. 17, C. XI, qu. 1 = c. 32 Concil. Agath., a. 506; Wernz, *l. c.*, V, n. 281, nota 85.

[5] Cfr. Wernz, *l. c.*, V, n. 282, praesertim in notis ubi fontes afferuntur; cfr. praeterea cc. 1, 2, 5, 6, 7, 9, 10, 11, 12, 15, X, II, 2, ubi etiam de foro miserabilium personarum.

[6] Cfr. Declarationes Card. Consalvi de mandato Pii VII, 10 Aug. 1819 factas, Allocutiones Pii IX « *Acerbissimum* » 27 Sept. 1852; et « *Numquam fore* » 15 Dec. 1856; proposit. 31 Syllabi Pii IX; Motu proprio Pii X, « *Quantavis diligentia* » 9 Octob. 1911; c. 120, 123 et 2341 Novi Codicis; cfr. etiam Wernz, *l. c.*, V, n. 282; Rivet, *l. c.*, pag. 81; Choupin, *l. c.*, pag. 293-295.

[7] L. 7, *De episc. aud.* I, 4.

[8] L. 1, C. Theod. XVI, 2.

perator declaravit, haec constitutio nihil immutavit quod ad clericos quos « nonnisi apud Episcopos accusari convenit » [1].

Valentinianus III, a. 452 forum privilegiatum restrinxit prohibens quaslibet causas ad tribunal episcopale deferri, nisi ex compromisso inter litigantes [2]. Haec tamen *Novella*, quatuor post annis, in Occidente abrogata est a Maiorano; in Oriente vero Marcianus alios favores concessit Ecclesiae circa hoc [3]. Iustinianus forum privilegiatum clericorum valde restrinxit et fere de medio tulit seu abrogavit. Solummodo quasdam cautiones concessit clericis, quibus laici non gaudebant, ad eorum dignitatem servandam, ut, e. g., sententia in causa criminali a iudice laico prolata ab Episcopo examinanda et probanda esset; si vero Episcopus eam non probaret ad imperatorem recursus pateret. Omnes vero causae tam civiles, quam criminales apud tribunal ecclesiasticum, tunc solum possent deferri cum utraque pars consentiret. Episcopus has causas temporales secundum leges iudicare debebat et generatim ab eius sententia appellatio concedebatur ad tribunal laicale. Idem fere ius ac pro clericis inferioribus et pro Episcopis substantialiter vigebat; licet enim Constantinus M. a. 355 [4] prohibuisset Episcopos in iudiciis accusari, et praecepisset apud alios potissimum Episcopos explorari, tamen Iustinianus [5] id eo sensu restrinxit quod non liceret id facere « citra imperialem iussionem » [6].

Apud populos barbaros forum privilegiatum clericorum agnoverunt Ostrogothi, impugnaverunt Longobardi, et maxime auxerunt Carolingi [7].

Saeculo XII plene etiam ab imperatoribus germanicis agnoscebatur forum privilegiatum clericorum ita ut ipse Fridericus II haec decernere potuerit: *Statuimus ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione vel civili trahere ad iudicium saeculare praesumat contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones* [8].

Privilegium fori mitigari coeptum est postquam concordata inierunt Status cum Ecclesia; et usque ad gallicam revolutionem et ad medietatem saeculi XIX vim suam generatim retinuit, salvis mitigationibus a S. Sede concessis; ex illo vero tempore fere ubique quod ad causas et delicta communia attinet abrogatum est. Retinetur adhuc valde mitigatum in aliquibus regionibus ubi vigent concordata [9].

4° *Privilegium competentiae.* - Privilegium seu beneficium competentiae, quod et privilegium cap. *Odoardus* dicitur, a c. 3, X, *De solutionibus*, III, 23 originem ducit. Caput antem illud quod est Gregorii IX ita se habet: « Odoardus clericus proponit quod cum P. Clericus, D. Laicus et quidam alii

---

[1] L. 41, C. Theod. XVI, 2; cfr. Wernz, *l. c.*, V, n. 278.

[2] Cfr. *Nov.* Theod., l. II, tit. 12.

[3] L. 1, C. I, 4; l. 35, C. I. 3.

[4] L. 12, Cod. Theodos. XVI, 2.

[5] *Nov.* 123, c. 8.

[6] Cfr. Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 794-797; Wernz, *l. c.*, V, n. 180; Rivet, *l. c.*, pag. 78.

[7] Cfr. Wernz, *l. c.*, V, n. 282; Rivet, *l. c.*, pag. 79; Qui plura desiderat invenire potest apud Hinschius, tom. IV, pag. 849 et sq.; V, pag. 402 et sq., et sparsim duobus illis tomis.

[8] Auth. Friderici II ad l. 33, C. *De Episcop.*, 1, 3.

[9] Cfr. Wernz, *l. c.*, V, 282; Rivet, *l. c.*, pag. 81; Cavagnis, *l. c.*, II, 181*, 182*; Vermeersch, *Epitome iuris canonici*, I, n. 194, 2.

In Concordato die 3 Nov. 1922 inito a S. Sede cum Lettonia haec circa privilegium fori

ipsum coram Officiali Archidiaconi Remen. super quibusdam debitis convenissent, idem in eum recognoscentem huiusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, excommunicationis sententiam promulgavit: (*et infra*) Mandamus, quatenus si constiterit, quod praedictus O. in toto vel pro parte non possit solvere debita supradicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, recepta prius ab eo idonea cautione, ut, si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita praedicta persolvat ». Ut patet decretalis ista exemptionem solummodo ab excommunicatione ob debita, praestita tamen cautione a clerico, concedebat; attamen ex analoga interpretatione iuris romani quod hoc idem privilegium militibus agnoscebat et aliis personis [1], accedente prius auctorum opinione et dein etiam iurisprudentia Curiae romanae, multo latiorem obtinuit interpretationem caput istud *Odoardus* et consequenter beneficium competentiae valde ultra verba decretalis extensum est. Quae latior interpretatio, licet errata, si sensus capitis solummodo inspiciatur, ab omnibus fere auctoribus habeatur, tamen in praxi, quia consuetudine centenaria iamdiu firmata, retenta est. Ratio autem privilegii fuit, ne clericus cum dedecore sui status quod in Ecclesiam redundare videretur, emendicare cogeretur [2]. Hac eadem ratione ductus legislator ecclesiasticus etiam in novo Codice beneficium *competentiae* retinuit (c. 122).

Leges civitatum beneficium competentiae, quatenus speciale privilegium status clericalis est, nostris diebus generatim non retinuerunt; attamen, cum simile beneficium plerumque concedatur aut omnibus publicis officialibus aut etiam omnibus civibus, eodem et clerici ex iure etiam civitatum gaudere possunt [3].

5° *Privilegium canonis.* - Privilegium canonis, quod nomen a c. 15 Concilii Lateranensis II a. 1139 sortitur [4], qua tale ab eodem canone originem iuridicam et historicam ducit.

Primis saeculis cum clericis contra reales iniurias sufficienter legibus romanis provideretur [5], Ecclesia speciales poenas pro defensione status clericalis non statuit.

Leges speciales habentur hac de re in *lege Ripuaria* tit. 36 et in *lege Baiuvariorum* tit. I, c. 8, necnon in synodis particularibus et in decretalibus RR. Pontificum pro novis regnis populorum germanicorum im-

---

habentur: XVIII. Si aliquis vir ecclesiasticus coram laico tribunali accusabitur delictorum a Codice Lettoniae punitorum, Archiepiscopus eiusve delegatus opportune monendus erit, cui Archiepiscopo per se vel per delegatum suum ius erit assistendi processui et sessionibus tribunalis. XIX. Viri ecclesiastici in iudicio condemnati carceris, poenam luent in aliquo monasterio. Damnati vero aliis poenis, sicut alii cives poenas luent, praevia privatione dignitatis ecclesiasticae (cfr. *A. A. S.*, XIV, pag. 577).

[1] Cfr. Bonfante P., *Istituzioni di diritto romano* [7] (1921), pag. 405-407; Maroto, *Institutiones iuris canonici*, I, n. 523 in nota.

[2] Cfr. Hinschius, *l. c.*, I, pag. 127-129; Wernz, *l. c.*, I, n. 170; Maroto, *l. c.*, 523.

[3] Cfr. Hinschius, *l. c.*,; Maroto, *l. c.*, I, n. 524 in nota; Calchi-Novati, *Il diritto ecclesiastico dello Stato italiano* (1903), pag. 118; Badii, *Il diritto ecclesiastico italiano* (1921), n. 28 *d*; Wernz, *l. c.*, 171; Vermeersch, *Epitome* I, n. 196.

[4] Cfr. c. 29, C. XVII, qu. 4.

[5] Cfr. ll. 3 et 33, § 6, C. *De episcop.* I, 3.

perium Romanum undique invadentium [1]. Hi canones praeter alias poenas minitantur percussoribus et flagellatoribus clericorum excommunicationem. Immo iam saeculo IX c. 14 Synodi romani a. 862 excommunicationem latae sententiae statuit contra Episcoporum percussores.

Severior disciplina necessaria fuit saeculo XI, cum plures habebantur haeretici clericali statui infensi, qui sibi meritum eiusdem suppressionis imputarent, ut Arnoldus Brixiensis et alii. Hac ratione ductus iam Urbanus II can. 6, Concilii Lateranensis a. 1097 poenam excommunicationis contra violentas manus iniicientes in clericos statuit; quae tamen poena non ubique statim recepta fuisse videtur; quapropter Innocentius II, a. 1130 eam innovavit in c. 10 Concilii Claramontani et dein in concilio Remensi a. 1131, c. 13; tum in Concilio Pisano a. 1135, c. 12, ac tandem a. 1139 in Concilio Lateranensi II, c. 15, a quo in Decretum Gratiani est introducta, his verbis - *Si quis, suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat* [2].

Eadem poena fuit dein extensa ad mandantes et, non obstante sua formula, quae etiam excommunicationi ferendae sententiae applicari posset, semper ut poena latae sententiae retenta est [3]. Hac poena perculsi non sunt admissi ad fruendum privilegium a Martino V in decreto « *Ad evitanda* » concesso aliis excommunicatis, ut, scilicet, si requirerentur a fidelibus, possent cum illis communicare.

Hoc ius usque ad nostra fere tempora viguit aliquatenus mitigatum pro clericis R. Pontifice et Cardinalibus inferioribus; extensum vero pro Romano Pontifice, Cardinalibus et Legatis Romani Pontificis [4].

148. — II. **Immunitas localis.** - 1° *Exemptio ab actibus profanis.* - Sunt quaedam quae in locis sacris fieri ipsa lex naturae aut lex positiva divina prohibet, quae proinde non nisi improprie immunitates appellari possunt et quae independenter a qualibet lege humana semper in locis sacris prohibita sunt [5]. Sunt e contra alia quae de se stricto iure naturae fieri non repugnat in locis sacris, licet maxime congruat praesertim ob abusus qui facillime inde oriri possunt. Huiusmodi actus fieri in locis sacris pro sua libera quam in his locis exercet iurisdictione prohibuit Ecclesia quoties id necessitas aut eius utilitas postulavit, quod iam antiquissimis temporibus [6], medio aevo [7] et etiam nostris diebus (c. 1178) fecisse scimus.

---

[1] Cfr. c. 21, § 3, C. XVII, qu. 4 = c. 15, Synodi Ravennat., a. 877; c. 22, § 1, C. XVII. qu. 4, qui non est Alex. II sed synodi cuiusdam Constantinop. sub Photio habitae; cfr. Hinschius, *l. c.*, I, pag. 118, nota 4, et cc. 23 et 24, C. XVII, qu. 4, in edit. 2 Friedberg a. 1922.

[2] C. 29, C. XVII, qu. 4.

[3] C. 6, 7, 14, X, V, 39.

[4] Cfr. c. 2343.

[5] Cfr. Matth. XXI, 12-13; Wernz, *l. c.*, III, n. 446.

[6] Cfr. c. 28, Concil. Laod., a. 343-381; C. 29, Concilii Hippon., a, 393 = c. 4 et 5, D. 42, etc.; Wernz, *l. c.*, III, n. 447 in notis.

[7] Cfr. c. 1, 5, 9, X, III, 49; c. 12, X, III, 1; etc. apud Wernz, *l. c.*, III, 447.

Huiusmodi leges Ecclesia ferre potest ex iure nativo quod in locis habet exercendi independenter a Statu suam iurisdictionem (cfr. c. 1160). Status autem catholicus sicut omnes fideles has leges recognoscere debet et si ab Ecclesia requiratur etiam suum brachium saeculare eidem praestare debet (c. 2198).

2° *Ius asyli.* - *a*) *Leges civiles.* - Ius asyli (ἄσυλον = α + συλᾶν = *non vi rapere*) habuerunt praeter hebraeos latini, graeci et multi ex populis barbaris [1]. Ex iure praesertim graecorum et romanorum nec non hebraeorum facile transiit, statim ac ecclesiae christianorum locum templorum paganorum, imperatoribus conversis, tenere coeperunt, ad ipsas christianorum ecclesias. Atque id primum factum est populi moribus, seu ex ipsa populi conversi iuris interpretatione ecclesiis christianis agnoscente id quod legibus et moribus templis paganis et statuis imperatorum agnoscebatur. Hoc modo explicatur cur prima mentio quae in legibus romanis occurrit circa ius asyli ecclesiarum christianarum potius restrictiva ipsius iuris sit quam eiusdem concessiva aut constitutiva. Huiusmodi prima lex est Theodosii Mag. a. 392 [2] atque illa Constitutione a iure asyli excluduntur aere alieno gravati publici: « *Publicos* debitores, si confugiendum ad ecclesias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos qui eos occultare probantur, episcopos exigi ».

Anno 397 Arcadius et Honorius [3] a beneficio iuris asyli excluserunt Iudaeos illuc confugientes cum simulatione conversionis; anno vero sequenti 398 iidem imperatores ius asyli penitus aboleverunt [4]. At a. 399 concil. Carthag. preces porrexit imperatori ut ius asyli restitueret, quod lege factum est anno 414, Theodosio iuniore et Honorio imperatoribus [5]. At iam ipso anno 399, ut ex historicis constat, ius asyli iterum partialiter recognitum fuerat [6].

Prodierunt deinde plures leges ius asyli melius determinantes, quae, limitatione adiecta excipiente delicta maiora, in Codicem Iustiniani titulo: *De his qui ad ecclesias confugiunt* introductae sunt [7].

Post populorum barbarorum invasionem, regna tum germanicorum, tum merovingiorum, tum carolingiorum, partim ex legibus romanis, partim e canonibus conciliorum provincialium in illis regionibus quandoque vim etiam legis civilis habentium ius asyli generatim agnitum est, atque quandoque etiam extensum ultra id quod leges romanae concesserant [8].

Inde vero a saeculo XIII ius asyli lege etiam civili agnitum est locis sacris, immo alicubi ultra etiam extensum ad determinatas civitates; quod

---

[1] Cfr. *Numer.* XXXIII, 6; *Exod.* XXI, 13; Reiffenstuel, *Ius canonic. univ.*, III, tit. 49, n. 26.

[2] Cfr. l. 1, C. Theod., IX, 45.

[3] L. 2, C. Theod. IX, 45.

[4] Cfr. l. 3, C. Theod. IX, 45, quae tamen Constitutio ibi non integre refertur; cfr. Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 381, nota 5.

[5] Cfr. l. 2, C. I, 12.

[6] Cfr. Hinschius, *l. c.*, pag. 381-382.

[7] Cfr. ll. 2, 3, 6, C. I, 12 et *Novell.* XVII; Wernz, *l. c.*, III n. 448,; Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 380 et sq.; Many, *De locis sacris*, n. 47-48; Cavagnis, *l. c.*, II, 184*; Rivet, *Iuris eccles. privati supplem.* I-II, pag. 62.

[8] Cfr. Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 384-387, Many, *l. c.*, n. 49.

quidem, illis temporibus quibus processus et iustitia criminalis valde imperfecta erant, optime factum est et plurimum ad mores populi mitiores reddendos influxum exercuit [1].

Iam saeculo XV et XVI, partim etiam ex privilegiis Romanorum Pontificum [2], ius asyli restrictum est, auctione praesertim casuum seu delictorum exceptorum; et deinde etiam restrictione locorum quae illo gaudebant [3]: attamen ipsum ius asyli remansit fere ubique recognitum usque ad saeculum XVIII, quo tempore acrius quam antea impugnari coeptum est a principibus, donec in novis legibus saeculo XIX fere ubique abrogatum est, excepto Statu pontificio; retento tamen alicubi aliquo eius vestigio in legibus quibus praecipitur moderamen servandum esse in reis ab ecclesiis extrahendis, praesertim tempore sacrarum functionum [4].

b) *Leges Ecclesiae.* - Ecclesia ius asyli iam antiquissimis temporibus locis sacris agnovit, seu concessit atque etiam ut a Statu agnosceretur et servaretur curavit [5].

Leges romanorum imperatorum, tum decretalibus tum canonibus conciliorum, hac de re canonizavit Ecclesia atque ideo factum est ut huiusmodi leges quae forte prius solummodo vim legis civilis habebant etiam vim legis ecclesiasticae obtinerent nec proinde sine ipsius Ecclesiae consensu a Statu potuerint amplius, ne valide quidem, abrogari [6].

Canones huiusmodi ius asyli iam a multo tempore supponentes et poenas severissimas contra violatores statuentes iam antiquissimis temporibus inveniuntur. Ita Gelasius papa a. 492-496 reos delicti violationis iuris asyli ecclesiastici, « quod nec potestatibus quidem vel principibus umquam licuit perpetrare » ab ingressu ecclesiae arcendos statuit; « nec enim iure admitti ad supplicandum debet qui admittere sacrilegium non dubitavit » [7].

Saeculo VII Concilium Toletanum XII a. 681, ius asyli ad triginta passus circum ecclesias extendit [8]. Nicolaus vero papa a. 866, idem ius melius determinavit, statuens « ut maior ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat, cappellae vero vel minores ecclesiae per triginta », et poenam excommunicationis contra violatores statuit [9]. Quod ius commune evasit c. 15 Concilii Lateranensis II a. 1139 quo poena excommunicationis contra violatores ad ius commune et universale scriptum transivit. Inde a saeculo XIII post compilationes authenticas decretalium ius asyli fuit melius in canonica doctrina determinatum et a R. Pontificibus inde a saeculo XVI confirmatum et partim etiam emollitum [10].

---

[1] Cfr. Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 393 et sq.; Wernz, *l. c.*, III, n. 448.

[2] Cfr. e. g. Bullam Gregorii XIV, 24 Maii 1591 « *Cum alias* ».

[3] Cfr. Concordatum hispanicum 1737, art. 2 et 3.

[4] Cfr. Hinschius, *l. c.*, pag. 397 et sq.; Wernz, *l. c.*, III, n. 448.

[5] Cfr. petitionem Concilii Carthag. a. 399 ad imperatorem romanum ad hunc finem directam.

[6] Cfr. c. 36, C. XVII, qu. 4 = Concilium Aurel. I, a. 511; Vermeersch, *Epitome iuris canonici*, I, n. 198, 6.

[7] Cfr. c. 10, C. XVII, qu. IV.

[8] Cfr. c. 36, C. XVII, qu. IV.

[9] Cfr. c. 6, C. XVII, qu. IV.

[10] Cfr., e. g., Const. Gregorii XIV « *Cum alias* » 24 Mai. 1591, qua plura enumerantur delicta excepta, haec bulla invenitur praeterquam in bullariis etiam apud Ferraris, *Biblio-*

In novissimis concordatis Ecclesia ius asyli ad substantialia reduxit, quod et novo Codice iuris canonici factum est [1].

149. — III. **Immunitas realis.** - 1° *Leges civiles.* - Exemptionem rerum ecclesiasticarum a tributis et vectigalibus communibus legibus civilibus impositis agnoverunt generatim post persecutiones leges civiles romanae. Iam Constantinus M. a tributis exemit ecclesias catholicas; eadem immunitas plus minus retenta fuit ab eius successoribus, excepto Iuliano apostata [2]. Eadem exemptio generatim admissa et retenta est in regnis francorum et medio aevo aucta est ab imperatore Friderico II a. 1220 authentica supra relata [3], et violatores eius banno imperiali puniti sunt. Saeculo XIV a Marsilio Patavino acrius impugnari coepta est: inde etiam in praxi limitata fuit. In recentioribus concordatis de hac immunitate plerumque siletur et aliquando etiam expresse conceditur bona ecclesiastica vectigalibus communibus gravari [4].

2° *Leges Ecclesiae.* - Ecclesia, etiam suis legibus, ius exemptionis a taxis et vectigalibus communibus civilibus sibi vindicavit.

Antiquoribus temporibus usa est legibus civilibus hac de re latis, earumque observantiam ab auctoritate civili exegit.

In regnis francorum et germanicorum eadem legis romanae immunitas realis agnita fuit; at etiam hoc agnoscendum est, ex iure tunc vigente, Ecclesiam fuisse aliis oneribus erga Statum ligatam, ut donationibus ab Episcopis, abbatibus et abbatissis Statui solvendis [5].

In Hispaniis etiam servi ecclesiarum servitio addicti a quibuslibet oneribus liberi erant et Concilium Toletanum III, a. 589, lamentatur quod haec immunitas aliquando violata fuerit a iudicibus vel actoribus publicis et « a pietate gloriosissimi Domini..... poposcit ut tales deinceps ausus inhibeat » [6]. Certe hoc ius quod servos ecclesiae respiciebat, bonis quibuslibet sacris vel stricte ecclesiasticis a fortiori applicabatur, illudque viguit, ut ius particulare, fere ubique receptum usque ad a. 1179, cum in Concilio Lateranensi III lege universali firmatum est. In hoc concilio violatio huius privilegii sub anathematis poena prohibita est, « nisi Episcopus et clerus

---

theca, v. *Immunitas ecclesiastica*, art. II, n. 90; Reiffenstuel, *l. c.*, III, tit. 49, n. 49; Constit. « *Ex quo divina* » Benedicti XIII, 6 Iunii 1725, apud Ferraris, *l. c.*, n. 91; Constit. Clementis XII « *In supremo iustitiae solio* » apud Ferraris, *l. c.*, n. 156; Constit. « *Officii nostri* » Benedicti XIV, Id. Mart. 1750, apud Ferraris, *l. c.*, n. 157; nec non eiusdem Benedicti XIV, epist. encycl. « *Elapso proximo* » 20 Febr. 1751, apud eumdem Ferraris, *l. c.*, n. 160 etc., plura ibidem ex quibus gradatim videri potest mitigatio iuris asyli per saecula; cfr. etiam Hinschius, *l. c.*, IV, pag. 387 et sq.

[1] Cfr. *Concordatum austriacum* art. 15, a. 1855 et reipubl. Equat. a. 1862, art. 10; c. 1179, quo canone ius asyli valde mitigatum ad solas ecclesias restringitur, quod iam ante Codicem auctores factum fuisse aut consuetudine aut in concordatis testabantur. Cfr. Wernz, *l. c.*, III, n. 448; Hinschius, *l. c.*, pag. 387 et sq.

[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, III, n. 146, II.

[3] Cfr. supra ubi de historia exemptionis ab oneribus personalibus et patrimonialibus.

[4] Cfr. Wernz, *l. c.*, III, n. 146, II,; Hergenröther-Hollweck, *Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts*, n. 1088.

[5] Cfr. Hinschius, *l. c.*, I, pag. 124; Wernz, *l. c.*, III, n. 146; Hergenröther-Hollweck, *l. c.*, 1088.

[6] Cfr. c. 69, C. XII, qu. II.

tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione, ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppetant facultates, subsidia per ecclesias aestiment conferenda » [1]. Hoc ius restrinxit Bonifacius VIII, et ex eo quod « nonnulli ecclesiarum Praelati, ecclesiasticaeque personae, trepidantes ubi trepidandum non est, transitoriam pacem quaerentes, plus timentes maiestatem temporalem offendere quam aeternam » facile exactiones principibus solvebant, prohibuit, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae et Sedi Apostolicae reservatae, ne ultra liceret exactiones solvere « absque expressa licentia » Sedis Apostolicae [2]. Idem ius adhuc confirmatum est a Clemente V qui publicationem excommunicationis et interdicti a violatoribus incursorum fieri praecepit [3].

Deinde ius immunitatis realis cum aliis immunitatibus iterum sancitum est, et commendatum principibus in Concilio Tridentino [4]. Post Concilium vero Tridentinum plurimae habentur decisiones de hac re a S. Congregationibus datis [5].

Urbanus VIII, a. 1626, *vivae vocis oraculo*, instituit *Congregationem iurisdictionis et immunitatis ecclesiasticae* cuius munus erat, ut ipsum nomen innuebat, protegere et defendere iurisdictionem et immunitatem ecclesiasticam [6].

Ex quo vero concordata iniri coepta sunt, Ecclesia hac in re de suis iuribus plurimum rebuspublicis remisit; et in novissimis concordatis de hac immunitate non raro est altum silentium et quandoque [7] etiam conceditur ab Ecclesia ut exactiones exigi possint [8].

Etiam in novo Codice de hac immunitate vix sermo est; ad ipsam tamen referri posse videntur canones 1495, 1499, 1518, quibus ius Ecclesiae a Statu prorsus independens sua bona administrandi statuitur [9].

§ 3. — *Origo seu natura iuridica immunitatum.*

150. — I. **Variae solutiones propositae.** - De natura iuridica immunitatum ecclesiasticarum quinque afferri possunt solutiones.

---

[1] Cfr. c. 4, X, III, 49, *De immunit. Eccles. coemet. et rerum ad eas pertinent.*

[2] Cfr. c. 3, III, 13, eod. tit. in VI.

[3] Cfr. c. 3, *De censibus, exact. et procurat.* III, 13 in Clement.; cfr. tamen etiam c. unic. *De immunitat. ecclesiar.* III, 17 in Clement. ubi supracitatum caput Bonifacii VIII revocatur et solummodo in sua vi linquuntur antiquiores canones concilii Lateranensis; concilium vero Lateranense V sub Leone X eandem Bonifacii VIII Constitutionem innovavit et consensum S. Sedis requisivit ad exactiones Statui solvendas; cfr. c. 2, *De invasoribus et occupat. bonor. eccles.*, II, 2 in septimo.

[4] Cfr. c. 25, sess. XXV, *De ref.*

[5] Cfr. plura apud Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Immunitates ecclesiasticae*, art. IV et v. *Bona*, art. II, n. 24 et sq., ubi n. 68 refertur Constit. Urbani VIII « *Romanus Pontifex* » 5 Iunii 1641, et apud Reiffenstuel, *l. c.*, 237 et sq.

[6] Cfr. Hinschius, *l. c.*, I, pag. 470; Bouix, *De curia romana* (1859) pag. 24.

[7] « Dominia Ecclesiae, sicut bona cuiusvis civis, tributis subiici poterunt, exceptis aedificiis cultui divino dicatis, seminariis, domibus episcopalibus et paroecialibus ». Concordatum cum Lettonia, a. 1922 initum, n. XVI.

[8] Wernz, *l. c.*, I, 146, II.

[9] Badii, *l. c.*, n. 73, *d*, docet immunitates contineri in cc. 1503-1506: at ibi sermo non videtur esse de immunitatibus.

1° *Theoria regalistarum.* - Theoria regalistarum, quae et theoria *legis civilis* appellari potest, contendit immunitates ecclesiasticas leges civiles esse et unice a Statu procedere sive in sua origine, sive in sua essentia, sive etiam in sua destructione seu abrogatione. Sicut Status immunitates concedere potuit ita et eas potest, si velit, abrogare; et si hoc faciat nemini facit iniuriam, utitur enim iure suo inalienabili.

Profluit haec sententia, ut patet, liquido ex placitis liberalistarum, regalistarum, et omnium illorum qui Ecclesiae iuridicitatem, et a fortiori, perfectam iuridicitatem reiiciunt. Illa refutatur probando Ecclesiam esse societatem perfectam a Statu prorsus independentem et in Statum Catholicum indirecta potestate gaudentem. - At etiam a quibusdam aliis auctoribus haec sententia admittitur qui, licet catholico nomine glorientur, Ecclesiae tamen iuribus detrahere non verentur; sunt autem gallicani.

Haec tamen theoria a catholicis admitti nequit, tota sua amplitudine, utpote damnata a Syllabo Pii IX et aliis declarationibus pontificiis [1].

2° *Theoria iuris divini.* - Altera opinio priori directe opposita theoria iuris divini vocatur. Auctores huius theoriae docent immunitates ecclesiasticas *formaliter* ex iure divino derivare, sive naturali sive positivo. Idque probare nituntur ex eo quod apud omnes populos etiam barbaros immunitates rerum et personarum sacrarum admissae fuerint; quod Christus se suosque discipulos exemptos esse a tributis protestatus sit [2]; ex rerum et personarum necnon locorum sacrorum natura, et ex documentis ecclesiasticis [3].

Hanc opinionem docent plures auctores catholici qui tamen generatim non bene determinant utrum de iure divino naturali an de iure divino positivo intelligant, quod affirmant; nec forte de omnibus, sed de quibusdam tantummodo loquuntur immunitatibus [4].

Hanc opinionem in hoc praesertim peccare affirmamus quod, saltem ut a Reiffenstuel et Ferraris *l. c.* proponitur, inter immunitates quaedam enumerat quae proprie immunitates non sunt dicenda, sed potius lato no-

---

[1] Cfr. Proposit. 30-31 et 32 Syllabi apud Choupin, *l. c.*, pag. 288-296; c. 4, *De censibus;* III, 20 in VI; c. 30, X, *De iureiurando*, II, 24; Concil. Trident. sess. XXV, c. 20 *de ref.*; Breve Pii IX « *Multiplices inter* » 10 Iunii 1851; Rivet, *Quaestiones iur. eccl. publ.*, pag. 215-216; Cappello, *Institut. iuris publ. eccles.* I pag. 471 et sq.; De Angelis, *Praelectiones iuris canonici* t. II part. II, pag. 380; Vecchiotti, *Institutiones canonicae* [19], II, pag. 190; Vermeersch, *Epitome iuris canonici*, I, n. 197-198; Maroto, *Institutiones iuris canonici*, I, n. 512, B; Wernz, *l. c.*, III, 146, III; Chas. Augustine, *l. c.*, II, [3], pag. 64-65.

[2] Cfr. Matth. XVII, 24-25.

[3] Cfr. c. 4. III, 20 in VI°; c. 3, X. II, 24; Concil. Trid. sess. XXV, c. 20 *de reform.*

[4] Cfr., e. g., Reiffenstuel, *l. c.*, III, tit. 49, n. 235-236 ubi ex iure divino affirmat esse immunitates personales et reales; numeris vero 20-23 id negat de immunitate iuris asyli illamque a iure civili et canonico repetit. Cfr. etiam auctores ibi apud Reiff. citatos pro utraque opinione; Ferraris, *Bibliotheca*, v, *Immunitas ecclesiastica*, art. I, n. 7-14, una cum additionibus ex aliena manu a n. 15 usque ad 35, et auctores ibidem; Rivet, *l. c.*, pag. 216.

mine exemptiones vel melius *iura* Ecclesiae *nativa*, ex iure utique divino naturali aut saltem positivo divino eidem competentia, quod iam in additionibus ex aliena manu apud Ferraris *l. c.*, art. I, n. 18-20 notatur. Ita, e. g., Ferraris [1] docet bona ecclesiastica sacra seu consecrata esse immunia ex iure divino; hoc idem affirmat et Reiffenstuel *l. c.* Hoc verum esse et nos et multi alii admittent, qui tamen negamus immunitates iuris esse divini [2]. Quaestio igitur de nomine potius quam de re est; nos iura nativa, utique ex iure divino, appellamus quae alii exemptiones seu immunitates appellant.

Nimis deinde deducunt fautores istius opinionis ex documentis ecclesiasticis, licet enim documenta asserant immunitates iuris divini esse aut similes phrases habeant, non determinant tamen qua ratione id intelligendum sit; immo potius innuere videntur non immediate ex iure divino oriri, sed mediate tantum, mediante nempe auctoritate Ecclesiae illas res, potestate divinitus accepta, eximente. Item nimis deducitur ex citato loco Matthaei, quia ibi agitur de tributo templo, non Statui solvendo.

Adde insuper contra hanc opinionem, Romanum Pontificem posse in singulis immunitatibus dispensare, quod non posset, si ipsae iure divino formaliter statutae fuissent [3].

3° *Theoria iuris canonici.* - Tertia opinio docet omnes immunitates esse *formaliter* ex iure canonico. Hanc theoriam auctores probari contendunt ex variis mutationibus quas temporum progressu passae sunt immunitates, non solum ex tolerantia Ecclesiae, sed aliquando ex positiva eiusdem approbatione; probant insuper ex eo quod praeceptum divinum quo immunitates statuuntur et determinantur probari non possit.

Citatur pro hac opinione Alciatus Andreas, Medina et Covarruvias; at certe Covarruvias, licet dicat immunitates esse ex iure ecclesiastico, optime tamen distinguit inter ea quae Ecclesiae competunt ex iure divino et immunitates stricte sumptas quae formaliter iuris sunt humani sive civilis, sive ecclesiastici [4].

Argumenta quibus haec opinio innititur non sunt certe spernenda, nec ipsa excludit in sua generali assertione id quod affirmat quarta opinio de fundamento immunitatum in iure divino [5].

4° *Opinio media.* - Quarta denique sententia docet immunitates *fundamentaliter* ex iure divino, *formaliter* vero ex iure canonico seu pontificio originem ducere [6].

---

[1] *l. c.*, v. *Bona ecclesiastica*, art. II, n. 1-23.

[2] Cfr., e. g., Wernz, *l. c.*, III, 146; Rivet, *l. c.*, pag. 216-219 iunct. *Supplementis iuris ecclesiast. priv.*, pag. 44.

[3] Cfr. Ferraris, *l. c.*, v. *Immunitas eccles.*, art. I, n. 21 in addition. ex aliena manu.

[4] Cfr. Ferraris, *l. c.*, *Immunitas eccles.*, art. I, n. 18, in addit. ex aliena manu; cfr. etiam Vecchiotti, *l. c.*, II, pag. 189 et sq.; Maroto, *l. c.*, I, n. 512, B. c; Rivet, *l. c.*, pag. 216.

[5] Cfr. De Angelis, *l. c.*, t. II, part. II, pag. 378.

[6] Cfr. De Angelis, *l. c.*, II, part. II, pag. 378-379.

Hanc vero eamdem opinionem alii aliis formulis enunciant et proponunt, re autem vera sensu fere eodem. Ita, e. g., Vecchiotti *l. c.* hac utitur formula: Immunitates sunt «a *iure divino suadente*, seu *originaliter*, ut aiunt, *mediate* et *remote*»; sunt vero «a *iure canonico praecipiente*, seu proxime, *immediate* et *constitutive*» [1]; Cappello vero dicit ipsas esse *generice* iuris divini, *specifice* vero *iuris ecclesiastici* [2].

Hae vero formulae plus minus modificatam eamdem doctrinam enuntiant. Hanc opinionem admittunt plures antiquiores et fere omnes ex modernis auctoribus; unde vere communior est dicenda [3].

Ipsam probant auctores praesertim ex eo quod melius per ipsam explicantur mutationes et evolutiones historicae circa immunitates; earum existentia et persistentia apud omnes fere populos etiam barbaros; phrases quae in ecclesiasticis documentis inveniuntur necnon congruentia quae ex natura rei agnoscitur statuendi positive aliquas immunitates pro rebus, locis et personis sacris.

5° *Opinio ecclectica.* - Est tandem et quinta opinio, quam ecclecticam vocare possumus, qua docetur non posse dari theoria unica de natura iuridica immunitatum ecclesiasticarum, sed iudicium ferendum de singulis immunitatibus; esse proinde aliquas immunitates formaliter ex iure civili, alias ex iure canonico, alias vero formaliter ex iure divino.

Hanc opinionem non utique his verbis expressam, sed hoc sensu admittit Reiffenstuel qui [4] de immunitate asyli loquens eam a iure canonico et civili repetit; alibi vero de immunitate reali et personali disserens [5] eam iuris divini esse affirmat et tuetur. Eamdem doctrinam tenet et Ferraris [6].

Aliquid simile videtur admitti a Cavagnis, qui, postquam theoriam mediam de origine immunitatum tradidit, quaestionem instituit de omnimoda Romani Pontificis immunitate ex iure divino [7]. Insuper notandum est plures auctores theoriae mediae, theoriam suam non applicare nisi immunitatibus stricte dictis, ut supra definivimus, alia autem iura nativa ex iure divino repetere; quo fit ut plura quae a fautoribus quintae huius opinionis inter immunitates enumerantur ab ipsis non enumerentur nisi improprie inter immunitates, eaque iura nativa ex iure divino appellent. Ita, e. g., si Reiffenstuel *l. c.*, *immunitates reales ex iure divino* appellat immunitates, quae referuntur ad bona sacra seu consecrata et ad bona stricte ecclesiastica, quae scilicet necessaria sunt ad finem Ecclesiae consequendum,

---

[1] Cfr. Vecchiotti, *l. c.*, II, pag. 189-190.

[2] Cfr. Cappello, *Institut. iuris publ. eccles.*, I, pag. 472.

[3] Cfr. Maroto, *l. c.*, n. 512, B. d.; Cappello, *l. c.*, 472, sq.; De Angelis, *l. c.*, 378 et sq.; Cavagnis, *l. c.*, II, n. 172* sq.; Rivet, *l. c.*, 212 sq.; Choupin, *l. c.*, pag. 292; Vermeersch, *Epitome iuris can.*, I, n. 198; Vecchiotti, *l. c.*,; Chelodi, *l. c.*, 109; Chas. Augustine, *l. c.*, VI, pag. 11, et alios plures auctores apud istos in operibus et locis citatis.

[4] *l. c.*, III, 49, n. 21-23.

[5] Cfr. *l. c.*, III, 49, n. 235.

[6] Cfr. Ferraris, *l. c.*, v. *Immunitas ecclesiast.*, art. I, n. 7-8; art. IV, n. 6; v. *Bona ecclesiast.*, art. II, n. 16-22; et v. *Clericus*, art. I, n. 77-84.

[7] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, II, n. 190*-193*; Cappello, *l. c.*, I, pag. 476-480.

et ut subiectum dominii entia ecclesiastica habent, convenit realiter cum Wernz et Rivet, necnon cum Cavagnis qui haec bona iure nativo exempta a laica potestate docent [1]. Ex quibus patet non paucas disputationes inter catholicos hac in re potius ex defectu clarae terminologiae quam ex vero opinionum dissensu procedere.

151. — II. **Animadversiones quaedam circa quaestionem.** - Quamvis forte doctrina iuridica de natura immunitatum ecclesiasticarum, allatis opinionibus sat sufficienter explicata existimari possit, et quarta opinio media, quae inter recentiores communis est plura, iuxta catholica principia, circa immunitates explicare possit, tamen utile ducimus hac in re quasdam animadversiones addere ad rem melius enucleandam:

1° *Clarior quaestionis positio.* - Quaestio de natura iuridica immunitatum ecclesiasticarum non recte, ut videtur, posita est ab auctoribus ex eo praecipue, quia notio univoca immunitatis ecclesiasticae, apud omnes auctores, desideratur, quo fit ut catholici doctores re quidem plerumque conveniant, dissentiant autem terminis [2].

Iura nativa et immunitates. - Ante omnia distinguenda sunt ea quae Ecclesiae *iure proprio* et *nativo* competunt ex natura rei seu ex iure naturali consequenti, et ex iure positivo divino ab iis quae convenienter quidem tribuuntur, diverso tamen atque diverso modo et mensura, pro temporum et circumstantiarum diversitate. Quae priori modo competunt Ecclesiae ea *iura nativa* appellamus, eaque ex ipsius Ecclesiae natura, qua societas perfecta est a civili prorsus independens, naturaliter oriuntur, ita ut sine iisdem ne ipsa quidem Ecclesia subsistere possit. Huiusmodi plurima enumerari possunt, e. g., ius bona etiam temporalia ad suum finem necessaria vel utilia acquirendi, administrandi et alienandi independenter a Statu [3]; ius loca et res sacras habendi in iisque libere suam iurisdictionem exercendi [4]; ius scholas tam suis ministris instituendis, quam pro aliis fidelibus libere condendi [5]; ius ubique et semper et quod ad omnes personas christianas suam spiritualem iurisdictionem sive voluntariam sive contentiosam exercendi [6]; ius

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, *l. c.*, III, 49, n. 235; Wernz, *l. c.*, III, n. 146, III, *b*; Rivet, *Iuris ecclesiastici privati supplementa*, I-II, pag. 44.

[2] Hac in re omne tulisse punctum videtur clarissimus Wernz qui in toto suo optimo opere *Ius Decretalium* quaestionem generalem de immunitatibus attingere noluit ex difficultate generalia principia statuendi in re tam controversa, clara terminologia destituta (cfr. Wernz, *l. c.*, II, n. 168 in nota 124; III, 146, III; V, n. 291-294).

[3] C. 1495, 1496 et 1499; Wernz, *l. c.*, III, 135, 136, 141-143, 146, III, b, 147, 157.

[4] C. 1160.

[5] C. 1375; Wernz, *l. c.*, III, n. 68.

[6] C. 1553; Wernz, *l. c.*, V, 291-293.

omnimodae exemptionis Romani Pontificis a quibuslibet legibus et oneribus quavis lege civili impositis [1] etc., etc.

Circa quaedam vero non conveniunt doctores, etiam catholici, utrum vera iura nativa sint, an solummodo ex iure positivo Ecclesiae competant. Ita, e. g., dissentire videntur auctores an exemptio clericorum a servitio militari sit ius nativum Ecclesiae, an solummodo ius positive ab Ecclesia concessum [2].

Cum igitur de his agitur quae ad ipsam Ecclesiae essentiam pertinent, aut ab eius essentia et iuridica omnimoda independentia necessario profluunt, nulla quaestio esse potest.

Inter ea ipsa vero quae iure nativo competunt Ecclesiae, sunt quaedam quae ita ei conveniunt iure nativo et divino, ut ne ipsorum quidem usui renuntiare possit Ecclesia, quia ei conveniunt *iure divino praeceptivo;* quaedam vero quae ei conveniunt *iure quidem divino, at non praeceptivo,* sed solum *permissivo,* quibus proinde, si Ecclesia utile ducat, renuntiare potest. Huiusmodi sunt, e. g., exemptiones bonorum stricte ecclesiasticorum a taxis et tributis a lege civili impositis; cum enim Ecclesia sit prorsus independens a Statu in rebus etiam temporalibus sibi necessariis acquirendis, administrandis et alienandis, ipsa nullo modo in huius iuris exercitio a Statu tangi potest; attamen cum hoc iure, relate ad quaelibet bona quae possidet, Ecclesia uti non teneatur, poterit Statui permittere exactiones et tributa relate ad bona haec exempta, quod transactis temporibus aliquando fecisse scimus [3]. Iure autem novo id Ecclesia lege expressa generaliter non permisit, plerumque tamen tolerat.

De his igitur rebus sermo non deberet institui, ubi de immunitatibus agitur, vocari tamen aliquando solent ab auctoribus immunitates, quia Ecclesia aliquando, usui horum suorum iurium renuntians, permisit has res oneribus laicalibus gravari [4].

Alia vero iura ita conveniunt rebus, locis aut personis sacris ut Ecclesia non possit iis renuntiare. Ita, e. g., actus profani peccaminosi ita locum sacrum dedecent ut illos Ecclesia permittere ibidem non possit; item simultaneitas cultus haeretici et catholici ita videtur locum sacrum dedecere ut, nisi extraordinariae concurrant circumstantiae tolerari, salva morali integritate, non possit; ita etiam servitium militare, *armis arreptis,* ita videtur repugnare clericis *in sacris* ut illud Ecclesia, nisi extraordinariae prorsus habeantur circumstantiae, permittere non possit etc.

Praeter iura ista nativa quae Ecclesiae certo competunt ex iure divino, sive praeceptivo sive permissivo; - quaedam alia sunt, quae de se, ex sola rei natura considerata non stricto iure competunt Ecclesiae, licet valde

---

[1] Cc. 100, § 1; 218, § 2; 1556: 2343, § 1; Wernz, *l. c.*, V, 293; Cavagnis, *l. c.*, II, 190*, 193*.

[2] Cfr. Vermeersch, *Epitome iuris canon.* I, 198, 3; Chas. Augustine, *l. c.*, II [3], pag. 65.

[3] Cfr. c. 4, X, III, 49; c. 3, III, 13, in VI°; c. 3, III, 13 in Clement.; c. 2, II, 2, in Septimo.

[4] Cfr. Wernz, *l. c.*, III, n. 146, III, *b*; Rivet, *Iuris eccl. priv. suppl.*, pag. 44; cfr. tamen etiam Cavagnis, *l. c.*, vol. III, n. 383 et sq., praesertim vero 391-393 iunct. vol. II, n. 164*.

convenientia seu congruentia sint et datis temporibus fieri etiam possint necessaria. Huiusmodi, plurima enumerari possunt. Ita, e. g., per se non repugnat e loco sacro reum extrahere ad ipsum puniendum, quia huiusmodi extractio est actus virtutis iustitiae quae in loco sacro fieri non repugnat, convenit tamen ut haec extractio limitetur et, datis in casibus, prohibeatur ob reverentiam loco sacro debitam [1]. Item per se non repugnat personas sacras inferioris ordinis legibus civilibus, relate ad bona non ecclesiastica, sed patrimonialia et munera civilia, salva libertate et obedientia Ecclesiae debita, in his quae necessaria sunt ad finem spiritualem, ligari, licet maxime congruat ad finem Ecclesiae facilius obtinendum, ut huiusmodi personis aliquid amplius concedatur, e. g., exemptio a tributis civilibus, a muneribus non quidem sordidis, at minus personis sacris convenientibus, et a sacro ministerio distrahentibus, etc. Ista autem omnia *proprio nomine immunitates* appellantur.

2° *Limitatio immunitatum.* - Cum circa plurima quae Ecclesiae competunt non conveniant auctores utrum eidem conveniant ut iura nativa seu ex stricto iure divino, an ex iure *formaliter* humano cum fundamento tamen in iure divino, iudicium ultimum hac de re ad Ecclesiam pertinet, sive agitur de iure interno determinando, ut, e. g., utrum ministri sacri hanc vel illam actionem in loco sacro facere possint [2] sive de iure externo [3]; quia in priori casu evidenter Ecclesiae est determinare pro locis et pro personis sibi subiectis quae deceant vel dedeceant; in altero casu, quia Ecclesia vi potestatis indirectae, saltem si agitur de Statu catholico, ius habet impediendi ex fine spirituali exercitium iurisdictionis etiam laicalis.

Duobus vero modis hac in re procedere potest Ecclesia; aut *potestate magisterii*, quae infallibilis est, *aut potestate imperii* prout vel simpliciter declarat *magisterio authentico* et infallibili, si declaratio ex cathedra habeatur, has vel illas exemptiones a lege qualibet rebus vel personis vel locis sacris competere, ut ius nativum, a Deo positive vel naturaliter concessum; vel vi iurisdictionis seu potestatis indirectae, si agitur de rebus temporalibus sibi non directe subiectis; vel vi potestatis directae, si agitur de rebus sibi directe subiectis ut locis et rebus consecratis, et novo limite determinat positive quid deceat quidve res, loca aut personas sacras dedeceat [4].

152. — III. Solutionis propositio. - His animadversionibus praemissis et immunitatibus ad illas exemptiones restrictis, quae non ex natura rei vel ex claro iuris divini fonte oriuntur, iam quaestio

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, *l. c.*, III, 49, n. 23.
[2] *Immunitas localis*, cfr. c. 1178.
[3] E. g. *ius asyli* de quo in c. 1179.
[4] Cfr. Wernz, *l. c.*, V, 262-263.

de natura iuridica immunitatum ecclesiasticarum facillime solvitur. Dicimus ergo:

a) *Non a iure formaliter divino.* - Immunitates ecclesiasticae qua tales non sunt *formaliter* ex iure divino. Dicimus *non sunt formaliter*, quo intelligimus, ius divinum has vel illas immunitates non statuere nec determinare. Hac assertione non negamus ius divinum exemptiones determinare, sed *immunitates* reduplicative acceptas. Quod enim ius nativum statuit et determinat, a rei natura prout haec a Deo constituta est procedit et non immunitas proprie vocatur, sed potius ius nativum.

b) *Formaliter ex iure ecclesiastico vel civili.* - Immunitas ecclesiastica eo ipso quod immunitas est (exemptio ab onere communi valide de se imposito) *formaliter* a iure ecclesiastico est, vel a iure civili. Dicimus autem *formaliter*, qua assertione intelligimus omnes immunitates in sua specie determinari a iure humano vel ecclesiastico vel civili; quod supposita notione immunitatis a nobis data evidens est; si enim a Deo esset statuta et specifice determinata immunitas, lex civilis contra ipsam irrita esset ipso facto, et illa exemptio non esset stricte dicta immunitas.

c) *Fundamentaliter ex iure divino.* - Sunt tamen immunitates *originaliter* seu *fundamentaliter* ex iure divino, quod duplici sensu verum est. Primo, quia ex iure divino maxime congruit immunitates stricte dictas positive determinari; decet enim res, personas et loca specialiter Deo dicata ab oneribus communibus eximi; deinde, quia Ecclesia, immunitates directe concedendo aut eas a Statu concessas ratihabendo et canonizando, potestate indirecta vel directa sibi utique ex iure divino competente, procedit [1].

153. — IV. **Probatio solutionis propositae.** - Hoc modo proposita solutio quaestionis facile probatur. - Ea admittenda est opinio de natura iuridica immunitatum ecclesiasticarum quae naturae earum maxime convenit; immutationes quas temporum progressu passae sunt immunitates optime explicat - et documentis ecclesiasticis valde commendatur. At huiusmodi est solutio proposita.

Probatur minor:

a) Proposita solutio valde convenit naturae immunitatum. - Sunt enim immunitates exemptiones ab oneribus communibus impositis lege civili; non qualicunque lege, sed lege valida in se et obligante, quae proinde ex se ligare posset res, personas et loca sacra. Cum autem lex illa civilis,

---

[1] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, II, n. 164*; Rivet, *Quaestiones iuris eccl. publ.*, pag. 218, 2; Wernz, *l. c.*, III, n. 146, III; et V, n. 294.

quatenus ad sacra se refert, minus congruat, Ecclesia potestate divina indirecta qua pollet, res, personas aut loca sacra eidem subtrahit et exempta seu immunia constituit, ipsa quidem *formaliter*, cum fundamento tamen in iure divino, modo supra explicato.

b) Solutio proposita immutationes historicas optime explicat. - Cum congruentia qua clericis, locis et rebus sacris res aliqua convenit, variare possit et esse maior vel minor pro locorum vel temporum circumstantiis, etiam facile intelligitur Ecclesiam se austeriorem aut mitiorem ostendere posse in vindicandis sibi immunitatibus, si admittatur generatim *formaliter* esse iuris ecclesiastici immunitates ipsas. Ita, e. g., facile ab omnibus intelligitur Ecclesiam severiorem fuisse medio aevo quam nostris diebus in iure asyli sibi vindicando, quia tunc iustitia et processus criminalis valde imperfecta erant.

c) Denique nostra theoria optime commendatur documentis magisterii ecclesiastici. - Huiusmodi documenta plura habentur quorum quaedam negative determinant immunitates ecclesiasticas non esse ex iure civili [1]. Alia vero positive statuunt Ecclesias, ecclesiasticasque personas et res *non solum iure humano, quinimmo et divino*, immunes esse [2]; vel *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam* esse [3]. Quae documenta optime conveniunt nostrae theoriae qua affirmatur immunitates esse *iuris divini originarie, formaliter iuris ecclesiastici;* nec probari potest mentem fuisse Ecclesiae in illis documentis aliquas immunitates repetendi ex iure divino, alias ex iure humano seu canonico, documenta enim generaliter de omnibus loquuntur immunitatibus, easque omnes ex iure humano pariter ac divino repetunt; quo excludunt a notione immunitatum iura illa quae Ecclesiae formaliter ex iure divino competunt, quaeque melius quam immunitates iura nativa appellantur.

Nec quis hanc nostram theoriam reprehendere potest, quod nova sit. Licet enim forte aliquid novi et melius determinatum habeatur in terminologia, quod non negamus, doctrina tamen sat communis est inter doctores catholicos, praesertim inter recentiores qui fere omnes citari possunt pro nostra theoria [4].

Immo et terminologia licet aliquatenus fluctuans adhuc sit, tamen huc tendere iam videtur ut clare secernantur immunitates ecclesiasticae a iuribus nativis Ecclesiae [5].

---

[1] Cfr. Proposit. 30 Syll. Pii X : *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit,* et propos. 31 et 32 apud Denzinger-Bannwart, 1730-1732.

[2] Cfr. c. 4, II, 20, in VI.

[3] Cfr. Concil. Trident. sess. XXV, cap. 20 *de reformat.* etc.

[4] Cfr. Maroto, *l. c.*, 512; Vermeersch, *Epitome iuris can.* I, n. 197-198; Wernz, *l. c.*, II, n. 168 nota 124; III, 146, III; V, 294; Cavagnis, *l. c.*, II, 162*-172*; Rivet, *Quaestiones iuris eccl. publ.*, pag. 216; Cappello, *l. c.*, I, pag. 470-476; Vecchiotti, *l. c.*, II, pag. 189-190; Choupin, *l. c.*, pag. 290-293; De Angelis, *l. c.*, II, part. II, pag. 277-284, et plures alios apud istos citatos.

[5] Ita praesertim cl. Wernz loquitur de iuribus nativis Ecclesiae circa bona ecclesiastica proprie dicta et nonnisi per accidens ex connexione materiae de horum bonorum exemptione a tributis loquitur ubi de immunitatibus realibus. Cfr. Wernz, *l. c.*, III, n. 146, III, iunct. n. 135; item Rivet, *Quaest. iuris eccles. p.* pag. 214 iunct. Rivet, *Iuris eccles. privat. suppl.*, pag. 40.

Alii item auctores iura nativa distinguunt ab immunitatibus stricte dictis; quod si non ab omnibus terminologia univoca adhibetur, id etiam ab aliquali dissonantia opinionum circa naturam immunitatum pendet [1]. Denique in Codice sermo non occurrit de immunitatibus realibus, bene vero loquitur de iure Ecclesiae nativo bona temporalia independenter a Statu acquirendi et administrandi [2].

§ 4. — *Quaestiones quaedam particulares.*

154. — Occasione quaestionis de immunitatibus ecclesiasticis solent auctores quasdam quaestiones speciales difficiliores cum immunitatibus intime connexas, et maioris momenti pro praxi, perscrutare.

Ne difficultates effugere videamur aliquid et nos de his quaestionibus particularibus, videbimus.

I. **De exemptione seu immunitate clericorum a servitio militari.** - Circa hanc personarum ecclesiasticarum exemptionem seu immunitatem non conveniunt in omnibus catholici utrum inter iura divina nativa an inter stricte dictas immunitates haec exemptio statuenda sit. Circa quod haec adnotamus:

1° Ex iure divino nativo certo a servitio militari exemptus est Romanus Pontifex, ut ex ipsius absoluta independentia a qualibet humana potestate evidenter patet [3]. Eodem iure, ut certo videtur, sunt exempti Episcopi et Sacerdotes; est enim repugnantia absoluta inter officia artis militaris et officia divina quibus proxime et directe Episcopi et Sacerdotes mancipantur. Isti igitur non solum immunes sunt immunitate stricte dicta, sed etiam iure nativo consequenti ipsorum ordinationem, qua ad officia divina deputantur [4]. Quia tamen forte in hoc iure divino agnoscendo non omnes conveniunt auctores [5], R. Pontifex poterit, si extraordinariae concurrant circumstantiae, et id absolute bonum publicum postulaverit, dispensare [6]. Quod dicitur de stricto iure divino Episcopos et Sacerdotes eximente a servitio militari, de eodem servitio stricte dicto, seu de servitio quod usum armorum supponit intelligimus, non vero, eodem rigore, de servitio non stricte militari, licet in bello forte exercito, ut, e. g., de officio infirmarii et vulneratorum vectoris et multo

---

[1] Cfr. e. g. Cavagnis, *l. c.*, 146* et III, 382-397.

[2] Cfr. cc. 1495 et 1499.

[3] C. 218, § 2.

[4] Cfr. Vermeersch, *Epitome iuris canonici*, I, n. 198, 3.

[5] Cfr., e. g., Chas. Augustine, *l. c.*, II [3], pag. 64-67.

[6] Cfr. c. 2, X, III, 49; De Angelis, *l. c.*, t. II, part. II, pag. 381; Hilarius a Sexten, *De censuris ecclesiast.*, pag. 336; Pirelli, in *Lessico ecclesiastico illustr.*, Vallardi, v. *Milizia.*

minus de officio Cappellani castrensis; ista enim per se prohiberi clericis non videntur, salvo iure Ecclesiae suos ministros etiam ab his oneribus eximendi; ista enim licet aliquam deordinationem sapiant, per se non opponuntur statui clericali, quippe quae actus virtutis important [1]. Attamen etiam quod ista servitia spectat, cum iure merito ab Ecclesia omnes clerici exemptionem hac in re obtinuerint, nequit Status sua auctoritate ad haec servitia praestanda clericos cogere independenter ab Ecclesia, ne sub praetextu quidem servitii religiosi et exercitii cultus concedendi militibus [2], quia, licet servitium religiosum in exercitu catholico necessario statuendum sit et ordinandum, id tamen non a Statu faciendum, qui est omnino incompetens in iis determinandis quae ad finem supernaturalem et ad cultum etiam externum diriguntur, sed Ecclesiae committendum est, cuius in his rebus potestas indubia est [3].

155. — 2° Iure Codex canonicus eximit a servitio militari omnes clericos et religiosos, necnon alumnos qui se ad ordines sacros aut ad professionem religiosam quomodolibet praeparant [4].

Haec Romani Pontificis seu Ecclesiae potestas non est hoc loco demonstranda, cum directe profluat ex notione *independentiae* et *potestatis indirectae*, de qua alibi fuse loquuti sumus. Hic potius quaedam adnotanda sunt de congruentia quae suadet Romano Pontifici ut hanc immunitatem constituat et etiam nostris diebus retineat et exigat, praesertim quod ad alumnos seminariorum et religionum pertinet.

a) Tales alumni non sunt utique adhuc Deo ordine presbyteratus consecrati, quo probabiliter ipso iure divino a militia exempti essent, ut supra diximus; at ad hoc tendunt ut rite ad hoc officium exercendum praeparentur. Hoc autem officium rite exerceri nequit, ut per se patet, sine magnarum ornamento virtutum, praesertim vero mansuetudinis, pietatis, charitatis, castitatis necnon scientiae sacrae simul et profanae, quae omnia nemo uno temporis ictu acquirere potest, sed potius magnam et diuturnam requirunt praeparationem. At quis serio asseruerit optimum modum aut saltem aptum modum haec ornamenta virtutum et scientiarum acquirendi, in iisque ad hanc acquisitionem perficiendam sese exercitandi esse in castris, aut in praesidiis aut etiam simpliciter inter militares ludos vitam degere? Quinimmo de contrario certo certius constat, vitam nempe militarem de se optime aptari vitiis potius illis virtutibus contrariis gignendis et nutriendis, ut cotidiana experientia constat. Nemo igitur qui religionis destructionem, religio enim sine ministris aptis haberi nequit, nec ministri apti sine apta

---

[1] Cfr. Leitner, *Handbuch des Kath. Kirch. Rechts*, pag. 202, IV; Gasparri, *De sacra ordinatione*, 541; Reiffenstuel, *l. c.*, III, 39, n. 235; Ferraris, *l. c.*, v. *Immunitas ecclesiastica*, art. I, n. 7.

[2] Cfr. c. 121, 141 et c. 614.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, III, n. 172.

[4] Cfr. cc. 121, 614, 680; S. C. Constit. Decret. « *Redeuntibus* » 25 Oct. 1918.

praeparatione, non quaerat, negare poterit rationes gravissimas haberi quibus Romanus Pontifex, etiam, et praesertim, nostris diebus, quia periculosior nunc est quam antiquitus vita militaris, movetur ad hanc immunitatem confirmandam et absolute exigendam a Statibus civilibus.

Has congruentias, quae maximi sunt valoris, praesertim si praxis etiam attendatur, viderunt et fassi sunt etiam plures ex liberalistis modernis et ipse Camillus Cavour minister italicus, qui in sessione Camerae deputatorum Taurinensis, 21 Maii 1853, declaravit: « Mihi res non dubia apparet, exemptionem a conscriptione militari conditionem esse sine qua non, ut societati necessarius sacerdotum numerus provideatur. Quod cum verum sit, princeps obiectio fieri solita, quod haec exemptio privilegium sit, evanescit; non enim clerico haec exemptio conceditur in sui commodum, sed eidem in commodum societatis datur, ut nempe, societas numerum necessarium sacerdotum habeat » [1].

Has congruentias agnoverunt omnes fere gentes etiam barbarae [2] et agnoscunt adhuc nostris diebus nationes civiles quae odio contra religionem non moventur, ut Belgium, Anglia etc. [3]. E contra, pro dolor! leges nullam aut fere nullam exemptionem pro clericis agnoscentes vigent in nostris catholicis regionibus et in Gallia; quod certe apud exteros catholicos nostram gentem non valde commendat; nec item valde commendat libertatem gubernii nostri [4].

b) Nec aliquid contra probant quae liberalistae et increduli, omne genus, ad suum adversus religionem odium tegendum obiiciunt ex aequalitate omnimoda inter cives eiusdem Status servanda, vel quae dicunt de privilegiis abolendis et de oneribus aequaliter distribuendis. - Haec, inquam, nullius sunt roboris; etenim aequalitas perfecta inter cives omnino repugnat, sicut et in ipso exercitu; quid enim si omnes ut duces militare vellent, quid si omnes armis pugnare, aut omnes in stationibus et praesidiis, aliisque operibus tempore belli adlaborare vellent? Nec enim omnes etiam tempore belli arma arripiunt.

Privilegium quod ad bonum ipsius societatis conceditur non stricte rationem habet privilegii sed potius legis, quia ad bonum publicum societatis tendit ut ipse Minister Cavour ex verbis allatis confessus est. Tale autem est privilegium quo clerici a servitio militari eximendi sunt; talis enim exemptio tendit ad cultus exercitium perpetuandum sine quo ipsa civitas corruit. Quodsi necessitas extraordinaria sit, poterit utique Status eam Ecclesiae aperire quae, meliori quo fieri potest modo, subveniet permittendo ut clerici, necessitate extraordinaria durante, servitiis bellicis, vocationi clericali minus incongruentibus adhibeantur; at id Status non nisi iniuria, suo marte, sine dependentia ab Ecclesia, quae una potest de suis necessitatibus iudicium ferre, facere potest.

Quae vero obiiciunt de utilitate quae clericis offertur ad dignoscendam

---

[1] Cfr. has et alias etiam aliorum liberalistarum declarationes apud Scavini, *Theologia moralis universa*, ed. 10, t. IV, n. 252; vel apud Cappello, *l. c.*, II, pag. 164-168 et 183-189.

[2] Cfr. Hinschius, *l. c.*, I, pag. 26; et 123-124.

[3] Cfr. Vermeersch, *l. c.*, I, n. 195; Hinschius, *l. c.*, I, pag. 125-127; Leitner, *l. c.*, pagin. 202, IV[a], ubi legislatio quod ad hoc vigens in variis Germaniae Statibus exponitur.

[4] Cfr. quae habet Vermeersch, *l. c.*

veram a falsa vocatione clericali, dum servitio militari incumbunt, tam lepide dicta esse videntur ut directa confutatione indigere non videantur. Facta enim probant optimas etiam vocationes hoc modo naufragium pati et nemo est qui nesciat morborum contactum medium esse non ad sanitatem forte debilitatam aut languentem acquirendam aut firmandam, sed potius ad ipsos morbos contrahendos et sanitatem minandam, ut quotidiana, lippis et tonsoribus nota, experientia conspicimus. Quis enim serio affirmaverit optimum modum ad corpus roborandum et vires acquirendas esse cohabitationem in nosocomio cum infirmis morborum quam maxime infectivorum? Utique per accidens aliquando evenire poterit ut aliquis tam forte membrorum compaginem sortitus sit ut, ne ibi quidem, morbos contrahat, periculis non obstantibus; at quisnam ex hoc deducere velit illum locum esse maxime salutiferum?

Deinde iudex competens ad iudicandum quodnam sit medium aptum ad clericos instituendos non est Status, vel respublica civilis, sed Ecclesia seu respublica ecclesiastica.

Adde auctores esse qui affirmant legem conscriptionis generalis omnibus onus militiae imponentem legem de se iniustam esse, etiam pro aliis, non clericis [1].

156. — II. De Romani Pontificis omnimoda exemptione a qualibet humana auctoritate. - Occasione quaestionis de immunitatibus ecclesiasticis solent auctores de absoluta Romani Pontificis exemptione a qualibet humana potestate loqui. Quaedam et nos hic de hac quaestione addenda putamus.

1° Romanum Pontificem nulli subesse temporali potestati, iure divino naturaliter consequenti ipsam Primatus institutionem, res videtur quae inter catholicos extra controversiam versatur [2]. Audiatur Bonifacius VIII qui in celeberrima Constitutione « *Unam Sanctam* » inter alia haec habet quae ad nostram pertinent quaestionem: *Si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritalis minor, a suo superiori: si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante apostolo: Spiritalis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur* [3]. *Est autem haec auctoritas (etsi data sit homini et exerceatur per hominem) non humana, sed potius divina ore divino Petro data, sibique, suisque successoribus in ipso...* [4].

Ex quibus patet hic improprie sermonem esse de immunitate Romani Pontificis, iuxta nostram immunitatum definitionem, quia ista

---

[1] Cfr. Noldin, *De praeceptis*, [15], n. 319, a.

[2] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, II, n. 190*-193*; Wernz, *l. c.*, V, n. 293; Cappello, *l. c.*, I, pag. 476-480.

[3] I *Corinth.* II, 15.

[4] C. 1. I, 8, in extravag. com.

exemptio, cum ex iure divino procedat, *ius* potius *nativum* appellanda esset.

Dicimus autem ius nativum esse ipsum ius exemptionis, quia de se necessarium est Romano Pontifici ad eius Primatum; quod non eodem rigore de eiusdem iuris exercitio affirmamus. Iuris enim exercitium deficere potest et, casu quo deficiat, Deus aliis modis extraordinariis, nihil enim ipsi impossibile est, Ecclesiae suae subvenire potest et de facto saepe saepius subvenit, tempore praesertim persecutionum. At etiam illis temporibus ius fuit Romano Pontifici sese legibus et potestati civilibus subtrahendi, sicut homini cuilibet ius est propriam vitam tuendi, etiam cum ab aggressore iniusto occiditur. Haec enim iniuria non iure fieri quilibet agnoscit.

157. — 2° *Probatur.* - Hoc autem ius omnimodae immunitatis seu exemptionis a civili qualibet potestate Romano Pontifici, iure divino consequenti, concessum esse ex ipsa Primatus institutione et ex independentia Ecclesiae eiusque indirecta in Statum civilem potestate probari facile potest.

Christus enim Ecclesiam prorsus independentem et indirecte Statu civili superiorem creavit; at haec absoluta independentia deficeret si unus saltem non esset in Ecclesia qui legibus civilibus ligari non posset. At si quis debet exsistere, qui huius omnimodae independentiae subiectum sit, certe is erit qui a Deo primas omnium fidelium et pastorum constitutus est, cuiusmodi est R. Pontifex. Et re sane vera, si nemo esset in Ecclesia qui a legibus civilibus prorsus exemptus esset, qua ratione affirmari posset Ecclesiam omnino independentem esse? Licet enim speculative loquendo id verificari posset, nempe, Romanum Pontificem esse liberum et independentem quod ad spiritualia, subditum vero et dependentem a republica civili quod ad temporalia, de facto tamen id admitti nequit, quia necessario conflictus orirentur et, conflictu exstante, libertas etiam in spiritualibus facile coarctaretur, eo vel maxime quod Ecclesia vi armata non utitur. Si quaeratur igitur quaenam positio iuridica personae Romani Pontificis qua talis ex Christi institutione, recte responderi potest istam positionem recte definiri dicendo Romanum Pontificem regali pollere dignitate in qualibet mundi plaga seu ipsum regem esse et ut talem agnoscendum esse ab omnibus. — Quo tamen non affirmatur reges omnes ipsi subesse in temporalibus, sed solummodo, dicitur Romanus Pontifex ab ipsis regibus ligari non posse. Est igitur immunitas Romani Pontificis ius independentiae (*sovranità*) personae ipsius inhaerens eumque ubique terrarum sequens. Ex quibus hoc etiam apparet quam providentissime Deus, transactis saeculis, disposuerit Romanum Pontificem terreno etiam principatu pollere.

Deinde, si diceretur Romanus Pontifex subiici potestati saeculari, et solummodo ex immunitate proprie dicta ab ea eximi, quaestio occurreret de origine iuridica illius immunitatis, quae certe ab alio quam ab ipso originem habeat oportet; nemo enim a lege non sua, cui est coactive subiectus,

seipsum iuridice subtrahere potest. Dicendum igitur esset hanc immunitatem a Statu concessam fuisse, qui sicut potuit concedere ita et auferre eam posset; at id prorsus incongruum est Romanum Pontificem caput Ecclesiae subiici necessario Principi saeculari, cum id non necessario accidat aliis clericis inferioribus. Incongruum pariter esset, Romanum Pontificem, qui, ut supra probavimus, aliis immunitates concedit, subditum esse principum et immunitate non gaudere, in iis rebus in quibus ipse alios eximere potest a potestate principum.

Tandem, R. Pontifex in exercitio suae missionis religiosae qua fungitur, quaeque ipsi a Deo collata est, ut ea bene et fructuose fungatur, liber prorsus et independens esse debet non solum, sed etiam liber et independens omnibus populis et nationibus apparere, ne videatur, praetextu missionis religiosae, commodis et utilitatibus temporalibus Status, cuius legibus eum subdi contingat, deservire; quae res maximum damnum bono spirituali afferre consuevit. At huiusmodi libertas et absoluta independentia etiam in rebus spiritualibus concipi nequit nisi etiam in temporalibus supremus Primas in Ecclesia exemptionem omnimodam a civili qualibet auctoritate consequatur. Si enim aliter fieret, res publicae civiles semper suspicionem ingererent quod Romanus Pontifex iurisdictionis suae spiritualis exercitium bono temporali reipublicae in qua residet, et cui coactive subditur subordinet [1]. Quapropter optime affirmatur in *Codice iuris canonici* esse a qualibet humana potestate independentem [2].

158. — 3° *Limitatio huius exemptionis.* - His tamen minime affirmamus Romanum Pontificem esse prorsus exemptum *a qualibet auctoritate;* sed solum a qualibet auctoritate humana qua tali, quae ipsum proinde tangere nequit. Ipse vero subditur et ligatur legibus divinis et naturalibus, quibus praecipitur principem ad suas leges servandas ligari, quoties id suae dignitati non repugnet, et bonum publicum id exigat. Hac igitur obligatione, hoc modo limitata, tenetur etiam Romanus Pontifex leges civiles servare; at, ut patet, haec obligatio non est ex lege civili, qua tali, nec proinde ab auctoritate civili puniri potest, sed eius punitio, si non servet, iudicio Dei unice reservatur. Hoc sensu intelligendum est quod supra ex Bonifacio VIII retulimus ex bulla « *Unam sanctam* ». Hoc intelligunt auctores cum asserunt Romanum pontificem immunem esse a potestate coactiva civili, non a directiva, quia haec altera ei non repugnat.

---

[1] Hoc quam verum sit videri potest ex multis factis quibus zelotypia unius Status erga alium demonstratur. Adhuc nostris diebus homines etiam acatholici apertis oculis Vaticanum conspiciunt et zelotes erga Statum italicum fiunt, si R. Pontifex aliquali benevolentia gubernium istius nationis intra cuius fines residet prosequatur, quod tamen semper verum non est. Cfr., e. g., Ephemeridem catholicam « *Il Cittadino* » Genuae impressam die 24 Sept. 1922 ubi refutantur insinuationes variae a quodam Wladimiro Poliakoff russiaco, viro ceteroquin acatholico, qui tamen his apprehensionibus non parcit.

[2] Cc. 218, § 2; 1556.

Quodsi aliquando R. Pontifex sese iudicio principum civilium submisit, aut declaravit se subiectum esse quod ad temporalia, id de *iudicio discretionis, non* de stricte dicto *iudicio iurisdictionis seu coactivo* intelligendum est. Cum enim ipse sit summus Pontifex, cui a Deo exemptio a qualibet humana potestate data est, nequit vero alterius iudicio se submittere, quia illa submissio mutationem iuris divini importaret. Quodsi facta afferantur quibus submissio Romani Pontificis indicio hominum probari videatur; illa facta aut eodem modo de *iudicio discretionis* intelligenda sunt, non de iudicio vere coactivo, cui iudicio discretionis Romanus Pontifex sponte sese subiecerit; vel explicantur distinctione inter Romanos Pontifices legitime electos et intrusos seu usurpatores aut etiam usurpatione principum qui contra ius in Romanos Pontifices iura usurparunt et exercuere. De ipsa vero exemptione a qualibet humana auctoritate iam primis saeculis testimonia habentur. Audiatur unus Gelasius I, a. 498: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi; nec cuipiam de eius liceat iudicare iudicio* [1].

159. — III. **De Romani Pontificis dominio temporali.** - Maxime connexa cum quaestione de R. Pontificis omnimoda exemptione et independentia a qualibet humana potestate est quaestio de S. Sedis dominio temporali seu civili. De ea quaedam et nos innuimus.

1° *Liceitas seu honestas principatus civilis.* - Compatibilitas temporalis principatus cum spirituali res extra controversiam est inter catholicos. Etsi enim repugnet rei temporali uniri rem spiritualem ut aliquid accessorium, quia quod superius est prius attendendum est, deinde quod inferius; non repugnat tamen contrarium nempe rem temporalem, ut accessorium accedere rei spirituali, eique deservire. Ideo Pius IX hanc propositionem damnavit: *De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii* [2]. Est igitur doctrina ista de liceitate seu compatibilitate utriusque potestatis doctrina catholica, quae, accedente definitione sollemni ex cathedra dogmatice definiri posset ab Ecclesia; quia saltem implicite in revelatione divina continetur [3].

---

[1] C. 17, C. IX, qu. 3; cfr. etiam cc. 10, 13, 14, 15, 16, eadem C. et eadem qu.; et etiam Cappello, *l. c.*, pag. 476-480 et *Chiesa e Stato* (1910), pag. 225-228; Cavagnis, *l. c.*, II, n. 190* 193*; Wernz, *l. c.*, V, n. 293; II, n. 609; III et 617 ubi in nota recte reprehendit interpretationes iuridicas quibus Hinschius (*Das Kirchenrecht der Kath. und Protest.*, I, pag. 296 sq.) facta historica depositionis Constantini II, a. 768, Anastasii, a. 855, et Ioannis Philagathi XVI, a. 998, explicare tentat ad ius divinum Primatus Romani Pontificis negandum; Chelodi, *l. c.*, 109: cfr. etiam utiliter quae habet Chas. Augustine, *l. c.*, ad calcem I, pag. 227-246, *The Apostolic See.*

[2] Prop. 75, Syll. Denzinger-Bannwart, n. 1775, cfr. etiam n. 1727 et 1776.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, I, n. 401-402 et 633-634 et III, n. 452; Wernz, *l. c.*, II, n. 601.

160. — 2° *Notae historicae.* - Romanis imperatoribus ad fidem christianam conversis statim sedes caput imperii Romani Constantinopolim seu Bizantium translata est, et Apostolicae Sedi Romanae plures possessiones ac dominia tum ab imperatoribus conversis, tum a Christifidelibus donata sunt. His possessionibus non solum terrae seu fundi proprie dicti, sed etiam plures familiae servorum cultui agrorum perpetuo addictorum comprehendebantur, qui proinde, illis donationibus, Ecclesiae servitio destinati sunt. Accessere barbarorum invasiones contra quas populus romanus ad imperatores orientales preces porrexit pro auxilio, at saepe saepius non obtinuit et suae sorti derelictus est. Ita Romani imperii in Italia dissolutio parabatur et Ecclesia, iuvenili robore, suam pariter parabat organizationem. Populi ita ab imperatoribus et hesarchis graecis derelicti ad RR. Pontifices recurrebant, qui eorum necessitatibus subvenientes, saepe saepius totam curam temporalem una cum spirituali in se suscipiebant. Non habebatur tamen adhuc dominium temporale proprie dictum.

Huiusmodi fere conditionem in Italia et praesertim Romae invenit S. Gregorius M. (590-604) cum creatus est Romanus Pontifex, vir in rebus agendis maxime versatus et sanctitate vitae commendatus; fuerat enim antea praetor Urbis, deinde monachus, Abbas et, Pelagio II Romano Pontifice, unus ex septem diaconis Urbis, ac tandem ab anno 579 ad 584 legatus Romani Pontificis ad Curiam imperialem Bizantinam. Pontifici electo populi magna devotione recurrebant, ita ut ipse conquereretur quod officium principis civilis cum officio pastoris spiritualis cumulare cogebatur.

Saeculo VIII, eiectis ab Italia graecis haeresi iconoclasta infectis, in Italia actum est de restaurando imperio romano, cui restaurationi sese opposuerunt, pro bono pacis, Romani Pontifices. His tamen non obstantibus, sensim sine sensu Romani Pontifices, praesertim ex necessitate communitatis, quae suae sorti ab imperatoribus relicta fuerat, et partim ex populi electione, facti sunt principes civiles ob impotentiam et ignaviam imperatorum qui Italiam nimis neglexerant. Tempore invasionum Longobardorum RR. Pontifices videntur iam exercuisse plenum dominium temporale ex eo praesertim quod contra invasores sua iura tueri coeperunt et protestati sunt. Iura Sanctae Sedis defenderunt Pipinus et Carolus M., qui, Longobardis expugnatis, Romano Pontifici *iustitiam S. Petri* restituerunt, atque alia etiam dominia addiderunt. Romani Pontifices, e parte sua, Pipino et Carolo M. titulum *patricii romani* primum et deinde, Carolo Magno, *imperatoris romani* concesserunt, qui tamen tituli nullam in territorio S. Sedis, dominationem importabant. Sub fine saeculi XI, dominio Sanctae Sedis iam satis amplo accessit donatio Comitissae Mathildis, quae donatio, post varias contestationes, ab imperatore Friderico II, agnita est.

Sanctae Sedis dominii liceitatem et honestatem saeculo XV impugnata est a Wicleffo et Huss [1].

Practice autem impugnari coeptum est dominium temporale Sanctae Sedis primum a Gallia, in violenta usurpatione, et deinde in pace Tolentina Pio VI (a. 1797) imposita, tum iterum a Gallia et ab Austria in congressu Viennensi (a. 1815); novissime vero adnexionibus et occupationibus a gu-

[1] Cfr. Denzinger-Bannwart, n. 684.

bernio pedemontano et italico patratis, contra quae omnia R. Pontifex semper protestatus est [1].

161. — 3° *Legitimitas.* - Legitimitas dominii temporalis Sanctae Sedis est evidenter probata ex iis quae hucusque de eiusdem honestate et historia diximus. Supposita enim compatibilitate dominii temporalis cum suprema potestate ecclesiastica, apparet evidenter eiusdem dominii legitimitas, si probari possit Romanum Pontificem illud iure, non iniuria, obtinuisse. At hoc facile probatur. Modi iure obtinendi aliquod dominium politicum varii numerari possunt, ut bellum iustum, libera populi electio, necessitas subveniendi communitatis seu societatis commodis et necessitatibus, donatio legitimi principis. Hi autem modi omnes, partialiter saltem, in acquisitione dominii temporalis Sanctae Sedis ex parte Romanorum Pontificum, ut ex iis quae supra, in notis historicis, diximus patet. Quaedam enim acquisivit Sancta Sedes ex electione populi romani et aliarum civitatum qui, ut sibi consuleret, cum ab imperatoribus graecis derelictus fuisset, Romanos Pontifices principes etiam civiles agnovit; alia vero acquisivit S. Sedes ex donationibus Pipini et Caroli M., necnon, serius, comitissae Mathildis. Accedit etiam ratio quod ista dominia maiori firmitate firmentur quam alia, ex fine praesertim quo donata sunt, et ad quem diriguntur; est autem iste finis utilitas temporalis fidelium subditorum non solum, sed et utilitas spiritualis totius Ecclesiae; ex quo fit ut haec dominia, ut aliquid spirituali adnexum considerari possint et debeant et eorumdem violatio specialem induat malitiam sacrilegii [2].

Legitimitatem ergo dominii temporalis Sanctae Sedis, ut factum historicum absoluta certitudine demonstratum, considerare debemus, quam in dubium revocare nemini, sine magna audacia, licebit. Hoc et Paulus Hinschius, vir ceteroquin potestanticus, recognoscere non detrectat, ait enim: « Si res iuridice consideretur, habet Romanus Pontifex ius in suum dominium temporale aeque bene fundatum ac ceteri nunc imperantes principes » [3].

162. — 4° *Convenientia et necessitas.* - *a*) *Convenientia* dominii temporalis Sanctae Sedis ex eo praesertim apparet quod principatus civilis optimum medium est ad actuandam independentiam et li-

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, 611; Hergenröther-Kirsch, *Storia universale della Chiesa*, II, pag. 404 sq.; Cavagnis, *l. c.*, III, 429-440; Cappello, *l. c.*, I, pag. 481-484.

[2] Cfr. Bargilliat, *Praelectiones iuris canonici*, [31], I, n. 475; Wernz, *l. c.*, II, n. 602. Sägmüller, *l. c.*, I, § 87, III; Hergenröther-Hollweck, *l. c.*, 366-367.

[3] Cfr. Hinschius, *Kirchenrecht der Kath. u. Protest.*, I, pag. 215; Cappello, *l. c.*, 484-486; Cavagnis, *l. c.*, 441-443; Wernz, *l. c.*, II, n. 602.

bertatem, quam Romano Pontifici ex iure divino, iam supra, competere vidimus. Qua in re non est certe confundenda independentia seu absoluta exemptio Romani Pontificis cum eiusdem dominio temporali, illa enim *iure divino*, hoc iure historico proprie fundatur; at procul dubio magna est inter utrumque connexio, quia ius historicum provide ordinatum est a Deo ad actuactionem exemptionis absolutae, quae ex iure divino Romano Pontifici competit [1].

b) *Necessitas absoluta* principatus civilis R. Pontificis probari nequit; immo certo ex S. Scriptura et ex historia prorsus excluditur. Christus enim promisit se Ecclesiam suam servaturum, etiam contra omnes inferi potestates [2], multo igitur magis contra humanas. Nemo contra Deum potens. Item facta historica demonstrant etiam tempore magnarum persecutionum Ecclesiam damna irreparabilia passam non fuisse [3].

c) *Necessitas* vero *moralis* seu *relativa* principatus civilis, in praesenti ordine generis humani lapsi omnino asserenda et agnoscenda est.

A) Dicimus autem asserendam esse necessitatem moralem, quo affirmamus principatum civilem esse optimum medium *ordinarium* a Deo ad Ecclesiae independentiam servandam ordinatum; licet enim Deo alia media non desint extraordinaria, et nemo contra Deum praevalere umquam possit; tamen admitti nequit media extraordinaria, ut miracula, ab ipso ut media ordinaria ad Ecclesiae libertatem tuendam ordinata fuisse; eo enim ipso quod miracula sunt, media ordinaria esse nequeunt. Medium igitur ordinarium inveniendum est, quod medium aptissime habetur in principatu civili quo realiter R. Pontifex a qualibet humana potestate eximitur.

Dicimus deinde in *praesenti ordine generis humani lapsi* quo affirmamus non solum temporibus transactis aut praesenti tempore, sed etiam futuris temporibus civilem principatum esse Ecclesiae *moraliter* necessarium [4].

B) *Probatur necessitas.* - α) *Ex independentia et exemptione Romani Pontificis.* - Omnino affirmanda est moralis necessitas principatus civilis Romani Pontif., si sine ipso R. Pontifex absoluta immunitate et independentia, quae ei iure divino competit, gaudere sine speciali miraculo vix concipi potest. At revera R. Pontifex si principatum civilem non habeat revera liber et prorsus independens esse nequit: ergo moralis haec necessitas asserenda est.

Romanum vero Pontificem sine civili principatu vera exemptione, quae ei iure divino competit, uti non posse evidenter apparet et historia docet. Etenim quilibet homo, si princeps non est in suo territorio prorsus independens, necessario subditus est in alterius territorio eiusque vi et coactioni

---

[1] Cfr. Litter. Pii IX, 26 Mart. 1860; Wernz, *l. c.*, II, 605.
[2] Matth. XVI, 18.
[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, III, n. 444; Cappello, *l. c.*, I, pag. 486; Wernz, *l. c.*, II, n. 655.
[4] Wernz, *l. c.*, II, n. 605.

necessario subest. Altera via non apparet. Nec dici potest Romanum Pontificem liberum et independentem agnosci posse a Statu in quo degit; ista enim agnitio, si habeatur, *precaria* est, non *stabilis*, qualis est independentia a Deo Romano Pontifici concessa, et sicut a Statu concessa est, et de praesenti agnoscitur, poterit in futurum non agnosci, quod certo de independentia a Christo R. Pontifici collata affirmari non potest.

Deinde talis libertas et independentia agnita Romano Pontifici a Statu, cui de iure Romanus Pont. subiicitur, ab eodem Statu ut privilegium a se concessum consideratur; at talis conceptus non est conformis doctrinae catholicae, quae Romanum Pontificem independentem (*sovrano*) non ex iure civili, sed ex iure divino [1] communissime tenet. Aptissimum igitur et optimum, pene dixi unicum, medium ad actuationem immunitatis personalis absolutae Romani Pontificis est principatus civilis, quo persona ipsius non solum consequitur iura seu privilegia maiestatica (*diritti di sovranità*), sed ipsam independentiam realem (*la stessa sovranità*) [2].

β) Romanus Pontifex debet ad suum munus Primatus in universa Ecclesia exercendum fructuose, non solum liberum revera esse, sed etiam talem *plene*, *stabiliter* et *evidenter apparere*. At talis apparere non potest, nisi civilem habeat principatum a quolibet alio Statu civili prorsus independentem; — ergo principatus civilis est ei moraliter necessarius.

Et re vera ad *plenam* libertatem requiritur ut nemo in ipsum, vi aut alio influxu, agere possit, quod quomodo fieri possit si alterius Status territorio subsit vix intelligitur. Ad *stabilem* libertatem requiritur ut illa gaudeat, non precarie ex benevolentia alicuius principis in cuius territorio forte includitur, sed in quolibet etiam difficillimo eventu, cum nempe princeps aliquis ei adversatur; quod certe in casibus difficilioribus non verificaretur, si princeps in suo territorio Romanum Pontificem vi destitutum haberet, quod aliunde et historia testatur. — Ad *evidentem* denique libertatem requiritur ut R. Pontifex omnibus fidelibus liber revera appareat; quae evidentia certe non apparet eo ipso quod alicuius principis territorio includitur et proinde eiusdem vi armatae subiicitur. Ad rem Pius IX in Allocut. 20 April. 1849: « Omnibus enim compertum est, fideles populos, gentes, regna numquam plenam fiduciam et observantiam esse praestitura R. Pontifici, si illum alicuius principis vel gubernii subiectum ac minime liberum esse

---

[1] Cfr. cc. 100, et 218, § 2.

[2] Ex iis hoc etiam apparet, legem nempe *unilateralem* qua Status italicus *iura independentiae* (*diritti di sovranità*) Romano Pontifici intra fines Status agnovit, etsi ab aliis eiusdem legis defectibus praescindimus, non sufficere ad actuationem independentiae, quae, iure divino, Romano Pont. competit, tum quia, illa lege conceduntur, non agnoscuntur iura independentiae; tum quia, iura independentiae, non ipsa independentia agnoscitur, tum tandem quia illa iura agnoscuntur ex lege Status, qui, alia lege, illam agnitionem abrogare potest. Haec tam clara sunt ut nostris diebus ipsi deputati et ephemerides liberalistae *ministeriales* Status italici inutilitatem illius legis (*delle guarentigie*) ad solutionem sic dictae *quaestionis romanae* fassi sint, et insimul necessitatem solutionis territorialis qua Romanus Pontifex saltem intra palatia vaticana verus princeps, a Statu italico prorsus independens habeatur agnoverint. Videri circa hoc utiliter possunt quae anno 1921 tum in ephemeridibus, tum in *parlamento* italico disputata sunt. Huiusmodi disputationes partim saltem videri possunt in opusculo: « *La questione Romana, Documenti e note* » edito a « *Segretariato di cultura della gioventù cattolica italiana* » Serie 1921, n. 13-14, Romae 1921.

conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri numquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius principis vel gubernii, in cuius ditione versaretur, voluntatem conformaret atque idcirco actis illis, hoc praetextu saepe refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis principatus et Apostolicae Sedis, qui nunc Romae dominantur, quanam fiducia et observantia ipsi essent excepturi monita, hortationes, mandata, constitutiones Summi Pontificis, cum illum cuiusvis principis aut gubernii subditum esse agnoscerent, praesertim vero si cui subesset principi, inter quem et romanam ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum ».

γ) *Documenta ecclesiastica.* - Innumera fere sunt documenta ecclesiastica quae de hac re prodierunt. Ipsa vero triplicis generis distingui possunt.

Primo habentur documenta quae Romanis Pontificibus et S. R. E. Cardinalibus iuramenta imponunt de non renuntiandis seu infeudandis territoriis S. Sedis. Ista documenta huc praesertim spectabant ut difficiliorem redderent bonorum Sanctae Sedis alienationem, temporibus quibus *nepotismus* vigebat [1]. Ad ista iuramenta appellavit Pius IX, 19 Iunii 1860; « Atque inter alia eidem manifestavimus non posse nos commemoratas pontificiae nostrae ditionis provincias abdicare, quin sollemnia quibus obstricti sumus, iuramenta violemus » [2]. Nostris autem diebus formula iuramenti a Cardinalibus ante ingressum in Conclave congregatis haec est: « Item promittimus, vovemus et iuramus quod quilibet ex Nobis in Romanum Pontificem, Deo sic disponente, erit assumptus, iura etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu, libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere et vindicare numquam desistet, atque eamdem hanc promissionem et iusiurandum, post eius ad summi pontificatus fastigium assumptionem, rursus praestabit » [3].

Habentur deinde documenta quibus RR. Pontifices contra usurpatores principatus civilis protestati sunt, et simul eiusdem principatus civilis necessitatem pro Sanctae Sedis independentia tuenda affirmarunt. Huiusmodi documenta plurima habentur. Hic quaedam afferemus. Praetermissis protestationibus Pii VI, in pace Tolentina a. 1797; et protestationibus nomine Pii VII, 14 Iunii 1815, contra decisiones Congressus Viennensis a. 1815, specialem merentur mentionem protestationes inde ab anno 1849 saepius repetitae a Pio IX et a Leone XIII. Pius IX in Alloc., 20 April. 1849, Caietae habita, *necessitatem principatus civilis* probat ex necessaria libertate Romani Pontificis. Idem Pontifex in Encyclica 8 Iunii 1859 haec habet: « *Necessarium esse palam edicimus* Sanctae huic Sedi civilem principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit ». Anno 1862 ducenti sexaginta quinque Episcopi hanc circa principatum civilem declarationem Pio IX obtulerunt: « Civilem S. Sedis prin-

---

[1] Huiusmodi documenta antiquiora sunt praesertim: Const. S. Pii V, 29 Mart. 1567 « *Admonet* »; Innocentii XI, 4 Nov. 1591; Gregorii XIII, 27 Iulii 1572; Sixti V, 18 Mart. 1586; Clementis VIII, 14 Febr. 1592 etc. etc.. Cfr. Hinschius, *l. c.*, I, pag. 215 in nota 1; Cavagnis, *l. c.*, n. 451; Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Feudum*, art. II, n. 6-12.

[2] Cfr. Hinschius, *l. c.*, pag. 215, nota 1.

[3] Cfr. Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » ad calcem Codicis, n. 11, *a*, ubi in nota refertur formula.

cipatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus, nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri », et Pius IX respondit: « Iuvat, hac de re, commemorari miram consensionem qua vos ipsi una cum aliis venerabilibus fratribus universi catholici orbis antistitibus numquam intermisistis et epistolis ad Nos datis et pastoralibus litteris ad fideles scriptis huiusmodi fallaciam detegere, refutare ac simul docere hunc civilem S. Sedis principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae Providentiae consilio datum, illumque necessarium esse ». Plura alia habentur documenta hanc necessitatem principatus civilis testantia vel expressis vel aequipollentibus verbis [1].

Habentur tertio plura documenta quae indirecte tantummodo principatum civilem necessarium testantur, directe vero tantummodo necessitatem pro Romano Pontifice absolutae independentiae et libertatis (*sovranità effettiva*) tuentur; et protestantur contra conditionem qua hodie Romanus Pontifex a Statu italico ut subditus, licet privilegiis ditatus, consideratur. Huc refertur, e. g., epistola Leonis XIII ad Card. Rampolla, 15 Iunii 1887: « Condicio necessaria pro animorum pacificatione in Italia est redditio Romano Pontifici, verae independentiae (*una vera sovranità*); in praesenti enim rerum ordine, clarum est Nos magis quam a Nostra ab aliorum pendere voluntate, a quibus ipsa nostra exsistentia dependet et qui possunt pro lubitu nostrae exsistentiae conditionem dominari. Verius in aliena potestate sumus, quam Nostra, ut saepius diximus. Et ideo semper, in nostro Pontificatu, ut nostrum postulabat officium, *effectivam* Romano Pontifici asseruimus *independentiam* (*un'effettiva sovranità*), non ambitione aut terrenae dignitatis amore ducti, sed ut veram et efficacem tutelam eius independentiae et libertatis ».

Inde vero a Pio X protestationes RR. Pontificum formulas huiusmodi mitiores adoptarunt [2].

Omissis aliis documentis lubet hic quaedam afferre ex Encyclica Pii XI « *Ubi arcano Dei* » [3], quae ad hanc quaestionem referuntur, et maximam, quae desiderari possit, Summi Pontificis erga Statum Italicum benevolentiam, non obstantibus protestationibus, ostendunt: « Quo animi dolore in tot nationum numero, quae cum hac Apostolica Sede amicitiae vinculis continentur, Italiam deesse videamus, vix opus est dicere: Italiam inquimus,

---

[1] Videri possunt: Encycl. Pii IX, 19 Ianuarii 1860; Allocut. 20 April. 1860; Allocut. 9 Iunii 1862; Constitut. 25 Mart. 1860; Encycl. 21 April. 1879 etc. etc. cfr. Cappello, *l. c.*, 488-495 ubi plura horum documentorum referuntur; Hinschius, *l. c.*, I, pag. 215 nota 4.

[2] Videri possunt Epist. Pii X, 8 Aug. 1905, ad moderatores actionis catholicae in Italia; Constitut. Benedicti XV « *Ad beatissimi Apostolorum* » 1 Nov. 1914 quae haec habet: « Ecclesia sane iam multo diutius, non ea qua opus habet, plena libertate fruitur; scilicet ex quo caput eius Romanus Pontifex illo coepit carere praesidio, quod, divinae Providentiae nutu, labentibus saeculis nactus erat ad eamdem tuendam libertatem ». Cfr. cit. litt. § « *Et nunc, fratres* »; Allocut. Benedict. XV, « *Nostris profecto* », 5 Dec. 1915 in Consist. habita: « *Haec quidem* » ubi haec habentur: « Iam alias Decessorum nostrorum exemplo, questi sumus, Romanum Pontificem in ea versari conditione, ut plena nequeat perfrui libertate, qua ad Ecclesiam regendam omnino indiget; verum, quem fugiat, id multo clarius apparuisse hoc tempore? »

[3] 23 Dec. 1922, *A. A. S.*, XIV, 674 sq.

patriam Nobis carissimam, a Deo ipso, qui rerum omnium temporumque cursum atque ordinem sua providentia gubernat, delectam, in qua Vicarii sui in terris sedem collocaret, ut haec alma Urbs, domicilium quondam imperii, amplissimi sed tamen certis quibusdam circumscripti terminis, iam totius orbis terrarum caput evaderet; quippe quae divini Principatus sedes, omnium gentium nationumque fines sua natura transcendentis, populos omnes nationesque complectatur. At vero tum huius Principatus et origo et divina natura, tum universitatis Christifidelium in toto orbe degentium ius sacrosanctum postulat, nulli ut idem sacer Principatus humanae potestati, nullis legibus (licet hae Romani Pontificis libertatem quibusdam praesidiis seu cautionibus communire polliceantur) obnoxius esse videatur, at sui penitus iuris ac potestatis et sit et manifesto appareat.

« Verum illa libertatis praesidia, quibus divina ipsa Providentia, humanarum rerum gubernatrix atque arbitra non solum sine detrimento, sed magno cum Italiae emolumento, Romani Pontificis auctoritatem communiverat; praesidia illa quae tot saeculis divino eiusdem libertatis tutandae consilio apte responderant, quorum nec divina hodiedum Providentia indicavit nec hominum consilia quidquam simile invenerunt quod eadem praesidia congruenter compensaret; praesidia illa hostili vi protrita atque etiamnum violata absonam eam Romano Pontifici vitae conditionem effecerunt quae omnium Christifidelium per orbem universum animos gravi perpetuaque tristitia perfundat. Nos igitur decessorum nostrorum heredes ut consiliorum ita et officiorum, eademque praediti auctoritate, *cuius solius est* de re tanti momenti decernere, non equidem inani quadam terreni regni cupiditate adducti, qua vel leviter moveri prorsus Nos puderet, verum de humano exitu Nostro cogitantes, memores severissimae rationis, quam divino Iudici reddituri sumus, pro Nostri sanctitate Officii, quas iidem decessores Nostri ad iura Apostolicae Sedis dignitatemque defendendam expostulationes fecerunt, easdem Nos hoc loco renovamus.

« Ceterum nihil erit umquam Italiae ab hac Apostolica Sede metuendum detrimenti; siquidem Pontifex Romanus, quicumque demum ille fuerit, is profecto semper erit qui illud prophetae ex animo usurpet: *Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis*, pacis, inquimus, verae ac propterea minime a iustitia seiunctae, ut iure possit subdi: *iustitia et pax osculatae sunt.* Dei autem omnipotentis miserentisque erit efficere ut haec laetissima dies tandem illucescat, bonorum omnium fecundissima tum regno Christi instaurando, tum Italiae rebus universisque orbis componendis; ne vero id frustra fiat, omnes qui recte sentiunt, dent operam diligenter » [1].

His accedit quod nostris diebus mitior evadit praxis S. Sedis cum gubernio italico. Ita, e. g., Benedictus XV suas litteras ad populorum rectores missas etiam ad regem Italorum misit; Pius X *non expedit* pro electionibus in Italia abrogavit; Benedictus XV regibus catholicis ut Romam visitaturi regem Italorum venire possent permisit.

Ex quibus tamen minime deduci potest Romanos Pontifices principatui temporali renunciasse, sed, summum, deduci recte poterit mitiorem evasisse Sanctae Sedis disciplinam et optimam a Romano Pontifice demon-

---

[1] Cfr. citat. encycl. sub fine: *Quae cum ita sint.*

stratam fuisse voluntatem ad quaestionem solvendam cum minimo, quantum fieri poterit, dispendio etiam ex parte Status italici.

163. — 5° *Quaestiones variae.* - *a*) *Nota theologica doctrinae expositae.* - Exposita doctrina de necessitate morali principatus civilis ad actuationem exemptionis omnimodae, quae, iure divino, Romano Pontifici competit, dici potest *doctrina catholica* non quidem, quod in se revelata sit, sed quia cum veritate revelata de exemptione Romani Pontificis connexa est; et ut talis infallibili Ecclesiae iudicio definiri poterit. Attamen fides qua hanc veritatem credimus non est fides catholica divina, sed fides ecclesiastica, qua credimus veritates in se non revelatas, connexas tamen cum veritatibus revelatis quae et facta dogmatica appellamus [1].

Attamen ad dogma proprie dictum fidei haec veritas elevari non potest, quia in se revelata non est, et ex temporalibus pendet circumstantiis [2].

164. — *b*) *Utrum R. Pontifex renuntiare possit.* - Ex iis quae supra diximus de necessitate principatus civilis, et ex dogmate fidei de Primatu R. Pontificis in Ecclesia, haec deduci possunt.

α) Si agitur de partiali renuntiatione principatus civilis ex gravissimis causis a R. Pontifice diiudicandis, nec facile supponendis, quae causae sunt praesertim Ecclesiae necessitas aut utilitas, licet ipse non sit dominus, sed solummodo administrator principatus civilis S. Sedis, tamen, quia supremus est administrator, vi supremae, qua pollet, iurisdictionis; si alienationem faciat, alienatio nec invalida, nec illicita demonstrari potest. Sine ulla vero causa, ne valida quidem esset renuntiatio seu alienatio et a successoribus revocari et nulla declarari posset ac deberet [3].

β) Si vero agatur de *totali* principatus civilis renuntiatione seu alienatione etiam ex iusta causa, quaestio difficilior evadit; nec haec potestas concedenda necessario videtur Romano Pontifici: « Et profecto nemo intelliget, quomodo post toties declaratam necessitatem principatus civilis R. Pontificis, licita et valida alienatio universi illius principatus civilis fieri possit » [4].

Si tamen progressu temporis, attentis specialibus circumstantiis R. Pontifex principatui civili renuntiaret, cum Cappello conclu-

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, II, n. 605; Ferreres, *Institutiones canonicae*, I, n. 426; Cappello, *l. c.*, I, pag. 500-502; Cavagnis, *l. c.*, III, n. 453.

[2] Cavagnis, *l. c.*, III, n. 453; Cappello, *l. c.*, 500-502.

[3] Wernz, *l. c.*, II, n. 611; Sägmüller, *l. c.*, I, § 87, III, pag. 392-393 in notis, ubi etiam invenies *quaestionis romanae* amplam litteraturam.

[4] Wernz, *l. c.*, II, n. 611.

demus: « Quidquid... ipse fecerit et nos sincere faciemus, quidquid dixerit et nos dicemus, quidquid opinatus fuerit et nos opinabimus » quia, tandem aliquando ipse supremus iudex est qui iuxta temporum circumstantias de Ecclesiae necessitatibus iudicium ferre debet, cui nos nostrum conformare debemus » [1].

165. — Scholion. - Lubet hic ad modum scholii quaedam addere de hac difficillima et salebrosa quaestione ex supra citato opusculo in quo referuntur disputationes *de quaestione romana* in ephemeridibus tum catholicis, tum liberalisticis, tum etiam in Italico *parlamento* a die 29 Maii ad 20 Iunii 1921 habitae; ut dignoscatur qua ratione nostris diebus quaestio ista etiam a nostris adversariis consideretur.

Quaestio igitur introducta est a diariis *liberalibus* occasione qua relationes Diplomaticae inter Galliam et Sanctam Sedem a. 1905 interruptae anno 1921 reassumi coeptae sunt. Diarii liberales considerantes unicum ex magnis *potentiis* Europae fere esse Statum italicum, qui relationes diplomaticas cum S. Sede non habeat, desiderium manifestarunt ut etiam Status italicus has relationes ordinare tentaret. Hoc desiderio manifestato facile fuit catholicis diariis adversarios convincere de inutilitate, pro solutione conflictus, legis italicae *delle guarentigie*, die 13 Maii 1871, latae. In hoc etiam adversarii facile convenere. Tunc intervenit in controversia diarius officialis

---

[1] Cfr. Cappello, *l. c.*, I, pag. 511.

Quando et quomodo praesens intolerabilis conditio finem habere possit, divinae Providentiae determinationi linquendum est. Conciliatio cum gubernio italico innixa legi praesidiorum (*legge delle guarentigie*), nec probabilis nec etiam simpliciter possibilis est, quia nullus Romanus Pontifex universo S. Petri patrimonio renuntiare potest. Ex facto, quod Romani Pontifices per saecula nullo temporali dominio muniti fuerint, nequit concludi ipsius principatus praesens superfluitas, eodem modo quo eadem superfluitas probari nequit ex eo quod nunc Romae exsistentes circumstantiae pontificiae potestatis exercitium non plene et quod ad omnia impediunt. Conditio Sedis Apostolicae sub imperio Byzantino fuit precaria et oppressionibus obnoxia; et historia ecclesiastica affert exempla, inde a saeculis V, VI et VII, verarum saevitiarum quibus ob subiectionem potestati politicae submissi fuerunt RR. Pontifices, licet liberi nominaliter essent. Quousque tamen exstitit imperium romanum, cum populi unica regerentur foederatione, hostilitas unius Status contra alios impossibilis fuit, et proinde etiam impossibile fuit ut una respublica civilis, Romano Pontifice, quem sibi subiectum sciebat, uteretur ad aliarum rerumpublicarum damnum suique commodum, subordinando, tali modo, finem spiritualem fini politico temporali. Quando vero pluralitas rerumpublicarum civilium viguit, divina Providentia Ecclesiae speciale medium, civilem principatum, ad eius libertatem tuendam procuravit. Romanum vero Pontificem nec nominalem esse principem ex gratia Status italici, demonstraretur statim ac inter ipsum et Statum italicum reconciliatio sequeretur; tunc enim Roma esset altera Avenio, et eadem, forsitan sine ullo fundamento, diffidentia renasceretur inter populos contra Romanum Pontificem. Praesentem vero conditionem innaturalem et impossibilem esse iam nunc omnibus clarum est. Non datur proinde alia solutio, quam restauratio realis principatus Romani Pontificis et tuitio eius inviolabilitatis per respublicas civiles Europaeas et extraeuropaeas. Minoris vero momenti est extensio ipsius principatus civilis Romani Pontificis. (Cfr. Hergenröther-Hollweck, *Lehrbuch des k. K. R.*, n. 367; utile duxi haec ex hoc auctore referre ut etiam a nostratibus cognoscatur quid de hac quaestione opinentur canonistae non itali. Cfr. etiam Aichner-Friedle, *Compendium iuris ecclesiastici*, [12], 108, 3, pag. 372-374).

S. Sedis [1] et dixit quaestionem ad relationes ineundas cum S. Sede multo difficiliorem esse pro Italia quam pro Gallia et Lusitania, quia quaestio italica specialem eamque graviorem implicat quaestionem. Et re vera, explicarunt catholicae ephemerides, duae sunt quaestiones, secus ac pro Gallia et Lusitania, quas Status italicus solvendas habet cum Romano Pontifice. Altera est quaestio *romana* seu melius quaestio de omnimoda exemptione et independentia Romano Pontifici concedenda seu melius agnoscenda (*sovranità reale ed effettiva del papa*), qua soluta poterit Status italicus sicut alii Status civiles cum Sede Apostolica de rebus ad se pertinentibus agere.

Qua in discussione hoc generatim admissum est ab adversariis quod vera et realis independentia agnoscenda sit R. Pontifici et non solum aliqualia fictitiae independentiae signa, ut lex italica *delle guarentigie* faciebat. Aliqui liberalistae etiam ultra processerunt et solutionem, ut dicunt, *temporalisticam*, proposuerunt, Romano Pontifici territorium vaticanum, quod nunc, vi legis *delle guarentigie* tantummodo in usum conceditur, in plenum, independens et absolutum etiam politicum dominium concedentes, quo Romanus Pontifex fieret re vera princeps in suo territorio, licet parvulo. Atque hic finem habuit disputatio salebrosa.

Ephemeris officiosa S. Sedis disputationem reassumens eamque commentariis augens die 27 Aug. 1921, haec inter alia habet: « Redemptor divinus in missione spirituali in universum mundum Romano Pontifici committenda, eidem tradidit ius ad plenam libertatem et independentiam a qualibet humana potestate, et simul eidem officium huius iuris actuationem reclamandi contulit; ita ut Romanus Pontifex graviter suo desit officio si subordinata contentus sit positione iuridica. Hoc officium independentiam reclamandi etiam ex hoc apparet, quod Ecclesia catholica in fere cunctas diffusa est nationes, quarum quaedam catholicae, quaedam vero partim catholicae, partim acatholicae sunt; iam vero, facile omnibus patet istarum nationum gubernia desiderare non posse Romanum Pontificem, qui suorum subditorum conscientias regit, a Statu quolibet, vel realiter vel apparenter, dependentem esse; hoc revera in *parlamento* anglico declarasse scimus eminens vir Disraeli, ceteroquin protestanticus. Nec sufficere potest libertas et independentia aliqualis *de facto* a bona Status dominantis voluntate manans, sed independentia et libertas absoluta *de iure* concedenda seu potius agnoscenda est; quae absoluta independentia et libertas iuridica, praesentibus circumstantiis, obtineri alio modo non posse videtur quam in *basi territoriali* » [2].

166. — IV. *Iura Ecclesiae in bona temporalia.* - Ad clariorem eorum quae hucusque de immunitatibus ecclesiasticis disseruimus, et ne confusio ullo modo oriatur, utque melius catholica de hac re doctrina exponatur quaedam hic addimus de iuribus Ecclesiae quod ad bona temporalia quae ad ipsam pertinent eique necessaria sunt.

1° *Distinctio bonorum ecclesiasticorum.* - Omissis aliis distinctionibus bonorum ecclesiasticorum, quas in Institutionibus proprie

---

[1] *Osservatore Romano*, 3 Giugno.

[2] Cfr. citat. opusculum, *La questione romana, documenti e note*, 1921, Roma.

dictis videbimus, hic relate ad societates externas perfectas bona Ecclesiae triplicis speciei distinguimus.

α) Prioris speciei sunt bona temporalia quae directe et immediate ad cultum divinum referuntur et plerumque benedictione aut consecratione huic destinationi deputantur ut, e. g., ecclesiae, oratoria, coemeteria, altaria, vasa sacra, campanae etc.

β) Alterius speciei sunt bona quae nonnisi mediate ad cultum Dei referuntur, immediate vero et directe ad ministrorum cultus sustentationem et ad alias necessitates cultus, quae in dominio Ecclesiae versantur. Huiusmodi sunt fundi vel tituli quos Ecclesiae singulae et aliae personae morales ecclesiasticae qua tales possident.

γ) Tertiae speciei bona ecclesiastica, vel melius clericorum, sunt bona quae clerici vel aliae personae physicae ecclesiasticae possident, quaeque ad illorum sustentationem inservire possunt. Huiusmodi bona in ipsorum clericorum dominio sunt, etiam ex iure canonico, et de his clerici libere disponunt, salvis aliquibus restrictionibus ab Ecclesia appositis, e. g., quod non possit clericus circa illa lucrative negotiari (c. 142), quod non possint renuntiari a determinatis personis ex rationibus specialibus (c. 568 et 569), etc. Hanc triplicem distinctionem bonorum iam ab antiquioribus auctoribus statutam et nostris diebus retinendam putamus; tertia tamen partitio inter bona ecclesiastica nostris diebus non videtur retinenda nec enim si quaedam leges speciales excipiantur illa bona lege ecclesiastica reguntur, sed tantum lege civili [1].

167. — 2° *Natura iuridica bonorum ecclesiasticorum.* - Bona temporalia ecclesiastica eo ipso quod ecclesiastica fiunt *naturam iuridicam* mutant. Haec autem immutatio in hoc consistit quod cessent esse bona Status civilis et fiant bona ecclesiastica a Statu prorsus independentia. Cum enim societatis perfectae dominium ingrediantur, cuilibet Status civilis influxui subtrahuntur, sicut ipsa societas cui pertinent [2].

Sunt igitur haec bona prorsus subtracta cuilibet Status civilis dominio sive politico sive administrativo; et proinde Status in ea nullam de *iure* exercere potest potestatem nec legiferam, nec iudicialem, nec exsecutivam, uno verbo, Status in illa bona ne iura quidem maiestatica seu politica de iure, sine Ecclesiae consensu, exercere valet.

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, *l. c.*, III, 49, n. 235-236; Ferraris, *l. c.*, v. *Bona ecclesiastica*, art. I, n. 1-23; Vecchiotti, *l. c.*, II, § 54.

[2] Audiatur clarissimus Wernz, *l. c.*, III, n. 143: « Bona temporalia in Ecclesiae dominium translata, etsi per se retinent eamdem naturam *physicam*, silva enim manet silva etiamsi pius donator illam donet monasterio vel seminario, tamen naturam *iuridicam* omnino mutant.

Quae quidem doctrina certa est et ab omnibus catholicis admittenda quod ad bona prioris speciei, quod ad bona vero alterius vel, a fortiori, tertiae speciei non eodem consensu admittitur. Sunt enim etiam optimae notae canonistae [1], qui doceant huiusmodi bona non subtrahi, de se, dominio politico Status, quae opinio non improbabilis videtur. Ex quibus patet iura Ecclesiae quae prioris speciei bona respiciunt, iuxta ea quae alibi diximus, nonnisi improprio sensu immunitates appellari, sed potius inter iura nativa Ecclesiae computanda esse, ex natura iuridica de novo acquisita ab illis bonis, cum in dominium Ecclesiae ingressa sunt. Alterius vero speciei bonorum ecclesiasticorum iura, e. g., exemptiones a tributis etc. supposita disputatione de eorum natura iuridica qua quidam docent Status dominio politico non subtrahi, iura nativa proprie dicta, certo modo, appellari nequeunt, sed, illa, si quae eis Ecclesia concesserit, inter proprie dictas immunitates computanda sunt.

168. — 3° *Iura Ecclesiae quod ab bona ecclesiastica temporalia.* - α) Bona ecclesiastica quae directe cultui divino deputantur, quia unice ad finem Ecclesiae destinantur, exclusive auctoritati ecclesiasticae certo modo subduntur, in iisque Ecclesia exclusive quodlibet ius, etiam politicum, exercet. Quae quidem iura, supposita legitima acquisitione ex parte Ecclesiae, cum iura nativa sint, nequeunt ab Ecclesia renuntiari, licet eorum exercitio ex specialibus rationibus et causis renuntiari possit; e. g., permittere potest Ecclesia ut aliquis reus a civili potestate intra illa loca, servatis servandis, capiatur et ab eis extrahatur [2].

β) In bona vero quae sunt quidem in dominio Ecclesiae, sed consecrata non sunt, nec ad cultum divinum immediate et directe ordinantur, Ecclesia ius dominii, at ad modum privatorum, exercet, salvo scilicet dominio politico Status, quo iure eis Status tributa imponere et ibi potestatem legiferam, iudicialem, exsecutivam exercet.

Attamen etiam istis bonis Ecclesia, sua indirecta potestate, quoties id finis spiritualis assecutio requirat, alias immunitates proprie dictas concedere potest, et si concesserit eas et Status civilis agnoscere debebit [3].

---

[1] Cfr., e. g., Cavagnis, *l. c.*, III, n. 393; Cappello, *Instit. iuris publ. eccles.* II, pag. 411-412.

[2] Cfr. quod ad hoc cc. 1160 et 1179.

[3] Cfr. Cavagnis, *l. c.*, III, n. 393; Cappello, *l. c.*, II, pag. 412; contra Wernz, *l. c.*, III, 143 et 146, III, *b*; Rivet, *Iuris eccles. privati suppl.* I-II, pag. 44; ubi tamen Wernz notat has immunitates, seu potius iuxta ipsius opinionem iura nativa, non esse iure divino praescripta ita ut iis Ecclesia renuntiare nequeat, quo eius severior theoria ad mitiores reducitur limites.

169. — 4° *Iura Status in bona ecclesiastica.* - Ex supradictis iam patet quid Status civilis in bona ecclesiastica possit. In bona ecclesiastica prioris speciei Status, iure nativo nil omnino potest; et si quid possit id, iure non nativo, sed ex Ecclesiae concessione vel tolerantia potest.

In bona vero alterius et tertiae speciei, Status, salvo iure dominii privati quod Ecclesiae vel clericis pertinet, omnia iura politica et maiestatica, excepto casu quo Ecclesia maiores immunitates eis concesserit, exercere potest. Poterit igitur Status illa bona tributis communibus onerare et ibi alias suas potestates exercere et quidem iure proprio et nativo, salvis tamen legibus Ecclesiae, quae illis bonis maiora privilegia, vi potestatis indirectae, concedere valet. Confer, e. g., prohibitionem mulieribus omnibus factam ne monasterium virorum ingrediantur — quam prohibitionem et Status revereri tenetur nec pro lubitu eam violare potest.

5° *De casu conflictus.* - Quodsi aliquando circa ista bona alterius et tertiae speciei conflictus inter leges Status et leges Ecclesiae oriatur, ex principiis potestatis indirectae, sine ullo dubio, Ecclesiae conflictus istos dirimendi ius est agnoscendum, cui solutioni et Status civilis christianus stare tenetur.

CAPUT V.

Fontes iuris.

170. — *Ratio et connexio materiae.* - Expletis iam generalibus et praecipuis specialibus iuris publici quaestionibus, ut gradum ad iuris privati quaestiones paremus, quaedam hic addenda utiliter putamus circa fontes iuris.

Haec quaestio proprie nec ad ius publicum nec ad ius privatum refertur, sed potius ad utrumque simul; eaque partim historica, partim iuridica est. De ea hic agendum nobis esse putamus ad modum conclusionis quaestionum iuris publici et introductionis ad ius privatum. — Videbimus:

§ 1. Fontes exsistendi et fontes cognitionis.
§ 2. Praecipuos fontes cognitionis seu praecipuas collectiones.
§ 3. Codicem iuris canonici.
§ 4. Fontes seu collectiones iuris romani.

§ 1. — *Fontes exsistendi et fontes cognitionis iuris canonici.*

171. — I. **Fontes exsistendi.** - Fontes dupliciter accipiuntur in iure, prout illas personas vel instituta iuridica designant a quibus ius obiective et subiective sumptum originem trahit, vel loca ubi hoc ipsum ius constitutum inveniri potest et continetur.

Priori sensu *fontes exsistentiae* appellantur, quia ipsi iuri exsistentiam tribuunt. Ita Deus, cum sit omnium iurium origo, et cum ab ipso ultimatim omne ius procedat, vocari potest omnium iurium fons.

Attamen haec omnium iurium ultima ratio alios fontes secundarios et proximiores, illi ultimo subordinatos, non excludit.

Quaedam enim iura immediate et directe a Deo, naturae auctore, determinantur ita ut in ea nihil possit quaelibet subordinata potestas, eaque *ius naturale* constituunt.

Alia a Deo, non ut auctore naturae, sed positive, vel extraordinaria revelatione vel ut institutore et conditore Ecclesiae catholicae determinantur, et *ius positivum divinum* sunt.

Alia denique a Deo immediate nullo modo determinantur, sed humanae relinquuntur determinanda auctoritati, et haec *ius positivum humanum* sive *ecclesiasticum* sive *civile* constituunt.

Deus auctor naturae, Dominus N. I. Ch. auctor Ecclesiae, humana potestas sive ecclesiastica sive civilis, unaquaeque intra suae competentiae terminos fontes iuris sunt; et quia proprie causa sunt cur hoc vel illud ius exsistat, termino barbaro, *fontes essendi* aut *fontes exsistendi* vocantur. Sunt igitur fontes *exsistendi* iuris ecclesiastici illae personae sive physicae sive morales quae iura condunt.

Quaenam vero huiusmodi personae sint in specie explanare hic non vacat et ad ius privatum remittimus [1].

172. — II. **Fontes cognitionis.** - Fontes in iure praeterquam sensu supra relato accipiuntur etiam et altero sensu pro locis vel libris in quibus ius conditum custoditur et ex quibus illud haurire possumus.

Quo sensu fontes *cognoscendi* duplici it rum sensu accipiuntur, *sensu* nempe *lato* prout designant « omnia media, quibus ad cognitionem alicuius ecclesiasticae legis scriptae vel traditae vel consuetudinis pervenimus » [2]. Et hoc sensu S. Scriptura, SS. Patrum scripta, acta quaelibet conciliorum, historia sacra et profana etc. fontes cognoscendi iuris ecclesiastici vocari possunt. *Sensu* vero *strictiori* fontes cognoscendi vocantur libri « in quibus leges ecclesiasticae maiori minorive ambitu reperiuntur collectae » [3]. Hoc

---

[1] Cfr. Biederlack, *Ius ecclesiasticum privatum* (1909), pag. 3-5; Wernz, *Ius Decretalium*, I [3], n. 76-195, ubi de singulis fontibus exsistendi agit. Ad doctrinam fontium pertinet totus fere liber I Codicis. *Normae generales*. De hoc agemus in *Institutionibus*.

[2] Wernz, *l. c.*, I, n. 196.

[3] Wernz, *l. c.*, I, n. 196.

autem sensu fontes appellantur etiam, immo communius, et *collectiones iuris*, vel *compilationes*, vel *collectanea* etc. [1].

Omissis quaestionibus de fontibus sensu lato, pro quibus principia in theologia fundamentali statuta valent etiam in iure canonico, nos hic quaedam solummodo de fontibus stricto sensu, seu de proprie dictis collectionibus praecipuis, quae nempe maius pro scientia iuris momentum habent, videbimus.

173. — III. **Divisio collectionum.** - Collectiones iuris canonici, varie dividi possunt.

1° *Ratione fidei historicae.* - Aliae sunt *authenticae* (*historice*) seu *genuinae*, aliae *spuriae*. Illae sunt quae vel continent leges veras, nec, saltem substantialiter, corruptas et tunc proprie vocantur authenticae historice quod ad materiam; ita, e. g., Collectio Decretalium Gregorii IX etc. Vocantur item authenticae historice illae collectiones quae eius sunt auctoris cui generatim tribuuntur, (*authenticitas auctoris*) ut, e. g., Decretum Gratiani.

Spuriae vero seu *apocryphae* vocantur collectiones non authenticae historice; — quae item possunt esse spuriae quod ad auctorem (*pseudo-epigraphae*) ut collectio pseudo-Isidoriana; vel *spuriae* seu *apocryphae* quod ad materiam, quia leges falsas seu a legislatore non confectas continent, cuiusmodi est etiam collectio pseudo-Isidoriana.

2° *Ratione methodi.* - Aliae sunt *chronologicae*, aliae *systematicae*, prout leges referunt ordine solummodo chronologico ut, e. g., collectio « *Decreta authentica S. C. R.* » item: « *Decreta authentica S. Congr. Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae* » et generatim *Bullaria;* vel ordinem logicum et iuridicum servant cuiusmodi sunt collectiones in *Corpore iuris* contentae.

Inter collectiones non systematicas quaedam habentur quae, non perfecte ordinem chronologicum, sed simul aliquem ordinem geographicum sequuntur. Ita, e. g., *Collectionis Dionysii Exigui altera compilatio*, in qua referuntur ordine chronologico prius concilia orientalia, deinde concilium occidentale Carthaginiense quod tempore antiquius est [2].

Item ratione methodi aliae sunt *litterales*, si legum textus integros referunt, ut generatim sunt *bullaria;* aliae *recisae* in quibus leges referuntur, parte aliqua ad intelligentiam non necessaria re-

---

[1] Cfr. Ferreres, *Institutiones canonicae*, I, 61; *Collectanea* S. Cong. De Propag. Fide; *Collectanea* in usum Secret. S. C. EE. et RR. a Bizzarri edita etc.

[2] Cfr. Biederlack, *Ius ecclesiasticum privatum*, pag. 10.

cisa, ut, e. g., *Decretales* Gregorii IX; aliae *concisae* in quibus simpliciter refertur pars dispositiva legis, nulla facta indicatione originis ipsius legis, ut, e. g., *Codex iuris canonici.*

3° *Ratione ambitus.* - Aliae sunt collectiones *iuris universalis* universam Ecclesiam obligantes ut *Codex iuris canonici.* Aliae iuris particularis determinatum tantummodo territorium respicientes ut, e. g., « *Acta et Decreta Concilii plenarii Americae latinae* »; Collectanea S. C. De Prop. Fide; variae synodi dioecesanae. Aliae sunt collectiones *iuris specialis* ut, e. g., Collectanea in usum Secretariae S. C. EE. et RR. Aliae denique *ius singulare* continent ut, e. g., constitutiones et regulae singularum religionum, etc.

4° *Ratione authenticitatis iuridicae.* - *Authenticitas iuridica* est auctoritas iuridica alicui collectioni in foro competens ex speciali approbatione legislatoris. Dico ex *speciali* approbatione, etenim ad authenticitatem iuridicam non sufficit approbatio quaelibet ab auctoritate legislativa data, qualis, e. g., requiritur a c. 1385 pro editione cuiusvis libri de iure canonico pertractantis. Haec simplex approbatio nullam authenticitatem iuridicam, ne improprio quidem sensu, collectioni sic approbatae tribuit.

Varii autem habentur gradus authenticitatis iuridicae.

a) Legislator aliquando collectionem a privato quodam viro confectam ita sua auctoritate corrigit et firmat ut in foro solummodo lectio illa correcta et a se firmata deinceps afferri possit, aliis lectionibus forte exsistentibus reiectis. Haec *authenticitas legalis* seu publica seu *iuridica minima,* quae dari possit, est et tantummodo *improprio* quodam *sensu* collectio hoc modo approbata *authentica* dici potest; leges enim in tali collectione contentae maiorem quam antea habebant auctoritatem non consequuntur hac approbatione. Ita *Decretum Gratiani* etiam post Const. Gregorii XIII « *Cum pro munere* », 1 Iulii 1580, et « *Emendationem* », 2 Iunii 1582, *authenticum* vocari potest,

b) Legislator approbare potest aliquam collectionem ita ut leges in ea contentas authenticas seu a vero legislatore procedentes agnoscat, nihil tamen addens valori quem illae leges extra collectionem habebant. Leges in huiusmodi collectione contentas nemo, ut non authenticas, in foro reiicere potest, at eaedem suum, quem in origine habebant, valorem iuridicum retinent; ideoque si erant leges particulares nequibunt citari pro locis territorio particulari non comprehensis. Hoc sensu authentica sunt « *Decreta authentica S. C. R.* »; « *Decreta authentica S. C. Indulg. sacrisque relig. praep.* » et ut videtur *Commentarium officiale Apostolicae Sedis* [1].

Hae collectiones vocari possunt *iuridice authenticae sensu stricto.*

c) *Strictiori* vero *sensu authenticae iuridice* vocantur collectiones, quae ut tales a legislatore ita stricte approbantur, ut ipso facto approba-

[1] Cfr. tamen quod ad Commentarium hoc Vermeersch, *Periodica de re canonica et morali,* t. IX, pag. 1-3.

tionis, independenter ab origine historica et iuridica singularum legum in collectionibus contentarum, singulae leges vim obtineant legis universalis ab illo nempe momento quo collectio iuridice promulgatur, et ita insuper ut omnes illae leges unicitatem habeant nec inter eas contradictio admitti possit. — Ita authentica est collectio Decretalium Clementis V a Ioanne XXII 5 Oct. 1317 promulgata [1].

d) Est tandem *strictissimo sensu authentica iuridice* collectio quae non solum ita approbatur ut singulae leges in ea contentae *vim legis universalis et unicae* obtineant, sed insuper leges quaelibet in ea non contentae, licet historice authenticae, illa speciali approbatione huic collectioni data, vi, quam haberent de se, destituantur. Quae proinde authenticitas *exclusiva*, aliarum scilicet legum, dicitur. Ita authenticus est Codex iuris canonici [2]; collectiones Decretalium Gregorii IX et Bonifacii VIII [3].

§ 2. — *De collectionibus praecipuis.*

174. — Quaedam hic de praecipuis iuris canonici collectionibus, sive publicis, seu iuridice authenticis, sive privatis, sive spuriis seu apocryphis, sive chronologicis, sive systematicis addimus, quo etiam studiosis dare intendimus tabulam historiam iuris canonicis brevissime continentem.

I. **Collectiones pseudo-apostolicae.** - Quatuor praecipue libri habentur qui apostolorum nomine gloriantur, quique iuris canonici fontes antiquissimi considerari possunt.

1° « *Doctrina duodecim Apostolorum* ». - Anno 1873 a metropolita Philotheo Bryennios Constantinopoli inventus est Codex qui inter alia continebat libellum cui titulus: *Doctrina duodecim Apostolorum* = Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων. Liber iste plura continet de antiquissima disciplina ecclesiastica circa ieiunium, liturgiam, sacramenta et superiores ecclesiasticos, ideoque recte inter antiquissimas collectiones iuris canonici computari potest. — Confectus videtur, iuxta viros doctos qui de illo libello scripserunt, liber vel saeculo primo exeunte vel saeculo altero ineunte, in Syria vel in Palaestina [4].

2° *Didascalia Apostolorum* = Διδασκαλία τῶν Ἀποστόλων, quae a S. Epiphanio etiam Διατάξεις τῶν ἀποστόλων vocatur, est liber qui viginti sex capitibus ordinationem Ecclesiae tradit. Originem duxisse videtur, iuxta viros doctos, ex Syria, auctorque eius fuisse Episcopus qui prima medietate saeculi III librum composuit, altera vero medietate illum ampliavit [5].

---

[1] Cfr. Biederlack, *l. c.*, pag. 30.

[2] Cfr. tamen Vermeersch, *Periodica*, IX, pag. 3-4 ; necnon quae infra n. **189-191**, dicuntur.

[3] Cfr. Biederlack, *l. c.*, pag. 24-29.

[4] Cfr. Rauschen S., *Manuale di patrologia* [3], pag. 34-38; Wernz, *l. c.*, I, n. 200; Bersani Fr., *Le fonti del diritto canonico*, 1918, pag. 14, n. 14; Maroto, *Institutiones iuris canonici*, I, n. 39; Sägmüller, *l. c.*, I, § 34 et sq. apud quem inveniri potest ampla recensio litteraria singulorum iuris nostri fontium.

[5] Cfr. Rauschen, *l. c.*, pag. 293-294; Bersani, *l. c.*, n. 14; Hergenröther-Hollweck, *Lehrbuch des k. K. R.*, n. 206.

3° *Constitutiones apostolicae* = Διαταγαί τῶν ἁγίων Ἀποστόλων; octo libris constant, quorum sex priores non sunt nisi *Didascalia*, de quibus supra, aliquantulum mutata.

Iuxta viros doctos Constitutiones Apostolicae integre ineunte saeculo v in lucem prodierunt in Syria. Earum valor iuridicus nullus iam in Concilio Trullano agnitus est a. 692 [1].

4° *Canones Apostolorum.* - *Canones Apostolorum* non sunt nisi caput ultimum seu quadragesimum septimum Constitutionum Apostolicarum. Sunt proinde eiusdem aetatis et auctoris. Auctor in iis conficiendis seu compilandis usus est decisionibus conciliorum Antiochensis a. 341 et Laodicensium aa. 343 et 381. Horum valor iuridicus non est prorsus idem ac valor Constitutionum Apostolic.; Ecclesia enim graeca iis valorem tribuit [2], Ecclesia vero latina eos ut Apocryphos reiecit [3]. Probe distinguendus est hic liber ab altero eiusdem fere tituli qui ita inscribitur: *Canones ecclesiastici SS. Apostolorum*, ab ignoto auctore probabiliter in Aegypto confectus [4].

175. — II. **Collectiones Orientales.** - Plures habentur in Orientali Ecclesia iuris canonici collectiones inde praesertim a IV saeculo.

1° *Collectio Orientalis chronologica.* - Saeculo IV, in Ponto, ut videtur, collectio chronologica canonum conciliorum adornari coepta est; quae primum canones conciliorum Ancyrani, a. 314, et Neocaesariensis, a. 314-325, continebat. Postea, praemissis canonibus Concilii Nicaeni a. 325, accesserunt canones conciliorum Gangrensis a. 325-370 ?, Antiocheni a. 341. Horum conciliorum canones continuis numeris allegati et recitati sunt in concilio Chalcedonensi a. 451; post quod collectioni accesserunt adhuc canones conciliorum Laodiceni a. 343-381, Constantinopolitani a. 381, Ephesini a. 431, et ipsius concilii Chalcedonensis a. 451. Immo posterius collectioni praemissi sunt canones Apostolorum, et additi canones concilii Sardicensis et regulae S. Basilii. Variis nominibus decorata est haec collectio ut: « *Canones conciliorum oecumenicorum* » et « *Codex canonum Ecclesiae Orientalis* » [5]. Habentur etiam duae aliae collectiones chronologicae orientales, scilicet collectio Trullana et Nicaena, a. 787, quae tamen non sunt nisi variae recensiones, cum aliis additionibus, collectionis antiquae [6].

2° *Collectio systematica 60 titulorum.* - Anno circiter 535 in Oriente facta est collectio quaedam systematica quae 60 titulis et 21 Constitutionibus excerptis ex *Codice* Iustinianeo *repetitae praelectionis* constat. Est proinde ista collectio praeformatio *nomocanonis* [7].

3° *Collectio systematica Ioannis Scholastici.* - Ioannes advocatus (= σχολαστικός) deinde patriarcha Constantinopolitanus aa. 564-578, collectione 60 ti-

---

[1] Cfr. Rauschen, *l. c.*, pag. 294-297; Wernz, *l. c.*, n. 200; Bersani, *l. c.*, pag. 15, n. 15; Chelodi, *Ius de personis*, 41; Sägmüller, *l. c.*, I, § 34, pag. 145.

[2] Cfr. c. 4, D. 16 = c. 2 Concilii Trullani a. 692.

[3] Cfr. c. 3, § 64, D. 15 = Decret. Gelasii aa. 494-496; cfr. tamen etiam cc. 1-3 D. 16; Rauschen, *l. c.*, pag. 296; Wernz, *l. c.*, I, n. 200; Bersani, *l. c.*, pag. 16-18, n. 16.

[4] Cfr. Maroto, *l. c.*, 41 et 43.

[5] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 204; Bersani, *l. c.*, n. 17; Bouix, *De principiis iuris canonici*, 1852, pag. 386-390.

[6] Maroto, *l. c.*, 44.

[7] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, n. 205; Bersani, *l. c.*, n. 17; Bouix, *l. c.*, pag. 391.

tulorum usus, alteram confecit, a. circiter 550, quae 50 titulos continet. Huic collectioni idem Ioannes Scholasticus postea adiecit compendium *Novellarum* Iustiniani. Appellata fuit *collectio 87 capitulorum*.

4° *Collectio Photii*. - Photius secundo Patriarcha Constantinopolitanus aa. 877-896 collectionem confecit systematicam praecedentibus longe perfectiorem. Ipsa duabus partibus constat.

a) Prima pars non est nisi nova recensio collectionis chronologicae antiquae orientalis cum variis additionibus; adduntur, e. g., 20 canones ex duobus conciliis sub ipso Photio celebratis.

b) Altera pars est *nomocanon* - tempore Heraclii, aa. 610-640, compositus, novis legibus civilibus et canonum citationibus auctus. Est autem nomocanon collectio systematica constans citationibus canonum seu legum ecclesiasticarum (κανών) et legibus civilibus (νόμος) [1]. Aliae etiam in Orientali Ecclesia habentur collectiones *nomocanonum* ex principio ab orientalibus semper admisso: « *In illis quae canones non determinarunt, debemus sequi leges civiles* » [2]. Ipsa autem collectio Photiana magnam in Ecclesia orientali consecuta est auctoritatem et, adhuc nostris diebus Codicem officialem Orientalium et quidem etiam catholicorum, in iis quae Romanorum Pontificum et synodorum decretis non adversantur, constituit [3].

5° *Collectiones graecae post Photium*. - Post Photium quaedam aliae prodierunt in Oriente collectiones quae minoris sunt momenti et in Ecclesia graeco-schismatica passim adhibentur. Earumdem nomen innuisse sufficiat.

a) *Synopsis canonum* - a Michaele Psello a. 1071 confecta.

b) *Synopsis canonum* - ab Alexio Aristino a. 1160 edita.

c) *Collectio ecclesiasticarum Constitutionum* - a Balsamone, a. 1191 circiter, confecta.

d) *Synopsis divinorum canonum* - ab Arsenio, a. 1255 circiter, confecta.

e) *Epitome canonum* - a Simeone (Metaphraste?) saeculo XIV confecta.

f) *Syntagma alphabeticum* - a Matthaeo Blastares, a. circiter 1335, confectum.

g) *Epitome divinorum* et *sanctorum canonum* - a Constantino Harmenopulo, a. circiter 1380, confecta [4].

Ecclesia graeco-schismatica etiam nostris diebus praecipue collectione Photii utitur. Anno 1800, cura Theodoriti monachi ex monte Athos ex auctoritate Patriarchae Constantinopolitani edita est typis collectio cui nomen *Pedalion* (Πηδαλιόν) continens collectionem Photii cum variis commentariis [5]. Annis 1852-1859 edita est Athenis privata collectio iuris ecclesiae graeco-schismaticae. Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων [6].

176. — III. **Collectiones Occidentales usque ad saeculum** IX. - Plurimae hac periodo habentur collectiones iuris: de praecipuis quaedam dicemus.

---

[1] Cfr. Maroto, *l. c.*, n. 47; Biederlack, *l. c.*, pag. 13 sq.; Bouix, *l. c.*, pag. 393-394.
[2] Cfr. Chas. Augustine, *A commentary of canon law*, I [4], pag. 21.
[3] Cfr. Chelodi, *Ius de personis*, n. 42.
[4] Cfr. Bouix, *l. c.*, pag. 394-396.
[5] Cfr. Maroto, *l. c.*, n. 47 in nota.
[6] Hergenröther-Hollweck, *l. c.*, 259; Sägmüller, *l. c.*, I, § 35.

1° **Collectiones Italicae.** - Variae in Italia confectae habentur:

a) *Collectio Nicaena Sardicensis.* - Saeculo v Romae citatur collectio in qua canones concilii Sardicensis aa. 343-344 continuis numeris cum canonibus Nicaenis numerantur immo et ipsi nicaeni appellantur [1].

b) *Collectio prisca seu Itala* et *Hispana seu Isidoriana.* - Sunt duae collectiones quae saeculo v in Italia apparent; non sunt nisi versiones collectionum chronologicarum orientalium cum variis additamentis, ex variis recensionibus. Prior vocata est Itala quia in Italia praesertim adhibita; altera Hispana, quod supponeretur a quibusdam in Hispaniis confecta; Isidoriana vero quia in seriorem S. Isidori collectionem relata est [2].

c) *Collectio Dionysiana.* - Quae hoc nomine venit collectio facta est a Dionysio Exiguo, monacho Schyta, diu tamen Romae morato, saeculo vi ineunte, ordine chronologico, in duabus tamen partibus distributa, quarum prior 50 canones Apostolorum, concilia Orientalia et Carthaginense continet, altera vero pars 38 Epistolis RR. Pontificum a Syricio, aa. 384-390, ad Anastasium, aa. 396-398, constat. Huic collectioni Dionysius tres alias praemiserat, duarum priorum unio tertiam constituit [3].

d) *Collectio Hadriana.* - Non est nisi collectio Dionysiana aliquantulum aucta quae, ab Hadriano I Romano Pontifice, a. 774, Carolo Magno donata est, et ab hoc, a. 802, concilio Aquisgranensi oblata et ab Episcopis ut *liber canonum* recepta [4].

e) *Collectio Avellana.* - Sic appellata quia in monasterio S. Crucis in fonte Avellana inventa; 246 epistolas RR. Pontificum, Imperatorum etc., ab a. 367 ad 553 continet, quarum 200 in aliis collectionibus non inveniuntur; propterea magni habetur [5].

2° **Collectiones Africanae.** - Tres habentur:

a) *Collectio chronologica concilii Carthaginiensis XVII.* - Hoc concilium a. 419, ex anterioribus conciliis fecit collectionem quae postea in collectione Dionysii recepta est [6].

b) *Breviatio canonum Fulgentii Ferrandi.* - Ante annum 546 composita, systematice, in 232 capitibus est distributa.

c) *Concordia canonum* - a. circiter 690 a Cresconio in Africa edita est haec collectio systematica in 300 titulos distributa [7].

3° **Collectiones Gallicae.** - Duae mentione dignae habentur:

a) *Statuta Ecclesiae antiqua.* - Haec collectio, quae falso tributa est fictitio cuidam concilio Carthaginiensi IV a. 398, saeculo v exeunte vel vi ineunte confecta est in Gallia meridionali. Haec collectio conservata est in collectione Hispana.

b) *Collectio Quesnelliana* - a Quesnellio qui eam a. 1675 impressit, appellata, ab eodem vero falso nomine « *Codicis canonum Ecclesiae romanae* »

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, 209; Maroto, *l. c.*, 48.
[2] Wernz, *l. c.*, 209; Maroto, *l. c.*, 48.
[3] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 210; Maroto, *l. c.*, n. 50.
[4] Maroto, *l. c.*, 51; Chas. Augustine, *l. c.*, pag. 22.
[5] Maroto, *l. c.*, 51; Sägmüller, *l. c.*, I, § 36, pag. 151.
[6] Wernz, *l. c.*, I, 211, Maroto, *l. c.*, 49.
[7] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 211; Maroto, *l. c.*, 49.

donata, saeculo V in Gallia confecta est, ordine systematico, in 98 capitulis distributa [1].

4° **Collectiones Hispanicae.** - In Hispania duae mentione dignae collectiones habentur.

a) *Capitula Martini.* - Quae etiam « *Liber Capitulorum* » aut « *Excerpta Martini* » appellantur. Est collectio a Martino Archiepiscopo Bracarensi confecta aa. 563-580, ordine systematico, 84 capitulis et duabus partibus constans [2].

b) *Collectio Hispana seu Isidoriana.* - Cum illa antiquiori non confundenda, licet cum ea affinitatem habeat, sic appellata quia serius S. Isidoro tributa, citatur antiquitus etiam hoc nomine « *Corpus canonum* », est collectio chronologica in sua ultima recensione saeculo VII aut VIII ineunte in Hispania elaborata [3].

5° **Collectiones Britannicae.** - Hac periodo etiam in Britannia et Hibernia duae iuris canonici collectiones inveniuntur.

Prior quae ineunte saeculo VIII facta est, ordine systematico, in 64 vel 69 libros distributa, celebrior ob usum fuit, et *Hibernica* appellata. Altera maior quidem, at minus celebris, post medium saeculum VIII ab Egberto Archiepiscopo Eboracensi confecta est [4].

6° **Collectiones iuris specialis.** - Hic quaedam innuimus de libris, qui hac periodo in ecclesiis adhibiti, in iure efformando, non nihil influxerunt.

a) *Libri Poenitentiales.* - In Oriente iam S. Basilius tribus epistolis canonicis materiam poenitentialem ordinavit; deinde, saeculo VI exeunte, *Ioannes Ieiunator* ex collectione Ioannis Scholastici suum librum de hac materia deprompsit cui nomen *Canonicon* dedit.

In Occidente plures habentur libri poenitentiales pro singulis fere occidentalibus regionibus, non semper tamen eorum auctorum quibus anteactis temporibus adscripti sunt; ita, e. g., *Poenitentiale Geldae* adscriptum in Hibernia, *Poenitentiale romanum* etc.

Canones poenitentiales qui *in corpore iuris*, post Decretum Gratiani, continentur, non sunt proprie aliquod *poenitentiale*, sed quid simile, posterioris tamen aetatis; sunt enim illi canones ex *Summa aurea* Cardinalis Hostiensis († 1271) excerpti [5].

b) *Collectiones liturgicae.* - Collectiones quibus ius liturgicum continebatur in Oriente *Euchologia*, in Occidente primum *Sacramentaria* seu *libri sacramentorum* appellatae sunt.

Tria habentur sacramentaria: *Sacramentarium Leonianum* quo liturgia romana a S. Damaso ad S. Leonem (aa. 366-461) continetur; *Sacramentarium Gelasianum* (492-496) quo ritus Missae III et IV saeculi continentur; *Sacramentarium Gregorianum* a S. Gregorio coarctatum (aa. 590-604).

Ordines vero *romani* sexdecim numerantur quorum primus saeculo VIII, ultimus saeculo XV editus est. [6].

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 211 et 213; Maroto, *l. c.*, 49 et 54.

[2] Cfr. Maroto, *l. c.*, 52.

[3] Maroto, *l. c.*, n. 53; Wernz, *l. c.*, 212.

[4] Maroto, *l. c.*, n. 55.

[5] Cfr. Maroto, *l. c.*, 56; Wernz, *l. c.*, I, n. 223.

[6] Cfr. Wernz, *l. c.*, 224; Maroto, *l. c.*, 57; Bersani, *l. c.*, n. 28, qui inter fontes enumerat etiam *Librum Pontificalem* saeculo VI ineunte inceptum et deinde auctum saeculis seq.

c) *Liber diurnus.* - Est Codex formularum Cancellariae romanae aa. 686-752 confectus; formulas tamen etiam antiquiores referens [1].

d) *Ordines iudiciarii.* - Non sunt proprie dictae collectiones, sed tractatus de iudiciis ecclesiasticis. Ad tempus post Gratianum referendi sunt [2].

177. — IV. **Collectiones spuriae saeculi** IX. - Tres praecipuae habentur.

1° *Collectio capitularium Benedicti Levitae.* - Tres libros et quatuor appendices continet; tres quartas partes capitularium quae continet ab ipso falsificatore conficta sunt, aa. 825-847 [3].

2° *Collectio pseudo-Isidoriana.* - Duabus formis nobis transmissa est, longiori et breviori. Tribus partibus constat, in quarum prima, praeter 50 canones apostolorum, 60 Decretales RR. Pontificum a Clemente I ad Melchiadem a. 314 continet, quarum 58 ab ipso auctore collectionis confictae sunt. Altera pars continet concilia et quaedam alia falsa documenta ut falsa Constantini donatio; tertia pars Decretales a Silvestro Papa usque ad Gregorium II, a. 731, quarum 45 spuriae.

Huius collectionis falsificatio iam saeculo XIII suspicata, nostris diebus ut probata habetur; falsificationis auctor non agnoscitur; ipse se *Isidorum Mercatorem*, vel *Mercatum* vel *Peccatorem* dicit; verius, iuxta viros doctos, in Provincia ecclesiastica Remensi, aa. 847-851, ad disciplinam ecclesiasticam reformandam, ad iura Ecclesiae contra laicos defendenda, ad Episcopos contra Metropolitas, aliquantisper tunc invadentes, tuendos, quo facile intelligitur cur ab auctore augeatur Romani Pontificis auctoritas contra metropolitas, conscripta fuisse tenetur.

Influxus ab hac collectione in iuris canonici efformatione exercitus nec nimius dicendus est, nec nullus fuisse probari potest. Collectionem a RR. Pontificibus nullo modo processisse, nostris diebus, vel ipsi protestantes admittunt [4].

3° *Capitula Algiramni* seu *Angilramni.* - Est collectio 71 capitula continens, patriam habens regnum Francorum occidentale sub medietate saeculi IX; eius auctor non agnoscitur [5].

178. — V. **Aliae collectiones usque ad Gratianum.** - Plurimae, atque omnes systematicae, post collectionem pseudo-Isidorianam in lucem prodierunt. Praecipuas, pro distinctis regionibus, innuemus.

1° **In Italia.** - *a*) *Collectio* « *Anselmo dedicata* ». Exeunte saeculo XI confecta, nondum typis impressa.

b) *Collectio S. Anselmi iunioris* - aa. 1072-1085 confecta, nondum typis impressa; fere tota relata est in Decreto Gratiani.

c) *Collectio Card. Deusdedit* - a. circiter 1086 confecta.

---

[1] Wernz, *l. c.*, 255; Maroto, *l. c.*, 58; Bouix, *l. c.*, 436-447; Bersani, *l. c.*, 28.

[2] Wernz, *l. c.*, 226.

[3] Wernz, *l. c.*, 215; Maroto, *l. c.*, 59 in nota; Chas. Augustine, *l. c.*, pag. 23: Sägmüller, *l. c.*, I, § 39, pag. 161.

[4] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, n. 216; Maroto, *l. c.*, 59-63; Bouix, *l. c.*, 417-436; Chas. Augustine, *l. c.*, pag. 24-26; Sägmüller, *l. c.*, I, § 39, pag. 162-166.

[5] Wernz, *l. c.*, n. 217; Maroto, *l. c.*, 59 in nota.

d) *Collectio* Bonizonis - post a. 1089 confecta; nec ipsa impressa.

e) *Polycarpus* Card. Gregorii - aa. 1101-1108 confecta [1].

2° **In Germania.** - *a*) *Libellus de ecclesiasticis disciplinis et religione christiana collectus* - a Reginone Abbate Prumiense a. circiter 906 confectus.

b) *Collectarium canonum* - a Burchardo aa. circiter 1021-1022 confectum; ex quo quaedam excerpsit et Gregorius IX. Ex Burchardo aliquando regulae iuris *brocardicae* seu *brocardica* dictae sunt.

c) *Liber de misericordia et iustitia* - ab Algero confectus a. 1121; quem imitatus est Gratianus.

3° **In Gallia:** - *a*) *Collectio Abbonis Abbatis* - 52 capitulis constans, saeculo XI ineunte facta.

b) *Collectiones tres* Ivonis Carnutensis † 1115 vel 1117 quarum prima *Collectio trium partium;* altera *Decretum;* tertia vero *Panormia* seu *Panudia* appellatae sunt. Anno circiter 1095 totae tres completae iam erant.

4° **In Hispania:** - *a*) *Collectio Caesaraugustana* - in 15 libros distributa, saeculo XII ineunte facta.

b) *Collectio Tarraconensis* - sub fine saeculi XI confecta [2].

179. — VI. **Decretum Gratiani.** - De Decreto Gratiani quaedam fusius: 1° *Auctor eiusque finis.* - Gratianus monachus camaldulensis, italus, in monasterio Bononiensi SS. Felicis et Naboris, ubi fuit etiam *theologiae magister*, aa. 1139-1150, ad auferendam confusionem, quae ex nimia pluralitate collectionum iuris canonici quae tunc temporis circumferebantur necessario oriebatur, novam eamque perfectiorem collectionem perfecit, quae doctorum et praesertim scholarum plausu unanimi recepta est.

2° *Titulus operis.* - A Gratiano sua collectio « *Discordantium canonum concordia* » appellata fuit; ab aliis auctoribus Gratiano coaequalibus « *Decreta* »; ab aliis « *Corpus iuris canonici* »; nunc iamdiu « *Decretum Gratiani* » appellari consuevit.

3° *Divisio collectionis.* - Decretum in tres partes Gratianus divisit:

a) *Prima pars* ab eodem Gratiano in duas partes est subdivisa, quarum prior ab initio usque ad XX Distinctionem « *initium* »; altera vero usque ad finem « *tractatus ordinandorum* » ab ipso appellata fuerat.

Divisio primae partis in Distinctiones 101, necnon insertio distinctionis 73ae a Paucapalea facta est. Distinctiones dividuntur in canones.

b) *Altera pars* ab ipso Gratiano in 33 Causas, Causae in quaestiones, quaestiones vero in canones divisae sunt. Quaestio III

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, n. 218; Maroto, *l. c.*, 65.

[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, 219-221; Maroto, *l. c.*, 65-68; Sägmüller, *l. c.*, I, § 40.

causae 33 quae agit de Poenitentia, non a Gratiano, sed posterius, in Distinctiones 7 subdivisa est.

c) *Tertia pars*, quae et *liber de sacramentis* appellatur, a Paucapalea divisa est in Distinctiones quinque: distinctiones dividuntur in canones.

Subdivisio distinctionum in duas partes, quae in prima et tertia parte *decreti* invenitur, sicut divisio auctoritatum seu canonum in *initium* et *paragraphos*, item numeratio canonum, non a Gratiano, sed posterius sunt factae.

d) *Auctoritas Decreti*. - Magna semper fuit in scholis et foro, at privata. *Authenticitatem* vero *legalem* seu *iuridicam* sensu proprio, ne minimo quidem gradu *Decretum* umquam obtinuit; quod hoc modo recte enuntiatur: « *Canones, textusque allegati tantum valent in Decreto Gratiani, quantum extra illud* »; nisi de canonibus singulis aliud probari possit [1].

4° *Modus citandi Decretum*. - *a*) Prima pars Decreti citatur: c. 1, D. 1, vel I; seu, c. *Omnes* 1, D. 1, vel I; vel, c. *Omnes* simpliciter et tunc ubinam inveniatur canon in indice quaerendum est; - legitur autem citatio: Canone 1°, Distinctione 1ª.

b) Secunda pars citatur: c. 1, C. 1, qu. 1; vel, c. *Gratia*, C. 1; q. 1, et legitur: Canone primo Causae primae, quaestionis primae.

Quaestio III, Causae 33, citatur eodem modo ac prima pars Decreti addiecto verbo *de Poenitent.*, e. g., c. *Petrus* 1, D. 1, *De poenit.* - legitur: canone 1 Distinctione 1ª in tractatu de poenitentia, seu in quaestione III, Causae 33.

c) *Tertia pars* ut prima citatur adiecto verbo *de Consecrat.*, e. g., c. *Consecrationem* 1, D. 1, *De consecr.*; et legitur: Canone 1°, Distinct. 1, in parte tertia Decreti, seu, *De Consecratione*.

5° *Varii termini scholastici*. - Decretum Gratiani maximam nactus est in scholis auctoritatem, et multi ipsum explanare, sicut deinde factum est de Decretalibus, coeperunt. Isti variis nominibus appellati sunt, quae postea in usu remanserunt et partim adhuc remanent.

a) *Magistri* primum, deinde *Doctores Decretorum* seu *Decretistae* appellati sunt qui ius canonicum in scholis docebant, ad oppositionem *Legistarum*, seu, *Dominorum* qui ius civile pariter docebant. Discipuli vero scholae iuris canonici Decretalistae, seu, *canonistae* appellati sunt.

b) *Lectores* appellabantur magistri qui in schola *Lecturam* faciebant textus, eamque commentabantur. Compendium suarum *lecturarum* lectores *praelectiones* appellabant; *repetitiones* vero erant lectiones seu praelectiones in rebus difficilioribus, iam alia vice explicatis. *Glossatores* seu *Expositores* ii magistri appellabantur qui *glossas* seu maiores explicationes etiam scriptis consignabant. *Glossae* seu *glossaria* antiquiora erant *interlinearia*, i. e., inter lineas textus scripta, postea *marginalia* facta sunt et etiam *apparatus* appellata. Facta sunt etiam *Notabilia, Summae, Casus* etc. [2].

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, I, 230-236; Sägmüller, *l. c.*, I, § 41; Chas. Augustine, *l. c.*, pag. 30-35; cfr. etiam supra n. 173, 4°, *a.*, pag. 222.

[2] Cfr. Bersani, *l. c.*, 36; Wernz, *l. c.*, 245.

180. — VII. **Quinque compilationes antiquae.** - Post Decretum Gratiani aliae plurimae factae sunt collectiones inter quas memoria dignae habentur quae nomine « *quinque compilationum antiquarum* » veniunt.

1° *Compilatio prima.* - Quae et *Breviarium extravagantium*, i. e., Decretalium *extra* Decretum Gratiani vagantium appellata est, a Bernardo Papiensi, aa. 1187-1191, facta est. Hoc est in hac collectione notabile quod ipsa prima est quae divisionem, deinde semper retentam, iuxta versiculum:

Iudex, iudicium, clerus, connubia, crimen,

introduxit. Omnium plausu accepta, glossis etiam instructa est, sicut et sequentes.

2° « *Secunda compilatio* ». - A Ioanne Gallensi, aa. 1210-1215, confecta est, et magno plausu recepta.

3° « *Tertia compilatio* ». - Quae, ordine temporis, secundae praecedit, facta est a Magistro Petro Collivicini de mandato Innocentii III, qui eam *authentice* magistris et scholaribus Universitatis Bononiensis Const. « *Devotioni vestrae* », 28 Dec. 1210, misit, atque hoc ipso approbavit. Est primum exemplum collectionis *iuridice authenticae.*

4° « *Quarta compilatio* ». - Ab ipso Innocentio III facta est ante a. 1216 et promulgata authentice fuisse videtur.

5° « *Quinta compilatio* ». - Ab Honorio III cura Magistri Tancredi, aa. 1226-1227, facta est et authentice ab ipso promulgata ante 18 Mart. a. 1227 [1].

181. — VIII. **Decretales Gregorii IX.** - 1° *Earum auctor et finis.* - Gregorius IX, qui iuvenis, magister, Bononiae fuerat, Pontifex electus, ad confusionem auferendam, quae oriebatur ex multiplicitate collectionum quae extra Gratiani Decretum vagabantur, novam collectionem Decretalium faciendam S. Raymundo de Pennaforte († 1275) O. S. Dominici, poenitentiario suo commisit. Is opus sibi commissum quattuor annis, 1230-1234, absolvit. S. Raymundus in sua compilatione usus est canonibus Apostolorum et conciliorum, legibus civilibus, sententiis Patrum et praesertim Romanorum Pontificum Decretalibus.

2° *Collectionis titulus.* - Nova haec collectio a Gregorio IX « *compilatio* »; ab aliis « *compilatio nova* » vel « *Sexta compilatio* », « *liber extra* », vel « *liber extravagantium* »; i. e., Decretalium extra Decretum vagantium, vel « *Decretales Gregorii* », vel « *Decretales D. Gregorii Papae IX* » appellata est. Nos iam diu eam simpliciter « Decretales Gregorii IX » appellamus.

3° *Tempus et authenticitas.* - Expletam collectionem Gregorius IX Constit. « *Rex Pacificus* », 5 Sept. 1234, promulgavit, atque hac

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, 278; Bersani, *l. c.*, 39; Maroto, *l. c.*, 74-79; Sägmüller, *l. c.*, I, § 42, pag. 175-177.

promulgatione collectio *iuridice authentica strictissimo sensu* evasit, scilicet leges in ea contentae factae sunt leges unicae collectionis, quae sibi contradicere nequeant, aliae collectiones post Decretum Gratiani exclusae sunt, leges etiam in Decreto et documentis anterioribus his contrariae abrogatae, et ipsa collectio *vim universalem* obtinuit [1].

Hac tamen authenticitate iuridica ea tantummodo gaudent quae in collectione originali, prout nempe a Gregorio IX promulgata est, habentur, nec ea ipsa eodem prorsus modo. Ita iuridice authentica non sunt *Summaria capitum*, multo minus *glossae* et *partes decisae* [2].

Aliae partes ut *rubricae titulorum*, *inscriptiones historicae*, (non semper historice authenticae), facta historica in ipsis Decretibus enarrata, valorem iuridicum, licet authentice cum tota collectione promulgatae, non habent, quia leges non sunt; attamen ex ipsis, quia authentice promulgatae, argumenta iuridica recte deduci possunt ad intelligenda praesertim loca difficiliora.

4° *Divisio et citatio.* - Dividitur collectio Gregorii IX in quinque libros iuxta divisionem compilationis primae a Bernardo Papiensi introductam. Singuli libri dividuntur in titulos, singuli tituli in capita. Singula capita ordine chronologico, non logico afferuntur, de materia tamen tituli.

Citantur: Antiquitus: c. *Ex parte*; De ecclesiis aedif. vel repar.; vel: c. *Ex parte* Extra, vel: c. *Ex parte* extra, De ecclesiis aedif. vel repar. - Nostris vero diebus: c. 1, X [3], III, 46.

Vel aliis modis completioribus, facilioris proinde lectionis, - legitur vero citatio: Capite 1, in Decretalibus Greg. IX, titulo 46, libro III.

Si titulus, non numero, sed verbis rubricae exprimatur videndum est in indice, quonam libro et quonam numero sit [4].

182. — IX. **Aliae Decretalium collectiones.** - 1° **Decretales seu liber sextus Bonifacii VIII.** - Post Gregorium IX tres collectiones ab Innocentio IV, quarta a Gregorio X, et quinta a Nicolao III promulgatae sunt. Ad confusionem necessario inde ortam auferendam,

---

[1] Cfr. supra, n. 173, 4°, p. 222.

[2] Partes decisae appellantur illae partes, plerumque historicae, quae a S. Raymundo, brevitatis gratia, a decretalibus originalibus decisae seu resecatae fuerant, quod factum fuisse indicatur in decretalibus, hoc inciso, *et infra;* hae partes postea sive in textu sive in margine, pro editionum varietate, additae sunt.

[3] Ista littera ad indicandam collectionem Gregorii IX adhibita est quasi esset abiuratio *Extravagantium;* Decretales enim Gregorii IX antiquitus *liber extravagantium* appellatae sunt.

[4] Wernz, *l. c.*, 239-245; Bersani, *l. c.*, 40-43; Sägmüller, *l. c.*, I, § 43.

Universitas Bononiensis a Bonifacio VIII petiit ut nova collectio illarum exclusiva pararetur, quod Papa libenter concessit adiuvantibus viris doctis illius temporis, quo etiam factum est ut collectio iuridice perfectior evaderet.

Collectio *Liber sextus* appellata est, quia quinque libris Gregorii IX accessit; ipsa tamen, ut collectio Gregorii IX, in quinque libros iterum dispescitur, libri in titulos, tituli in capita.

Bonifacius VIII sua Constit. « *Sacrosanctae* », 3 Mar. 1298, collectionem promulgavit, quae ipsa promulgatione facta est *iuridice strictissimo sensu authentica*, i. e., *una*, *universalis* et *exclusiva*. Non excludit tamen decretales Bonifacii VIII, forte in ea non contentas, nec decretales Greg. IX.

Ea quae de summariis, rubricis, glossis etc. Decretalium Gregorii IX diximus, valent etiam de *libro Sexto*.

Citatur eodem prorsus modo ac collectio Gregorii IX, ablato signo *X* (extra), et addito in fine signo In VI°, vel in 6°, vel *in sexto*, e. g., c. *Ubi periculum* 3, I, VI, in 6; legitur capite primo incipiente: *Ubi periculum, libro* primo, titulo sexto, in libro sexto Decret. Bonifacii VIII [1].

2° **Clementinae.** - Clemens V ad exemplum suorum praedecessorum collectionem suarum Decretalium paratam et in consistorio iam promulgatam, morte praeventus, 20 April. 1314, ad Universitates transmittere non potuit; quod post tres annos eius successor Ioannes XXII, 25 Octobr. 1317, Constit. « *Quoniam nulla* » praestitit. Hac Constitutione collectio ista *authentica iuridice, una, universalis non tamen exclusiva* facta est. Ipsa a Ioanne XXII « *Liber septimus Decretalium* »; communius tamen « *Constitutiones Clementis* » vel « *Liber Clementinarum* » vel simplicius « *Clementinae* » appellata est.

Divisio eadem est ac in praecedentibus collectionibus; quae de summariis, glossis etc. ibi diximus eadem prorsus et hic valent.

Citatur item eodem modo, mutata finali indicatione hoc modo: *In Clement.*, e. g., c. 1, I, 1 *in Clement.* et legitur: capite 1, libro primo, titulo primo in Clementinis [2].

3° **Extravagantes Ioannis XXII.** - Viginti Constitutiones Ioannis XXII communioris usus, a. 1500, Ioannes Chappuis Parisiensis, iuris prolyta, in 14 titulos, non in libros, distributas in *Editione Corporis iuris canonici* edendas curavit, quod deinceps semper servatum est. Appellata est haec collectio, quae *privata non iuridice authentica* est, « *Extravagantes Ioannis XXII* ».

---

[1] Wernz, *l. c.*, I, 246-247; Bersani, *l. c.*, 45.

[2] Cfr. Maroto, *l. c.*, 88; Wernz, *l. c.*, 248; Bersani, *l. c.*, 46.

Citatur indicatione capitis et tituli, cum additione, *in Extrav.* Ioan. XXII, e. g., c. 1, t. I, in Extr. Io. XXII - legiturque: Capite 1, titulo primo in Extr. Ioannis XXII [1].

4° **Extravagantes communes.** - Idem Io. Chappuis eodem fere tempore (1500-1504) alias 70 Decretales, usus communioris, a variis RR. Pontificibus editas collegit, et in libros titulosque et capita distribuit iuxta divisionem Decretalium Gregorii IX. Vacat tamen ex defectu materiae liber quartus.

Etiam ista collectio, quae deinceps semper impressa est in editionibus *Corporis iuris canonici*, et appellata « *Extravagantes communes* » privata, non iuridice authentica est.

Citatur eodem modo ac Clementinae mutata finali indicatione hoc modo: *in Extrav. com.*

183. — X. **Corpus iuris canonici.** - 1° *Historia nominis.* - Appellatio ista « *Corpus iuris canonici* » primum *decreto Gratiani* deinde tribus collectionibus authenticis Gregorii IX, Bonifacii VIII, et Clementis tributa est. Aliae etiam appellationes huic similes adhibitae sunt, ut *corpus canonum* quo collectio *Anselmo dedicata; Corpus iuris* quo quinque *compilationes antiquae* et dein *collectio Gregorii IX.*

2° *Quid nunc comprehendat.* - Inde a Gregorio XIII Constit. « *Cum pro munere* », 1 Iul. 1580, hoc nomine venit liber has collectiones continens: *Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX, Liber sextus Decretalium Bonif. VIII, Clementinas, Extrav. Ioannis XXII* et *Extrav. communes;* ex quo patet *Corpus iuris canonici* non constituere collectionem quamdam authenticam, sed librum esse varias diversae speciei collectiones continentem.

Hoc solum sensu dici potest *Corpus iuris can. authenticum* esse, quod post Gregorium XIII nihil in eo mutandum sit, quae, nisi *sensu improprio, authentia iuridica* appellari nequit. Attamen in praxi solummodo inde a saeculo XVII illae sex collectiones cum titulo *Corpus iuris canonici* imprimi coeptae sunt [2].

3° *Additamenta ad corpus iuris canonici.* - Editiones [3] corporis iuris canonici praeter collectiones supra enumeratas quae proprie *Corpus iuris canonici* constituunt has etiam plerumque continent.

---

[1] Wernz, *l. c.*, 249; Maroto, *l. c.*, 89; Bersani, *l. c.*, 48.

[2] Cfr. Wernz, *l. c.*, 263-264; Maroto, *l. c.*, 91-93; Biederlack, *l. c.*, pag. 31; Chas. Augustine, *l. c.*, pag. 43.

[3] Plures sunt editiones *Corporis iuris canonici:* optima est quam, a. 1922, secundo, cum apparatu critico edidit Aemilius Friedberg, ex officina Bernhardi Tauchnitz, Lipsiae duobus voluminibus constans. In hac editione *partes decisae* in textu, scriptura distincta afferuntur. In ipsa autem non sunt impressa nec canones apostolici, nec canones poenitentiales nec alia additamenta.

1° *Canones apostolicorum.* - De quibus alibi loquuti sumus, ad calcem Decreti Gratiani.

2° *Canones* 47 *poenitentiales.* - Qui, ut alibi innuimus, ex *Summa aurea* Card. Hostiensis † a. 1271, excerpta sunt.

3° *Librum septimum Decretalium Petri Matthaei* † 1621. - Qui probe distinguendum est a libro « *SS. Domini Nostri D. Clementis Papae VIII Decretales* » qui alter aliquando etiam vocatus fuit: « *Liber septimus Decretalium Clementis VIII* ». Neuter tamen umquam authenticus iuridice fuit [1].

4° *Institutiones iuris canonici.* - A Paulo Lancelotti † 1590 ex mandato Pauli IV factas, at non iuridice authentice promulgatas.

De his institutionibus hoc est notandum quod divisio in ipsis adhibita quae quatuor libros comprehendebat: *De personis, De rebus, De iudiciis, De delictis et poenis;* etiam in novo Codice iuris canonici retenta fuit.

Ut patet haec omnia additamenta iuridice authentica numquam fuerunt [2].

184. — XI. **Collectiones extra corpus iuris canonici usque ad Codicem.** - 1° **Regulae Cancellariae.** - Cancellaria Apostolica quibusdam regulis semper uti debuit, ut ipsa eius natura postulat. Saeculo XII prima vestigia ordinationum Cancellariae Apostolicae occurrunt; at solum inde a Ioanne XXII † 1324 *regulae Cancellariae* scriptis consignatae sunt, stabilitae vero, ut erant ante Codicem numero 72, regulae cancellariae solummodo saeculo XVIII, sunt. Ipsae directe Cancellariam Apostolicam obligabant, sed praesertim ratione beneficiorum S. Sedi reservatorum Ecclesiam universam quod ad multa tangebant. Vim suam solum, R. Pontifice vivente, exercebant et a novo Pontifice iterum erant promulgandae; inde vero ab Urbano VIII haec promulgatio non fuit amplius necessaria.

A novo Codice et ipsae saltem in iis quae ad regimen Ecclesiae universalis pertinent, abrogatae sunt [3].

2° **Canones et Decreta Concilii Tridentini.** - Haec Concilii Tridentini collectio authentice a Pio IV, 26 Ianuarii 1564, promulgata est, atque vim universam Ecclesiam obligandi obtinuit, non tamen exclusivo modo. Concilium sessiones 25 habuit; plures sessiones duabus partibus constant, dogmatica et morali seu *de reformatione.* Sessiones 24 et 25 duplex *decretum de reformatione* habent, utrumque in duas partes divisum, *generale* et *speciale;* speciale 24 sessionis est *De reformatione matrimonii;* speciale 25, est *De regularibus:* Caput 1 *Tametsi, De ref. matrim.* numquam universalem obtinuit applicationem. Codex et hanc collectionem, qua disciplinaris erat, abrogavit [4].

3° **Collectiones conciliorum.** - Plurimae collectiones habentur et collectionum summae: quaedam hic de praecipuis collectionibus;

a) *Collectio regia Parisiensis*, 37 vol. constans a. 1644 edita.

b) *Collectio Labbei*, 17 vol. et uno a Balutio addito constans, aa. 1671-1683, Parisiis, edita.

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.*, 266-267 et 264 in nota 26.

[2] Cfr. Mároto, *l. c.*, 94.

[3] Maroto, *l. c.*, 97-98; Wernz, *l. c.*, 252.

[4] Cfr. Wernz, *l. c.*, 258-261; Maroto, *l. c.*, 99-101.

c) *Collectio Harduin*, Parisiis, edita 17 vol., a. 1715.

d) *Collectio Coleti*, Venetiis, 25 volum. edita, aa. 1728-1734, cum supplemento 6 vol. a Mansi, Lucae, aa. 1748-1752, addito.

e) *Collectio Mansi*, 31 vol. constans usque ad a. 1440; vol. 1-13, Florentiae, aa. 1759-1769; 14-31 Venetiis, prodierunt aa. 1769-1798. Paratur nunc Parisiis a Huberto Welter, huius collectionis nova editio et continuatio, quae, opere completo, 87 circiter vol. constabit.

f) *Collectio Lacensis*, a Patribus S. I., Friburgi Brisgoviae, a. 1870, edita, 7 vol. concilia praesertim recentiora continens, cum utilibus notis criticis [1].

4° **Bullaria.** - Quae, a Bullis, formis specialibus litterarum apostolicarum, nomen acceperunt, praecipua sunt:

a) *Bullarium Cherubini*, de quo tres editiones habentur; prima 1 vol. Romae, a. 1586 a Laertio Cherubini facta; altera ab eodem, Romae, a. 1617, 3 voluminibus; tertia, a. 1634, ab Angelo Maria Cherubini, Laertii filio, Romae 4 vol. curata, cui a. 1672 quintum vol. ab Angelo de Lantusca et Paulo de Roma additum est.

b) *Magnum Bullarium Romanum Luxemburgense*, a. 1727, Luxemburgi, 8 vol., prodiit, quod annis sequentibus 11 aliis voluminibus ditatum est usque ad Bened. XIV.

c) *Bullarium Romanum Cocquelines*, a Mainardo Romae, 28 vol., aa. 1733-1748 vel 1739-1762 editum.

d) *Bullarium Benedicti XIV*, quod variis editionibus prodiit; 4 volum. constat, quorum primum *authenticum sensu stricto* est.

e) *Bullarii Romani continuatio*, a Barberi et a Spetia, aa. 1835-1857, Romae edita, 18 vol. a Clemente XII ad Pium VIII.

f) *Bullarium Taurinense*, a Tomassetti aa. 1857-1872, 24 vol. Taurini editum, continet Bullas etc. a Leone I, usque ad Clement. XII; cuius continuatio considerari potest *Bullarium Pratense* aa. 1842-1856, 13 vol. Prati editum.

Habentur praeterea Bullaria specialia ordinum religiosorum et quaedam alia minoris momenti [2].

5° **Regesta et Acta Romanorum Pontificum.** - Huiusmodi sunt:

a) *Collectio Petri Constant.* - « *Epistulae RR. PP. ab a. Chr.* 67 *ad a.* 440 », Parisiis edita 1721.

b) *Collectio Thiel.* - « *Epistulae RR. PP. genuinae ab Hilario usque ad Hormisdam* (461-522) » Braunsbergae, a. 1868 edita.

c) « *Regesta RR. PP. a condita Ecclesia ad a.* 1198 » Lipsiae, edita.

d) « *Regesta RR. PP. ab a.* 1198 *ad a.* 1304 » a Posthast, Berolini edita, a. 1874.

e) « *Regesta RR. PP. iubente regia societate Gotthingensi congessit I. P. Kehr* » Berolini, a. 1906 [3].

Habentur praeterea *Acta* Pii IX, Leonis XIII et Pii X usque ad a. 1908, quo Commentarium officiale *Acta Apostolicae Sedis* publicari coeptum est [4].

---

[1] Cfr. Maroto, *l. c.*, 102-103; Bersani, *l. c.*, 58.

[2] Cfr. Maroto, *l. c.*, 107-114; Wernz, *l. c.*, 268; Bersani, *l. c.*, 59.

[3] Cfr. Maroto, *l. c.*, 106; Bersani, *l. c.*, 60.

[4] Wernz, *l. c.*, 278-279; Maroto, *l. c.*, 115-118.

6° Acta SS. Congregationum et SS. Tribunalium S. Sedis.

a) *Collectiones decisionum Rotalium.* - Maximum momentum in iure canonico obtinerunt collectiones decisionum S. Romanae Rotae quarum quae communioris sunt usus hic meminisse iuverit.

α) *Decisiones novissimae diversorum*, saeculo XVI a Prospero Farinacio collectae et Romae primum, a. 1589, deinde Lugduni, a. 1608, 4 vol. editae.

β) *Decisiones recentiores*, 25 vol. a Farinacio, Paulo Rubeo, et Io. B. Compagno collectae et Venetiis, a. 1697, editae; quarum etiam compendium, 5 vol. ordine alphabetico digestum, exstat.

γ) *Decisiones nuperrimae*, 10 vol. cum volumine appendicis, ab a. 1684 ad a. 1706.

δ) *Decisiones volantes*, singulis annis publicatae, ab a. 1706 ad a. 1870 [1].

ε) *S. Romanae Rotae decisiones seu sententiae*, quae iuxta *legem propriam* et Constit. « *Sapienti Consilio* » Pii Papae X prodierunt. Extant nunc sex volumina aa. 1912-1922, impressa typis polyglottis vaticanis, continentia *decisiones* aa. 1909-1914. In primo vol. exstat optima praefatio Card. Lega.

b) *Collectiones S. C. Concilii.* - Celeberrima habetur huius S. Congregationis collectio cui titulus: *Thesaurus resolutionum S. Cong. Concilii*, cuius idea ineundae Prosperi Lambertini fuisse videtur qui eam collectionem ab a. 1718 incepit. Thesauri collectio a. 1908 cessavit; 167 vol. constat. Cum *Thesaurus* ex officio a Secretario S. Congregationis ederetur, collectio officialis seu *iuridice authentica sensu stricto* dicenda est.

Habentur praeterea collectiones decisionum eiusdem S. Congreg. privatae, prima *a Zamboni* 8 vol., Romae, aa. 1812-1816 edita; altera *a Falloteni* 17 vol. aa. 1867-1893, Romae, edita; tertia *a Muehlbauer* a. 1872, Monachii, et tandem *quarta a Reuss et Linge* Ratisbonae, a. 1871, editae [2].

c) *Collectio S. Congreg. EE. et RR.* - S. Cong. EE. et RR. authenticam iuridice collectionem nunquam edidit; collectionem tamen utilem privatim edidit A. Bizzarri hoc titulo: *Collectanea in usum Secretariae S. C. EE. et RR.*, quae duas editiones habuit aa. 1863 et 1865 [3].

d) *Collectiones S. Cong. de Propaganda Fide.* - Praeter alia antiquiora minoris momenti duae sub nomine S. C. de Propaganda Fide circumferuntur collectiones:

α) *Ius pontificium de Propaganda Fide SS. D. N. Leonis XIII P. M. iussu recognitum*, Romae, a. 1888 et sq., cura Raphaelis de Martinis 8 vol. editum. Haec collectio iuridice authentica non est, at maxima gaudet authenticitate historica.

β) *Collectanea S. C. de Propaganda Fide*, ab ipsa S. Congregatione in usum Missionariorum bis edita; primo, unico volumine, a. 1893, ordine systematico; deinde, a. 1907, duobus voluminibus ordine chronologico. Decreta etiam aliarum Congreg. ad usum Missionariorum refert [4].

---

[1] Cfr. Maroto, *l. c.*, 124; Bersani, *l. c.*, 75.
[2] Maroto, *l. c.*, 119; Wernz, *l. c.*, 270; Bersani, *l. c.*, 79.
[3] Maroto, 120.
[4] Cfr. Maroto, 121; Wernz, *l. c.*, 272; Bersani, *l. c.*, 82.

e) *Collectiones S. Cong. Rit.* - Duae sunt collectiones, *stricto sensu*, iuridice authenticae quae, praeter alias minoris momenti non authenticas, ab hac S. Congreg. prodierunt:

α) *Decreta authentica Cong. Sacror. Rituum.....* cura A. Gardellini, a. 1856 sq., 3 edita.

β) *Decreta authentica Congreg. SS. Rituum* aa. 1898-1901, 5 vol. edita Romae; accedit nunc vol. VI, Appendix I, a. 1912, editum.

Nunc huic alteri, collectione Gardellini relicta, standum est exclusive [1].

f) *Collectiones S. Cong. Indulgentiarum.* - Unica est *collectio authentica iuridice sensu stricto* ab hac Congregat. edita, a. 1884 Ratisbonae, cum titulo: « *Decreta authentica S. C. Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae ab a.* 1668 *ad a.* 1882 ». Alia collectio « *Rescripta authentica* » non est iuridice authentica, sed privatim a P. Schneider confecta.

185. — XII. **Tentamina codificationis.** - 1° **Ante Concilium Vaticanum.** - Ut tentamina codificationis legum ecclesiasticarum considerari possunt:

a) *Synodi dioecesanae* plurium dioeceseon quae ius particulare canonibus vel titulis vel paragraphis distributum habebant. Item *Constitutiones et regulae Ordinum religiosorum* quod ad ius speciale quo regebantur.

b) *Institutiones iuris canonici* a Ioanne Paulo Lancellotto ex mandato Pauli IV (1555-1559) concinnatae, licet nunquam authentice approbatae fuerint, ut antiquius tentamen *codificationis* universi iuris ecclesiastici considerandae sunt; quod etiam ex hoc patet quod ordo systematicus in ipsis admissus etiam in novo Codice retentus est [2].

c) *Codificatio pro tribunalibus civilibus* Status pontificii cura Leonis XII facta et a Gregorio XV, a. 1835, sub hoc nomine: « *Regolamento legislativo e giudiziario per gli affari civili* » promulgata, modernorum codicum methodo digesta [3].

2° **Post Concilium Vaticanum.** - Postquam plures Patres in Concilio Vaticano iuris ecclesiastici codificationem postularunt, Romani Pontifices huic operi manus apposuerunt, donec Pius X ingens opus codificationis generalis aggressus est. Eiusmodi tentamina codificationis sunt praecipue:

a) Constitutio « *Apostolicae Sedis* » a Pio IX, 12 Oct. 1869, edita, qua ius poenale vigens in Ecclesia saltem quod ad censuras ordinatum fuit, et unico textu restrictum.

b) Constitutio « *Officiorum ac munerum* » a Leone XIII, 25 Ianuarii 1897, ius praeviam censuram et prohibitionem librorum continens.

c) *Instructio S. C. Episcoporum et Regularium*, die 11 Iunii 1880, pro ecclesiasticis curiis quod ad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, primum Italice edita et dein latine in *Act. S. Sedis*, v. XIII, pag. 324.

d) *Normae secundum quas S. Congr. Episcop. et Regular. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium*, a. 1901 editae.

---

[1] Cfr. Maroto, *l. c.*, 122; Wernz, *l. c.*, 273; Bersani, *l. c.*, 83.

[2] Cfr. *Institutiones* ad calcem *Corporis iuris canonici*; Maroto, *l. c.*, n. 94, B, *b*).

[3] Cfr. Wernz, *l. c.*, V, n. 12, in nota; Noval, *S. Codificationis iuris canonici recensio historico-apologetica*, n. 16.

e) Constitutio « *Conditae a Christo* », relationes institutorum votorum simplicium ad Episcopos respiciens, a Leone XIII, 8 Dec. 1900, edita.

3° **Ab initio Pontificatus Pii X usque ad Codicis promulgationem.** - Postquam vero, divina Providentia duce, Pius X Ecclesiae regimen suscepit, opus *codificationis* intensius progressum est; *Motu* enim *proprio* « *Arduum sane munus* », 19 Mart. 1904, Commissio Pontificia Cardinalium ad leges ecclesiasticas in Codicem redigendas constituta est.

Plurimae leges ab illo praesertim tempore editae sunt, quae ut opus praeparatorium ad codificationem consideranda sunt; sunt enim ideo, ante Codicem perfectum, editae ut earum defectus, si qui irrepsissent, postea in definitiva digestione corrigi possent; quo factum est ut Codex perfectior evaserit. Hoc modo illis annis intermediis, vivente praesertim Pio X, plurimae prodierunt partiales codificationes, inter quas sunt praecipuae:

a) Costitutio « *Vacante Sede Apostolica* », diei 25 Decemb. 1904; ad calcem Codicis relata, quae etiam post Codicem totum valorem retinet.

b) Constitutio « *Sapienti consilio* », die 29 Iunii 1908, a Pio X promulgata, *de Curia romana* reformanda.

c) *Lex propria S. Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae*, die 29 Iunii 1908, a Card. Merry del Val *de mandato speciali* Pii X promulgata.

d) *Ordo servandus in sacris Congreg., Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae. Normae Communes*, ab eodem Cardinali Merry del Val, 29 Iunii 1908, *de mandato speciali* Pii X promulgatus.

e) *Ordo servandus* etc. ut supra. - *Normae peculiares*, eodem modo, 29 Septembris 1908, promulgatus.

f) *Lex propria Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae*, una cum Appendice *De taxatione expensarum iudicialium*, 29 Iunii, eodem ac supra modo, a Card. Merry del Val promulgata.

Item *Regulae servandae in iudiciis apud Sacrae Romanae Rotae tribunal approbatae et confirmatae.*

Item *Regulae servandae in iudiciis apud supremum Apostolicae Signaturae tribunal* [1].

g) Libellus cui titulus: « *Norme per l'ordinamento educativo e disciplinare dei seminari d'Italia* », 1 Ianuarii 1908, a Pio X approbatus et a S. C. EE. et RR. praescriptus.

h) Decretum « *Maxima cura* » a S. Cong. Consistoriali, 20 Augusti 1910, promulgatum; in quo etiam de parochis consultoribus et examinatoribus.

i) Decretum « *Ne temere* » de forma substantiali sponsalium et matrimonii, a S. C. Concil., 2 Aug. 1907, promulgatum; una cum decret. « *Provida* », 18 Ianuarii 1906.

l) Constit. « *Divino afflatu* », 1 Nov. 1911, una cum *Rubricis* in recitatione divini officii et in Missarum celebratione servandis.

Item multa alia minoris momenti ius praesertim speciale religiosorum respicientia.

---

[1] Cfr. haec omnia apud Wernz, *l. c.*, V, ad calcem libri secundi.

§ 3. — *Codex iuris canonici.*

186. — Cum *Codex iuris canonici Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus*, universum Ecclesiae catholicae ius vigens contineat, et collectio omnium perfectissima sit, de eo aliquid fusius hic dicendum est, praesertim ex iis quae Cardin. Gasparri in eruditissima Praefatione Codici praemissa disserit.

I. **Codificationis necessitas.** - Necessitatem codificationis iuris canonici in Concilio Vaticano plurimi ex variis nationibus Patres panderunt; eaque ex multiplicitate collectionum, de quibus hucusque disseruimus, quae antea vigebant, ex se patet; nec enim ulla illarum collectionum, plerumque auctoritate privata factarum, completa legislatio habebatur ita ut vix possibile esset, ipsis iuris canonici doctoribus, plenam de aliqua re canonica scientiam habere.

187. — II. **Codicis historica enarratio.** - In Codicis elaboratione enarranda quatuor praecipue distinguere possumus.

1° **Codificatores.** - Codificatores hic appellamus qui Codici definitivam manum apposuerunt. Huiusmodi sunt solummodo Cardinales Pontificiam Commissionem constituentes a Romano Pontifice, litteris, motu proprio, 19 Mart. 1904 « *Arduum sane munus* » datis, electi.

Non multo post alterum Consilium quinque Cardinalibus constans constitutum est, quo codificatio expeditius procederet.

Cardinalium autem opus in codificatione hoc fuit.

a) Canones paratos a Consultoribus et a Collaboratoribus, duabus saltem sessionibus, Cardinali Gasparri referente, *prima vice* adprobare. Quod si res severius postularet examen ad S. Congregationem in materia, de qua agebatur, competentem ante hanc ipsam primam adprobationem deferebatur.

Hoc fuit opus Commissionum Cardinalium in prima Codicis redactione, quae a. 1914 expleta est.

b) Remissa ab Episcopis Romam schemata iam prima vice a Cardinalibus adprobata, una cum observationibus eorumdem Episcoporum, Commissio Cardinalium codificatrix, exclusis Consultoribus et aliis collaboratoribus, per se ipsa examinavit, referente Cardinali Gasparri. Quod opus novae revisionis Commissio, a. 1916, mense Iulio explevit.

c) Denique Codicem iterum animadversionibus a Cardinalibus et a Praelatis Curiae romanae ditatum, Commissio tertio suo examini subiecit et definitive Romano Pontifici adprobandum et promulgandum porrexit.

2° **Collaboratores.** - Praeter Cardinales qui maximum, post Romanum Pontificem in Codice redigendo responsabilitatis gradum

attingebant et *Collaboratores* habebantur, quo nomine illos omnes intelligimus qui Codicis redactioni manus apposuerunt praeter Cardinales Codificatores, et praeter *Consultores* de quibus postea. Hi autem collaboratores sunt:

a) *Episcopi universi*, qui collaboratores nati appellari possent, quique vario modo Codici redigendo manus apposuerunt.

α) Litteris, 25 Martii 1905, ad omnes totius catholici orbis archiepiscopos datis mandatum est ut, ipsi auditis suis aliisque, si qui essent, Ordinariis qui synodo provinciali interesse deberent, quamprimum, idest non ultra quatuor menses a receptis litteris, Sanctae Sedi paucis referrent, an et quaenam in vigenti iure canonico, sua eorumque sententia immutatione vel emendatione prae ceteris indigerent.

β) Deinde Episcopi etiam hoc modo collaboraverunt unum vel alterum virum iuris canonici et theologiae praestantem, pro singulis nationibus, communi Episcoporum consensu electum Romam mittendo, qui Consultorum coetui adscriberetur, qui in ipso coetu Episcoporum ipsorum optata praesentaret.

γ) Denique cum ab a. 1912 singulae partes Codicis paratae a Consultoribus, a Collaboratoribus et prima vice a Cardinalibus approbatae ad singulos Episcopos orbis catholici, et ad Supremos regularium Superiores mitterentur, hoc ordine, a. 1912 *Normae generales*, et Liber *De personis;* a. 1913, *De rebus* et *De delictis et poenis;* a. 1914, *De iudiciis ecclesiasticis;* concessum est singulis Episcopis, ut, adscitis sibi uno vel altero consultoribus sibi benevisis, intra quatuor menses a receptis singulis voluminibus, eadem volumina una cum additis animadversionibus iterum Romam remitterent. Remissio tamen ista non a singulis Episcopis facienda erat, sed ab Archiepiscopis, convocatis prius Episcopis et animadversionibus in unum collectis.

Hac autem transmissione peracta, collaboratio Episcoporum cessavit.

b) *Superiores regulares* indirecte his duobus modis collaboraverunt:

α) Ipsi debebant a metropolitis in negotio codificationis audiri [1].

β) Singulae partes Codicis, iam prima vice a Commissione Cardinalium adprobatae, Superioribus regularibus supremis missae sunt ut et ipsi suas, si quas haberent, animadversiones apponerent.

c) *Universitates studiorum.* - Inter collaboratores etiam Universitates studiorum adnumerandae sunt; litteris enim 6 April. 1904 a Card. Gasparri invitatae sunt ut et ipsae ad arduum opus concurrerent aliquos designando antecessores qui parati essent determinatas partes futuri Codicis in articulos seu canones redigere.

d) *Cardinales et Praelati Curiae.* - Denique inter collaboratores adnumerandi sunt omnes Cardinales et Praelati Curiae

[1] Cfr. Noval, *l. c.*, n. 22.

romanae quibus, a. 1916, Codex, iam altera vice a Commissione Cardinalium revisum, missum est, ut et ipsi suas animadversiones apponerent, quod et fecerunt.

3° **Consultores.** - Opus tamen, ut ita dicam, materiale et simul intellectuale codificationis maxime sustinuerunt *Consultores* quibus una cum *collaboratoribus* ab Universitatibus studiorum deputatis onus singulas partes Codicis in Canones redigendi commissum est.

a) Consultores a Commissione Cardinalium, adprobante Romano Pontifice, ex utroque clero in iure et theologia peritissimi electi sunt, qui brevi amplissimum collegium constituerunt, cui, de mandato Romani Pontificis, Cardin. Gasparri praefuit.

Unum vel alterum Consultorem pro singulis nationibus Episcopis de communi consensu facta est facultas eligendi.

b) Collegium Consultorum ad codificationem expeditius elaborandam in duas (aliquando etiam in tres) commissiones dispartitum est; unaquaeque autem Commissio semel in hebdomada, altera die dominico, altera feria V adunabatur, inde a die 4 Novembris 1904.

c) Hoc autem modo opus consultorum explicatum est:

α) Praemissi fuerunt nonnulli conventus Consultorum praeparatorii in quibus de materia et de methodo in Codice redigendo actum est.

β) Quodlibet schema codificationis commissum est duobus, vel, pro rei gravitate tribus quatuorve consultoribus vel Collaboratoribus conficiendum, hac tamen lege ut alter alterius nomen ignoraret.

γ) Schemata ita a singulis parata, consultores convenientes per singulos canones, in alterutra Consultorum Commissione discutiebant, nisi res gravior omnium Consultorum consilium postularet.

Haec autem discussio non semel, sed quater, quinquies, vel, si res postularet, etiam decies et duodecies repetebatur.

δ) Schema hoc modo a peculiari coetu Consultorum adprobato, ad singulos mittebatur Consultores universi collegii, qui scripto suas animadversiones singuli apponerent.

His autem animadversionibus opus Consultorum finem habuit a. 1914.

4° **Ipsa Codicis elaboratio.** - Ita in ipsa Codicis elaboratione processum est:

a) Praemissi sunt conventus Consultorum, Romae habiti, ubi de materia, methodo, indice etc.: futuri Codicis disputatum est.

b) Litteris, 25 Mart. 1904, data est facultas Episcopis totius mundi proponendi Commissioni Pontificiae quae ipsi in iure vigente emendanda vel immutanda putarent.

c) Singulae determinatae partes futuri Codicis Consultoribus seu Collaboratoribus redigendae commissae sunt, a. 1904.

d) Advenientes interim Romam animadversiones Episcoporum, typis impressae Consultoribus distributae sunt, a. 1904.

e) Schemata a Consultoribus parata a peculiari coetu Consultorum adunato sub praeside Cardinali discutiebantur quater vel pluries prout res postularet, aa. 1904-1914.

f) Schemata a peculiari coetu iam approbata iterum ad omnes mittebantur consultores qui suas unusquique animadversiones proponerent scripto, aa. 1904-1914.

g) Tunc schemata cum animadversionibus Consultorum, referente Cardin. Gasparri, Cardinalium coetui bis saltem proponebantur; qui quandoque, si res postularet, schemata Sacrae Congregationi in re competenti remittebat, aa. 1904-1914.

h) Schemata *prima vice* ita a Commissione Cardinalium adprobata aa. 1912-1914 Praelatis omnibus Conciliis oecumenicis intervenire solitis, delata sunt, qui suas et ipsi animadversiones apponerent.

i) His animadversionibus Romam remissis iterum schemata, praetermissis Consultoribus, Cardinalium examini et adprobationi subiecta sunt, aa. 1915-1916.

l) Hoc modo approbata schemata iterum ad Cardinales et Praelatos in Curia residentes missa sunt, ut et ipsi suas apponerent observationes; quod et fecerunt, a. 1916.

m) Schemata iterum a Commissione Cardinalium definitive approbata, R. Pontifex Benedictus XV, per se ipse, in omnes suas partes recognovit et deinde promulgavit.

188. — III. **Codicis promulgatio et vacatio.** - 1° **Promulgatio.** - Benedictus XV, in Consistorio diei 4 Dec. 1916, Orbi Catholico nuntiare potuit opus Codificationis expletum esse; et die Pentecostes, 27 Maii 1917, sollemnissime, extraordinaria methodo, coram omnium Cardinalium in Curia residentium Collegio, coram Consultoribus et Collaboratoribus, nec non aliis multis Praelatis et Officialibus Curiae, Constit.: « *Providentissima Mater Ecclesia* » promulgavit.

2° **Vacatio.** - Ut autem novae legis notitiam omnes etiam dissitarum regionum catholici acquirere possent, idem Benedictus XV Codicem vim suam obligandi non exerciturum, nisi a die Pentecostes, 19 Maii 1918, concessit.

Attamen rogantibus pluribus locorum Ordinariis concessum pariter est ut aliqui canones statim vigere inciperent [1].

---

[1] Cfr. litt. Secret. Status, 20 August. 1917; Decret. S. Cong. Consist., 28 Iunii 1917.

189. — IV. **Authentia iuridica Codicis.** - 1° Codex est collectio iuris ecclesiastici *publica*, seu, *iuridice strictissimo sensu, authentica;* quo affirmamus ipsum Codicem:

a) *Legem esse universalem* - quae scilicet ad universum territorium, quo ipsa Ecclesia, extenditur.

b) *Legem esse exclusivam* - seu alias quaslibet leges mere disciplinares excludentem et vi obligandi destituentem; non *absolute* tamen, ut ex mox dicendis apparebit; sunt enim leges quae vim suam etiam post Codicem retinent.

c) *Legem esse unicam* seu *unam* - scilicet Codicem non complexum legum, sed legem unicam esse, in plures libros, partes, sectiones, titulos, capita, articulos, canones, paragraphos et commata distributam; inter quas divisiones nulla proinde temporis prioritas attendenda est, nec contradictio haberi potest. Ad hanc exclusivitatem, qua Codex « unicus fons iuris canonici » universalis est, etiam in posterum servandam Benedictus XV, *Motu proprio:* « *Cum iuris canonici* », 15 Sept. 1917 decrevit a SS. Congregationibus *nova decreta generalia*, nisi ex gravi necessitate universae Ecclesiae, in posterum non esse ferenda. Quodsi decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum generale decretum ab aliqua S. Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat, quod si a Codicis praescriptis dissentiat, Summum Pontificem de eiusmodi discrepantia moneat. Decretum autem a Pontifice approbatum, eadem S. Congregatio ad Consilium deferat, cuius erit ad Decreti sententiam, canonem vel canones redigere. Si decretum a praescripto Codicis discrepet, Consilium indicet cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit; si in decreto res agatur de qua Codex sileat, Consilium constituat quo loco unus canon vel novi canones sint in Codice inserendi, numero canonis, qui proxime antecedit, *bis*, *ter* etc. repetito, ne canon sede sua moveatur ullus aut numerorum series quoquo pacto perturbetur.

Semper tamen liberum erit SS. Congregationibus *Instructiones* edere quae Codicis praeceptis maiorem lucem afferant et efficientiam pariant; quarum *instructionum* finis erit curare ut Codicis praescripta religiose serventur. « Eiusmodi vero documenta sic conficiantur, ut non modo sint, sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur » [1].

2° *Quaenam in Codice authentica sint.* - Haec autem omnia in-

---

[1] Cfr. cit. *Motu proprio:* « *Cum iuris canonici* », 15 Sept. 1917. A. A. S. IX, 483. Eichmann, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, pag. 11; Vermeersch, *Periodica*, IX, pag. 116-119.

telligenda sunt de Codice, *sic ut digestus est* et promulgatus in *Acta Apostolicae Sedis*, non in aliis editionibus. Ex quo patet *authentica iuridice* esse non solum singulorum *canonum praescripta*, sed etiam, quatenus sensum iuridicum habere possint aut argumentum iuridicum praebere ad aliquam interpretationem firmandam, singulorum librorum, partium, sectionum, titulorum, capitum, articulorum *rubricas*, iuxta effatum: *A rubro ad nigrum valet illatio;* item ipsam enumerationem canonum, paragraphorum et commatum, multoque magis, Constitutionem: « *Providentissima* », et alia octo documenta ad calcem libri V apposita. Immo, ut recte notat Maroto [1], illa documenta a *die promulgationis* Codicis leges universales factae sunt, licet antea non fuissent. Pariter iuridice authenticus, eodem sensu, est index initio Codicis positus; haec enim omnia in Codice, *sic ut digestus* et promulgatus *est* in *Acta Ap. Sedis* inveniuntur.

E contra *iuridice authentica*, quamvis studiosis valde utilia, non sunt, notae marginales fontium, index analytico-alphabeticus, et praefatio historica a Card. Gasparri addita.

190. — V. **Maior exclusivitatis Codicis explicatio.** - Ad maiorem elucidationem eorum quae de authentia iuridica Codicis diximus, et praesertim de *exclusivitate* aliarum legum quam, vi suae promulgationis, Codex exercuit, haec addimus:

1° **Leges a Codice abrogatae.** - A Codice abrogatae sunt:

a) *Leges quaelibet poenales*, ante Codicem qualibet collectione contentae et promulgatae.

Quaestio hic fieri posset de legibus poenalibus particularibus et specialibus ut, e. g., de legibus synodalibus aut de legibus religionum poenas statuentibus. Circa quae haec affirmanda videntur: leges istae, si vere particulares et speciales erant, etiam post Codicem vim suam exercere pergunt [2]; si vero tales non erant, sed solummodo insertio in collectione iuris specialis aut particularis, legis universalis et communis, tunc a Codice abrogatae sunt. Item quod ad leges poenales religiosos spectantes hoc dicendum videtur: si leges poenales a Romano Pontifice processerant abrogatae censentur, si vero a potestate ordinaria Superiorum regularium statutae fuerant vim suam retinere et post Codicem videntur.

b) *Leges disciplinares ecclesiasticae universales in Codice nullo modo, ne implicite quidem, contentae et a fortiori si Codici oppositae sint* [3].

Quae autem in Codice implicite contentae esse dicantur auctores non conveniunt. Vermeersch tantummodo eas intelligit implicite contineri in

---

[1] Cfr. *Instit., l. c.*, n. 167.
[2] Cfr. Chelodi, *Ius de personis*, 1922, n. 59, *c.*
[3] C. 6, 6°.

Codice ad quas canones formaliter vel aequivalenter nos remittunt ut, e. g., leges ad quas remittunt c. 160, c. 339 saltem post auth. declarationes 17 Februarii 1918 et 28 Dec. 1919; cc. 624, 904 etc. — Noval e contra illas docet in Codice leges *implicite* contineri « quae ex eo deducuntur directe, quia in lege ibidem expressa includuntur, *tanquam conclusio in principio, vel species in genere; vel pars in toto, vel id quod minus in eo quod maius est* »; excludit autem expresse exemplum c. 904 a Vermeersch allatum [1].

c) *Leges particularès aut speciales Codici oppositae*, nisi ex ipso Codice exceptio probari possit (c. 6, 1°).

Si lex vetus particularis aut specialis iuri Codici partim conveniat, partim opponatur, ea parte solummodo abrogata censenda est, qua Codici opponitur.

d) Item leges anteriores universales quarum materia tota de integro in novo Codice reordinata est [2]. Ita, e. g., leges ultimo decennio ante Codicem circa studia a religiosis peragenda etc. [3].

e) *Consuetudines particulares et universales* [4] *Codici oppositae;* quae si a Codice ut corruptelae reprobatae sint, abrogatae censentur quamvis centenariae aut immemoriales sint; si vero centenariae sint aut immemoriales nec a Codice reprobentur, licet eidem contrariae sint, et Ordinarii prudenter eas submoveri non posse arbitrentur, abrogatae censendae non sunt. Si Ordinarii de his consuetudinibus nullum decretum tulerint, ipso suo silentio censendi sunt putare eas prudenter submovere non posse (c. 5)[5]. Consuetudines vero contrariae nec centenariae, nec immemoriales certe abrogatae sunt.

Item abrogantur consuetudines universales praeter Codicem in Codice nullo modo, ne implicite quidem, contentae (c. 6, 6°) [6].

---

[1] Cfr. Noval, *l. c.*, n. 52; Vermeersch, *Epitome*, 21, 6; cfr. etiam Chelodi, *Ius de personis*, 59, pag. 94, nota [1]. Eichmann, *l. c.*, pag. 26, exempla legum in Codice explicite contentarum affert canones 160, 243 § 1, 624, 884, 904, 1125, 1435 § 3, 1555, 1605 § 2; implicite autem contentarum c. 136 una cum S. C. C. 10 Ianuar. 1920 relate ad consuetudinem nutriendi barbam.

[2] C. 22.

[3] Cfr. Vermeersch, *l. c.*, I, n. 22, et 28. *Commentarium pro Religiosis*, I, 369; Chelodi, *Ius de personis*, 275, in nota; Chas. Augustine, *l. c.*, III [3], 294; contra Biederlack-Fuhrich, *De religiosis*, pag. 169-170; Fanfani, *De iure religiosorum*, n. 207.

[4] Haec Codex de consuetudinibus contrariis particularibus statuit, at etiam consuetudinibus universalibus id applicari posse videtur, quo casu consuetudo universalis particularis fieret, idest, illis locis restringeretur ubi Ordinarii eas prudenter submovere non posse arbitrarentur. Si Ordinarius iure suo cedens circa hoc iudicium rem ad superiores detulerit, superior auctoritas iudicium suum profert; huc autem tendit mens superioris auctoritatis ut huiusmodi consuetudines contra ius abrogentur. (Cfr. S. C. Concil. 14 Nov. 1920; *Monitore ecclesiast.*, 1921, pag. 60; Chelodi, *l. c.*, n. 59, *e*, in notis).

[5] Cfr. Vermeersch, *l. c.*, 21, 5; Maroto, *l. c.*, 170.

[6] Cfr. Maroto, *l. c.*, 170; Chelodi, *l. c.*, n. 59, *e*, in nota 8; contra relatorem causae S. C. Concilii, 20 Ian. 1920.

191. — 2° **Leges quae a Codice non sunt abrogatae.** - Etiam post Codicem vim suam retinent:

a) *Leges ecclesiasticae disciplinares Ecclesiarum orientalium*, nisi exceptio ex claris Codicis verbis probetur, aut de favoribus a Codice concessis agatur (c. 1) [1].

b) *Leges omnes ius divinum sive naturale sive positivum referentes* [2].

c) *Leges quaelibet doctrinales*, quibus comprehenduntur plures series propositionum damnatarum quae passim in libris dogmaticae et moralis theologiae referuntur, Syllabi Pii IX et Pii X, Index librorum prohibitorum etc. [3].

d) *Leges liturgicae* quibusvis liturgicis libris contentae, nisi earum aliqua expresse a Codice corrigatur, ut, e. g., c. 870 [4].

e) *Leges particulares* concordatis contentae, etiamsi, Codici contrariae sint.

f) *Leges, indulta, privilegia aut iura aliis quaesita respicientes*, quae adhuc manent, nisi canonibus Codicis expresse revocentur (c. 4) [5].

g) *Leges quaelibet particulares*, Codici non oppositae, item *leges speciales*. Attamen si leges speciales aut particulares non fuissent nisi codificatio legis universalis antea vigentis, tunc et ipsae abrogatae aut retentae fuisse videntur, prout lex illa universalis a Codice abrogata aut in ipso retenta fuit [6].

h) *Leges dicasteria Curiae Romanae* respicientes; immo stylus processualis S. Officii etiam ab Ordinariis in causis ad S. Off. pertinentibus servandus est [7].

i) *Consuetudines universales et particulares secundum Codicem*, item consuetudines particulares praeter ius Codicis [8]. Consuetudines vero universales praeter ius, licet abrogatae censendae sint, tamen ut consuetudines particulares retineri possunt [9]. Consuetudines particulares praeter ius, sicut ius scriptum, totam vim suam retinent [10].

l) *Leges antiquissimae traditae praesertim apostolicae*, etiam in S. Scriptura contentae, si quae habeantur quae nec in Codice, nec

---

[1] Cfr. cc. 98, 257, 542, 2°; S. Poenitentiar. 7 Iul., 1917; Maroto, *l. c.*, 173.
[2] C. 6, 6°.
[3] C. 6, 6°.
[4] C. 2, et 6, 6°.
[5] Cfr. e. g. Declar. Commission. Pontif., 3 Iunii, 1918, V, 7.
[6] Cfr. *Commentarium pro religiosis*, I, pag. 369, ad III.
[7] Cfr. Maroto, *l. c.*, 172.
[8] Cfr. Maroto, *l. c.*, 170 et Chelodi, *l. c.*, 59, *e*.
[9] Cfr. Chelodi, *l. c.*, 59, *e*, nota 8.
[10] Maroto, *l. c.*, 170.

in libris liturgicis referantur, vim suam et ipsae retinere censentur, quia non est praesumendum Ecclesiam ab istis venerabilibus legibus recedere voluisse [1].

192. — 3° **De iure suppletorio.** - Fieri potest ut de aliqua re determinata aut de aliquo casu in praxi occurrente lex nulla habeatur in Codice, nec in aliqua ex legum categoriis quas unice post Codicem vigere diximus; quid in illo casu tenendum? Codex sapienter et huic casui in praxi non difficulter occurrenti providit c. 20, qui ita sonat: « Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis, sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia doctorum ». Ex quibus deducitur in casu ad supplendam legis canonicae lacunam seu defectum recurrendum esse:

a) *Interpretationi extensivae quam analogiam legalem vocant;* quae in hoc consistit quod, praesertim in defectu legis, lex quae in casu simili aut fere simili lata fuit, applicetur.

b) *Interpretationi extensivae analogicae iuridicae*, quae iuris principia cum aequitate canonica casibus particularibus applicat [2].

Iuris principia, de quibus Codex, intellige ante omnia principia iuris canonici; at etiam principia iuris civilis, praesertim vero romani, quod ratio scripta est merito nuncupatum, intelligi possunt [3].

c) *Stylo et praxi Curiae romanae.* - Usus forensis « qui refertur ad formam procedendi tribunalium in causis ecclesiasticis, stylus Curiae audit; si ad materiam sententiarum iudicialium, quae de una eademque re uniformiter prodierunt, appellatur *auctoritas rerum similiter iudicatarum* » [4]. Ad utrumque, immo ad uniformes etiam resolutiones sententiarum non iudicialium remittere videtur Codex [5].

---

[1] Maroto, *l. c.*, 17.

[2] Cfr. Maroto, *l. c.*, n. 236; Chelodi, *l. c.*, 68.

[3] Cfr. Chelodi, *l. c.*, 68 in nota: Vermeersch intelligit de usu prudenti iurium etiam civilium modernorum, Vermeersch, *l. c.*, I, n. 73; Toso e contra, cfr. *Commentaria minora*, [4], I, pag. 62-64; et Maroto, *l. c.*, n. 384-385, de solo iure canonico intelligenda esse contendunt.

[4] Wernz, *l. c.*, I, n. 187, II, *c.*

[5] Chelodi, *l. c.*, 74.

Stylus et praxis Curiae unam eamdemque rem significant seu usum et modum agendi in Curia aliqua servatum. Stylus vocatur etiam quandoque consuetudo, licet multimode a consuetudine differat; tum subiecto quia consuetudo solummodo a communitate legis capace introduci potest, stylus est proprius Curiarum; consuetudo a populi tacito consensu et actuum frequentia, stylus introduci potest praecepto vel decreto Superioris vel scripto

d) *Communi constantique doctorum sententiae.* - Apud romanos generatim iurisconsultis determinatis *ex auctoritate principis ius respondendi* agnitum est; quod ius intra certos limites *ius* etiam *iura condendi* comprehendebat [1]. Ius Ecclesiae, expressa lege, nunc primo huiusmodi principium admittit.

Quidam auctores [2] primum locum pro iure suppletivo, iuri veteri assignant; hoc certe Codex non statuit, licet id admitti possit, quia plerumque id quod vetus ius statuit conveniet cum legibus latis in similibus, cum iuris principiis aequitate canonica servatis, cum stylo et praxi Curiae; si tamen ab his dissentiret ius vetus, tunc verbis Codicis qui ad leges, utique a Codice ipso latas, in similibus etc. remittit, standum est.

193. — VI. **Codicis interpretationis generalia principia.** - Interpretatio authentica Codicis a Benedicto XV, *Motu proprio:* « *Cum iuris canonici* » 15 Sept. 1917 [3] reservata est speciali Consilio seu Commissioni Cardinalium ad hoc expresse instituto. Circa interpretationem vero doctrinalem, praeter ea quae supra de eius authentia vidimus, quaeri potest:

1° **De personis quae Codici subiiciuntur.** - Codex cum lex sit universalis ad universam se protendit Ecclesiam, universosque, ratione habita materiae, obligat fideles; cum tamen ipse unam respiciat Ecclesiam Latinam, Orientalem non obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt (c. 1). Huiusmodi autem sunt canones qui expresse aliquid statuunt circa ritus orientales ut, e. g., cc. 98, 804, 816 etc.; canones qui de rebus dogmaticis agunt aut declarationem iuris divini continent, e. g., c. 100 etc. [4].

Per accidens etiam territoria determinata a legibus Codicis eximuntur, ubi nempe ius concordatarium aut ius consuetudinarium debitis ornatum conditionibus viget; item plurimae personae quibus iura quaesita iam ante Codicem erant, aut privilegia concessa aut indulta.

Iura quaesita ea dicuntur quae quis sibi, aliquo facto iuridico, acquisivit; privilegia ea iura sunt quibus alicui in perpetuum aliquis favor conceditur; si concessio temporalis sit, indultum habetur.

---

vel etiam oraliter dato. Stylus esse potest iudicialis aut extraiudicialis pro ratione materiae. Constans sententiarum uniformitas seu *auctoritas rerum similiter iudicatarum* vocatur termino proprio *iurisprudentia* (Maroto, *l. c.*, n. 362-367).

[1] Cfr. Ferrini, *Manuale di Pandette*, [3], pag. 30, n. 20; Bonfante, *Istituzioni di diritto romano*, [7], § 7, pag. 23.

[2] Cfr. Maroto, *l. c.*, 176 et 384.

[3] Cfr. *A. A. S.*, IX, 483.

[4] Cfr. Maroto, *l. c.*, 173.

Probe a privilegio distinguendum est ius particulare, quod tamen si a S. Sede concessum sit praeter vel contra ius, naturam privilegii induere potest [1].

194. — 2° **De variis regulis interpretationis generalibus.** - Cum plurimae leges ante Codicem latae, ipsa Codicis promulgatione abrogatae sint, plurimae e contra suam vim retinuerint, si dubium aliquod in diiudicando quaenam vim habeant, quaeve amiserint, Codex has statuit regulas prae oculis semper ab interpretibus habendas:

a) Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat; unde et alia regula: In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum (c. 6 initio et 4°).

b) Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt aestimandi (c. 6, 2°) [2]. Ubi hoc iterum observandum est a Codice doctorum privatorum interpretationes canonizari.

c) Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi [3].

Aliquando evenire potest ut aliquis canon Codicis ius vetus iisdem fere verbis ac antea referat, aliquo tamen verbo vel aliqua clausula omissa; in casu videtur illud verbum vel clausula non amplius in interpretatione attendenda esse, quia eo ipso quod omissa fuit, eidem derogatum fuisse putandum est [4].

d) Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae; eae tanquam abrogatae habeantur [5].

§ 4. — *Fontes iuris romani.*

195. — Plura instituta iuridica in ius canonicum ex iure civili romanorum introducta sunt, et etiam in iure canonico vigente, sicut et in codicibus civilibus modernis, retinentur. Saepe saepius proinde ad ista instituta recte

---

[1] Cfr. tamen Chelodi, *l. c.*, 59, *d*, in nota 2 ubi, promulgatione Codicis, affirmat Constitut. «*Provida*» Pii X, abrogatam fuisse. Cfr. etiam Toso, *Ius Pontificium*, II, pag. 106-107.

[2] Cfr., e. g., c. 1227 = c. 1, III, 12, in 6°.

[3] C. 6, 3°.

[4] Ita, e. g. cc. 1221 et 1232, § 1, cum de translatione cadaverum loquantur eamque generatim sine ulla clausula restrictiva permittant, derogasse censendi sunt clausulae quae antiquioribus decretis generatim apponi solebat, scilicet, «*sine pompa*». Cfr. P. M. a Coronata, *De locis et temporibus sacris*, 239.

[5] C. 6, 5°.

intelligenda ad ius romanum recurrendum erit, quamobrem hic postquam de collectionibus iuris canonici actum est, non abs re erit praecipuos saltem iuris romani fontes et collectiones enumerare.

196. — I. **Fontes exsistendi iuris romani.** - Universum ius civile romanorum constat: consuetudinibus, legibus, edictis, senatusconsultis, principum constitutionibus, auctoritate prudentium.

1° *Consuetudo.* - Consuetudo, ius non scriptum, (νόμος ἄγραφος), mos (ἔθος) est antiquissimus et fere naturalis iuris fons; ipsa iussus populi habebatur, non suffragio, sed usu comprobatus. *Institutiones* loquuntur de moribus diuturnis utentium moribus comprobatis [1].

2° *Leges et plebiscita.* - *Rogante* seu proponente magistratu, rege aut praetore, populus romanus in *comitiis populi tributis*, aliisque similibus, normas iuridicas sibi constituere consuevit, quae *leges rogatae* appellatae sunt [2].

Ita plures leges et quidem maximi momenti sancitae sunt ut, e. g., lex duodecim tabularum. Ita intelligitur vox *legis* quoties sine addito invenitur in iure romano. E contra *leges datae* vocatae sunt illae quas vel Senatus vel magistratus tulit ex delegatione populi [3].

Serius eamdem vim ac leges consecuta sunt *plebiscita* seu normae a *comitiis plebis* sancitae; haec antiquiori tempore solummodo *plebem* ligabant [4].

3° *Edicta magistratuum.* - Magistratus romani, ut praetores, aediles curules, censores, proconsules et propraetores, suo munere durante, normas populo dare consuevere, quas ipsi in (*iurisdictione*) iudicando servaturi erant. Celebriores evaserunt normae quas praetores, sive urbanus sive peregrinus, initio sui muneris in *albo*, seu tabula lignea dealbata, postquam populo ore *edixerant*, scripto in foro exponendas consignabant. Hae normae cum a quolibet praetore *edicerentur*, *edictum perpetuum* constituerunt. Poterat vero novus praetor, praecedenti edicto additamenta aut correctiones introducere. Nova additamenta *edictum novum*, quae vero semper eadem remanebant *edictum vetus* seu *tralaticium* appellata sunt.

---

[1] Cfr. Bonfante, *Istituzioni di diritto romano*, [7], § 7, pag. 21; Perozzi, *Istituzioni di diritto romano* (1906), I, pag. 31-39.

[2] A *rogatione* hac originem duxit terminologia iuridica etiam nostris diebus adhiberi solita: *Abrogatio, derogatio, subrogatio, obrogatio* (Perozzi, *l. c.*, pag. 41).

[3] Perozzi, *l. c.*, pag. 34 in nota.

[4] Perozzi, *l. c.*, 34-40; Vidal, *Institutiones iuris civilis romani* (1915), n. 6; tempore Iustiniani vero *leges* appellabantur ius a principe promanans; ius vero antiquius *iura* appellabatur.

Saeculo II p. Ch. (aa. 117-138) ab Hadriano imperatore edictum emendatum est et emendationibus praetorum subtractum. Magna fuit vis edicti in evolutione iuris romani ex eo praesertim quod, cum a quolibet praetore corrigi posset, semper perfectior norma evasit.

Edictum praetoris constituit *ius honorarium*, ita vocatum ab *honore* seu munere quod gerebat praetor, et opponitur *iuri civili* quo nomine alia omnia iura praeter edictum romani appellarunt [1].

4° *Senatus consulta.* - Ultimo reipublicae romanae tempore et initio imperii romani Senatus, non lege explicita, sed tacito populi consensu, sibi ius leges seu iura condendi attribuit. Hoc senatus iure suo in eumdem Senatum influxu usi sunt imperatores ut sibi et ipsi ius iura condendi vindicarent vel potius usurparent; quo facto, ius senatui amplius agnitum non est. Iura hoc modo a senatu condita *senatus consulta* vocata sunt, eaque a consule ea proponente plerumque nomen acceperunt; e. g., *Senatus consultum Velleianum* etc. [2].

5° *Principum Constitutiones.* - Potestas leges ferendi serius idest non ante saeculum II a condito imperio romano agnita est imperatoribus. Ab hoc vero tempore omnes fere leges romanae hoc modo latae sunt; appellabantur autem *rescripta*, *mandata*, *edicta*, *constitutiones*, *decreta* et *leges*, eaque omnia *vim legis habere* dicebantur [3].

6° *Auctoritas prudentum.* - Antiquissimo tempore *ius civile* romani reconditum in penetralibus Pontificum arbitrabantur, quibus etiam officium et ius res iuridicas, suo marte, dirigendi agnoscebatur. Saeculo V ab Urbe condita, haec exclusiva competentia pontificum cessavit, et iurisconsulti (*prudentes*) suis responsis doctrinalibus practicis ius civile interpretari coeperunt. Haec doctrinalis et necessario etiam plerumque usualis interpretatio, magnam vim in iuris ipsius romani efformatione et evolutione exercuit. Cum enim plerique *prudentes* in aliquam sententiam convenirent, *sententiam receptam* reddebant et *auctoritatem prudentum* constituebant. Praeterea Augustus quibusdam iurisconsultis *ius* agnovit sua auctoritate *respondendi*. Hadrianus vero imperator determinavit, quoties responsa prudentum ex auctoritate imperatoris respondentium de aliqua re concordarent, vim legis habere [4].

Et hi quidem praecipui iuris romani fontes exsistendi.

---

[1] Cfr. Vidal, *l. c.*, n. 7; Perozzi, *l. c.*, pag. 44-48.

[2] Vidal, *l. c.*, 8; Perozzi, *l. c.*, 41-43; Bonfante, *l. c.*, 22.

[3] Perozzi, *l. c.*, 43-44; Vidal, *l. c.*, 9; Ferrini, *Manuale di Pandette*, n. 14; Bonfante, *l. c.*, 22-23.

[4] Cfr. Perozzi, *l. c.*, 48-51; Bonfante, *l. c.*, 23; Vidal, *l. c.*, 10.

197. — II. Fontes cognoscendi. - 1° Collectiones antiiustinianeae [1].

a) *Codex Gregorianus.* - Gregorianus iurisconsultus, sua privata auctoritate, aa. 284-305, imperiales constitutiones inde ab a. 196 p. Ch. promulgatas, in usum forensem, ordine chronologico, in unum collegit. Haec collectio privata est, in libros distributa, libri in titulos. Vocatur *Codex Gregorianus.*

b) *Codex Hermogenianus.* - Hermogenianus iurisconsultus Codicem Gregorianum continuavit et complevit, altera pariter privata collectione imperialium constitutionum aa. 314-324, in titulos directe distributa. Vocatur haec collectio *Codex Hermogenianus.*

c) *Codex Theodosianus.* - Theodosius II, aa. 408-450, in unum colligi mandavit Constitutiones imperiales inde a Constantino M. editas, introductis ubi utilitas aut necessitas postularet, mutationibus. Collectionem hanc post alteram frustra tentatam, confecit iurisconsultus Antiochus, eamque authentice, a. 438, promulgavit in Oriente Theodosius II, in Occidente Valentinianus III. *Codex Theodosianus* appellata est; distribuitur in libros, libri in titulos. Citatur: C. *vel* l. 1 C. Theodos. I, 1, = Constitutione vel lege prima Codicis Theodosiani libro primo, titulo primo.

Habetur praeterea collectio Constitutionum *Novellarum* post Codicis Theodosiani editionem promulgatarum, quae serius, idest, saeculo XVII facta est a Sirmondi.

198. — 2° Collectiones iustinianeae. - *a*) Codex iustinianeus vetus. Iustinianus imperator (aa. 527-565) ad confusionem ex multiplicitate collectionum imperialium Constitutionum ortam auferendam, a. 528, collegio decem iurisconsultorum officium commisit constitutiones imperiales inde ab Hadriano editas in unum Codicem colligendi ad usum forensem aptum. Codex anno sequenti perfectus est et, die 7 Aprilis, authentice promulgatus. Appellatur *Codex iustinianeus vetus* eiusque nunc nullum exemplar exstat [2].

199. — *b*) Digesta seu Pandectae. - Anno 530 Iustinianus collegio 16 iurisconsultorum quibus praeerat Tribonianus, Quaestor Sacri Palatii, officium commisit colligendi in uno volumine *iura* quae in operibus veterum iurisconsultorum *iure respondendi* donatorum sparsim inveniebantur, quae adhuc aliquam pro praxi utilitatem praeseferrent. Eidem collegio facultatem et praeceptum dedit haec eadem iura veterum iurisconsultorum conditionibus tunc vigentibus aptandi, introductis, si opus esset, mutationibus necessariis. Ne autem iurisconsultorum memoria deperderetur, eorum nomina et

---

[1] Cfr. Vidal, *l. c.*, 11-14; Wernz, *Ius decret.*, I, 228; Gaetano Gigli, *Brevi cenni di storia del diritto romano*, [8], § 69.

[2] Cfr. Perozzi, *l. c.*, I, pag. 51; Vidal, *l. c.* 15; Bonfante, *Istituzioni di diritto romano* [7], § 1.

opera ex quibus fragmenta excerpta fuerant indicanda erant. Collegium opus confecit tribus annis, scriptis adhibitis, non solum iurisconsultorum *iure respondendi* donatorum, sed et omnium aliorum quorum scripta digna aestimarunt. Volumen Iustinianus, die 16 Dec. 533, promulgavit, illudque vim habiturum edixit inde a die 30 Dec. eiusdem anni 533. Collectio vocata est *Digesta* iura, vel etiam, *Pandectae* (= Πανδέχται = Πᾶν et δέχομαι = omnia complector) quod iura systematice *digesta* continebat, et quod omnia antiquorum iura illo saeculo VI adhuc utilia comprehendebat. Mutationes in allatis fragmentis introductae *emblemata Triboniani* vel simpliciter *interpolationes* vocantur. Dividuntur digesta in 50 libros, libri, tribus exceptis, in titulos, tituli in leges vel fragmenta. Glossatores medii aevi totum digestorum librum in tres partes diviserunt; - a libro 1, usque ad tit. 3, libri 24 *Digestum vetus;* a tit. 4, libri 24 usque ad librum 38, *digestum infortiatum* [1]; inde vero usque ad finem *digestum novum* appellarunt.

Citantur Digesta nostri diebus plerumque hoc modo: l., *vel* fr. 1, D. 1, 1 = lege, *vel* fragmento Digestorum, libro 1, titulo 1; ab aliis fit simplicius hoc modo citatio; fr. 1, 1, 1; = fragmento primo Digestorum, libro primo, titulo primo. Antiquores citant plerumque prima verba legis seu fragmenti et verba rubricae tituli, e. g., l. *Omnes populi, De iustitia et iure,* ff. = lege, *vel* fragmento nono quod incipit *omnes populi,* in libro Digestorum, titulo primo qui inscribitur: *De iustitia et iure;* abbreviationem *ff* alii dicunt esse corruptionem litterae graecae π = πανδέχται; alii eam legunt fragmenta. Fragmenta longiora diviserunt glossatores in principium et paragraphos et nunc generatim post indicationem fragmenti, ea etiam indicantur ut, e. g., fr. 1, § 1, D. 1, 1 = fragm. primo, paragr. prima, Digest. libr. primo, titul. primo.

200. — *c*) **Institutiones.** - Eodem tempore quo collegium 16 iurisconsultorum Digesta parabant, Iustinianus eidem Triboniano et duobus aliis antecessoribus iuris opus didacticum ad usum commodiorem scholarum faciendum commisit. Opus a. 533 perfectum, *Institutiones* appellatum est, quod ad instituendos discipulos in schola aptum erat et quod *institutiones* Gaii, iurisconsulti celeberrimi saeculi II p. Ch., imitabatur. *Institutiones* promulgavit Iustinianus, 21 Nov. 533, easque vim iuridicam habituras edixit a die 30 Dec. eiusdem anni. Quattuor libris constant *Institutiones;* libri in titulos, tituli in paragraphos dividuntur.

---

[1] *Infortiatum* (rinforzato) digestum appellata est haec altera pars, quia antea extendebatur solum usque ad titulum 2 libri 35; postea ampliata est et extensa usque ad librum 38 (Vidal, *l. c.*, 19).

Citantur plerumque hoc modo: § 1, I., 1, 1 = paragr. 1, Institutionum libr. 1, titulo 1 — vel — § *Iurisprudentia*, I. 1, *De iustitia et iure* = paragr. 1, quae incipit hoc verbo: Iurisprudentia, in Institutionibus iustinianeis libro primo, titulo primo, qui inscribitur: *De iustitia et iure*. Hoc notandum est divisionem in *Institutionibus iustinianeis* servatam et a *Lancellotti* reproductam etiam in novo Codice iuris canonici retentam fuisse. *Institutiones* ipsa sua in libros, titulos et paragraphos divisione proxime accedunt ad Codices iuris modernos et ad Codicem iuris canonici.

201. — *d*) **Codex repetitae praelectionis.** — Anno 534 Iustinianus Triboniano et aliis quatuor iurisconsultis mandavit *veterem Codicem* a se, quinque ante annis, promulgatum emendare, introductione novarum constitutionum imperialium et aliis necessariis mutationibus. Collectio ita emendata *Codex repetitae praelectionis* appellata est, et *veterem Codicem* penitus supplantavit, atque ab eodem Iustiniano, 16 Nov. 534, promulgata est; vim autem iuridicam a die 29 Dec. eiusdem anni exseruit. Dividitur Codex in 12 libros, libri in titulos, tituli in leges seu Constitutiones.

Citatur eodem fere modo ac Pandectae, seu: l. *vel* c. 1, C. 1, 1 = lege vel constitutione prima Codicis, libro primo, titulo primo. Quandoque, praesertim in antiquioribus, prima verba legis aut constitutionis citantur, et verba rubricae tituli: Si constitutio seu lex longior in principium et paragraphos divisa est, etiam ista citantur seu indicantur in citatione.

202. — *e*) **Novellae.** - Post promulgationem *Codicis repetitae praelectionis* usque ad annum 565 plures, data occasione, Iustinianus constitutiones promulgavit, quae *Novellae constitutiones* seu simpliciter *Novellae* appellatae sunt. Novellarum quinque enumerantur collectiones, quarum duae, vivente adhuc Iustiniano, aliae posterius confectae sunt; nulla tamen Novellarum collectio authentice promulgata est, licet tres sub nominibus — *Authentica*, *Corpus authenticum*, *Liber authenticorum*, aut simpliciter *Authenticum* veniant. Collectio in *Corpore iuris civilis* relata sic ut nunc referri solet ab Antonio Contio, saeculo XVI confecta est [1].

203. — III. **Corpus iuris civilis.** - Collectiones iuris romani iustinianei iamdiu, a saeculo XIII, in unum corpus adunatae, in opposi-

---

[1] Cfr. Wernz, *l. c.* I, 228; Vidal, *l. c.*, 26; Perozzi, *l. c.*, I, § 7, pag. 51-56. De aliis collectionibus iuris populorum barbarorum, ut de legibus *salica*, *salica emendata*, *Ripuaria*, *Longobardica*, *Burgundionum*, *Alamannorum*, *Baiuvariorum*, *Frisionum*, *Saxonum*, *Anglorum*, *Visigothorum*, etc. hic agere non vacat. Cfr. Wernz, *l. c.*, 229.

tione ad *Corpus iuris canonici*, *Corpus iuris civilis* [1] appellatae sunt. Complectitur autem *Corpus* iuris civilis:

1° *Institutiones.*

2° *Digesta* seu *Pandectas.*

3° *Codicem repetitae praelectionis.*

4° *Novellas* in collectione a Contio curata. Adiiciuntur in quibusdam editionibus alia minoris momenti.

---

[1] Optima editio *Corporis iuris civilis* est *Berolinensis*, quae pluries reimpressa est, typis Weidmannos, tribus voluminibus constans, cum apparatu critico. Volumen primum continet *Institutiones* a Paulo Krueger recognitas: et *Digesta* a Theodoro Mommsen recognita, a Krueger retractata; huius volum. exiit 14 editio 1922. Secundum volumen continet *Codicem iustinianeum* a Krueger recognitum et retractatum; ultima editio quae exstat est 9 a. 1915 impressa. Tertium volumen continet *Novellas* a Schoell recognitas et a Kroll absolutas; ultima editio quae exstat prodiit a. 1912 et est quarta.

APPENDIX

—

Lex praesidiorum (delle guarentigie).

Cum maximi momenti sit pro iure publico agnoscere non solum theoriam de Ecclesiae catholicae iuridica perfectione et independentia, sed etiam utrum, in praxi, de facto huiusmodi iuridica perfectio in *iure internationali* agnoscatur, et cum Ecclesiae iuridicitas et perfectio praesertim in Romano Pontifice, Ecclesiae capite supremo, cumuletur, lubet hic referre *legem* a gubernio Italico, 13 Maii 1871, latam, quam *praesidiorum* (*delle guarentigie*) communiter vocant; licet enim ipsa a Romano Pontifice numquam acceptata fuerit, tamen omnium ubique degentium catholicorum valde interest eius tenorem agnoscere, ut sciatur quaenam illius legis sanctione sit Romani Pontificis, Sedis Apostolicae et consequenter etiam Ecclesiae catholicae realis positio. Ipsam vero legem in suo genuino textu afferemus.

Legge sulle prerogative del Sommo Pontefice e della Santa Sede e sulle relazioni dello Stato con la Chiesa.

13 Maggio 1871, n. 214.

VITTORIO EMMANUELE II
per grazia di Dio e per volontà della Nazione
Re d'Italia

Il Senato e la Camera dei Deputati hanno approvato; Noi abbiamo sanzionato e promulghiamo quanto segue [1]:

Titolo I.

Prerogative del Sommo Pontefice e della Santa Sede.

Art. 1. La persona del Sommo Pontefice è sacra ed inviolabile [2].

Art. 2. L'attentato contro la persona del Sommo Pontefice e la provocazione a commetterlo sono puniti colle stesse pene stabilite per l'attentato e per la provocazione a commetterlo contro la persona del Re.

---

[1] Iam ex ipso titulo seu intestatione legis eius insufficientia et deficientia manifesta apparet; est enim lex a gubernio, seu a Senatu et a Camera Deputatorum lata et a Rege Italorum sancita, quae sicut ab istis processit, ab iisdem revocari seu abrogari potest, quod communiter admittitur a iuristis civilistis, licet admittatur ipsam difficilius abrogatum iri, quia inter leges Status italici fundamentales adnumeranda est. (Cfr. Carlo Calisse, *Diritto ecclesiastico, manuali Barbera*, nuova ediz., n. 69; Cesare Olmo, *Il diritto ecclesiastico vigente in Italia*, [3], 1903, n. 44; Calchi-Novati, *Il diritto ecclesiastico dello Stato Italiano*, 1903, pag. 6-8; cfr. etiam *Parere del Consiglio di Stato*, 27 Februarii 1871).

[2] Inviolabilitas de qua hic agitur non est inviolabilitas omnibus civibus communis, sed specialis principum, qua nempe, principes a qualibet eximuntur potestate (cfr. Olmo *l. c.*, n. 44, pag. 80; Calchi-Novati, *l. c.*, pag. 22).

Le offese e le ingiurie pubbliche commesse direttamente contro la persona del Pontefice con discorsi, con fatti o coi mezzi indicati nell'articolo 1 della Legge sulla stampa, sono punite colle pene stabilite all'articolo 19 della Legge stessa.

I detti reati sono d'azione pubblica e di competenza della Corte d'Assise.

La discussione sulle materie religiose è pienamente libera.

Art. 3. Il Governo italiano rende al Sommo Pontefice, nel territorio del Regno, gli onori Sovrani, e gli mantiene le preminenze d'onore riconosciutegli dai Sovrani Cattolici.

Il Sommo Pontefice ha facoltà di tenere il consueto numero di Guardie addette alla sua persona e alla custodia dei palazzi, senza pregiudizio degli obblighi e doveri risultanti per tali Guardie dalle Leggi vigenti del Regno [1].

Art. 4. È conservata a favore della Santa Sede la dotazione dell'annua rendita di lire 3.225.000.

Con questa somma, pari a quella inscritta nel bilancio romano sotto il titolo: *Sacri palazzi apostolici, Sacro Collegio, Congregazioni ecclesiastiche, Segreteria di Stato ed Ordine diplomatico all'estero,* s'intenderà provveduto al trattamento del Sommo Pontefice e ai vari bisogni ecclesiastici della Santa Sede, alla manutenzione ordinaria e straordinaria, e alla custodia dei palazzi apostolici e loro dipendenze; agli assegnamenti, giubilazioni e pensioni delle Guardie, di cui nell'articolo precedente, e degli addetti alla Corte Pontificia, ed alle spese eventuali; nonchè alla manutenzione ordinaria e alla custodia degli annessi Musei e Biblioteca e agli assegnamenti, stipendi e pensioni di quelli che sono a ciò impiegati.

La dotazione, di cui sopra, sarà inscritta nel Gran Libro del Debito pubblico, in forma di rendita perpetua ed inalienabile nel nome della Santa Sede; e durante la vacanza della Sede si continuerà a pagarla per supplire a tutte le occorrenze proprie della Chiesa Romana in questo intervallo.

Essa resterà esente da ogni specie di tassa ed onere governativo, comunale e provinciale; e non potrà essere diminuita neanche nel caso che il Governo italiano risolvesse posteriormente di assumere a suo carico la spesa concernente i Musei e la Biblioteca [2].

---

[1] Completur sicut et articulo secundo et sequentibus articulus primus et melius determinantur quaenam sint iura maiestatica quae Romano Pontifici ab hac lege agnoscuntur. Negari revera nequit plura ex iis iuribus talia esse quae solis veris principibus congruunt; vera tamen et completa superioritas et independentia ex liberalistarum iuristarum placitis Romano Pontifici non agnoscitur, et quae ei independentia (*sovranità*) aut iura maiestatica (*diritti di sovranità, onori sovrani*) agnoscuntur, non simpliciter agnoscuntur, sed a lege conceduntur. Quod quidem a lege ista clare non dicitur, sed a liberalistis iuris interpretibus (cfr. Calisse, *l. c.*, n. 68 et 65) ut certum admittitur. Ex quo iterum ipsius legis insufficientia ad plenam, perpetuam, manifestam et absolutam libertatis omnimodae in Romano Pontifice actuationem demonstratur.

[2] Romanus Pontifex numquam, ne videretur conditionem precariam sibi a lege hac factam tacite admittere, hanc dotationem acceptavit, et semper legem istam nullam consideravit; quam ob rem iam disputant iuristae utrum ipsa dotatio praescriptioni subiaceat. Auctores hinc inde decertant: praescriptioni non subesse docent Calisse, *l. c.*, n. 67, Calchi-Novati, *l. c.*, pag. 24-25, Cappello, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, I, pag. 214-217, contra Scaduto, Amabile. Cfr. etiam Olmo, *l. c.*, n. 68.

Art. 5. Il Sommo Pontefice, oltre la dotazione stabilita nell'articolo precedente, continua a godere dei palazzi Apostolici Vaticano e Lateranese, con tutti gli edifizii, giardini e terreni annessi e dipendenti, non che della villa di Castel Gandolfo con tutte le sue attinenze e dipendenze. I detti palazzi, villa e annessi, come pure i Musei e la Biblioteca e le collezioni d'arte e d'archeologia ivi esistenti sono inalienabili, esenti da ogni tassa o peso e da espropriazione per causa di utilità pubblica [1].

Art. 6. Durante la vacanza della Sede Pontificia, nessuna autorità giudiziaria o politica potrà per qualsiasi causa porre impedimento o limitazione alla libertà personale dei Cardinali.

Il Governo provvede a che le adunanze del Conclave o dei Concilii ecumenici non siano turbate da alcuna esterna violenza.

Art. 7. Nessun Ufficiale della pubblica Autorità od agente della forza pubblica può per esercitare atti del proprio ufficio introdursi nei palazzi e luoghi di abituale residenza o temporanea dimora del Sommo Pontefice, o nei quali si trovi radunato un Conclave o un Concilio ecumenico, se non autorizzato dal Sommo Pontefice, dal Conclave o dal Concilio.

Art. 8. È vietato di procedere a visite, perquisizioni e sequestri di carte, documenti, libri o registri negli Uffizi e Congregazioni pontificie rivestiti di attribuzioni meramente spirituali.

Art. 9. Il Sommo Pontefice è pienamente libero di compiere tutte le funzioni del suo ministero spirituale, e di fare affiggere alle porte delle basiliche o chiese di Roma tutti gli atti del suddetto suo ministero.

Art. 10. Gli ecclesiastici che per ragioni d'ufficio partecipano in Roma all'emanazione degli atti del ministero spirituale della Santa Sede, non sono soggetti, per ragione di essi, a nessuna molestia, investigazione o sindacato dell'Autorità pubblica.

Ogni persona straniera rivestita di ufficio ecclesiastico in Roma gode delle guarentigie personali competenti ai cittadini italiani in virtù delle leggi del Regno.

Art. 11. Gli inviati dei Governi esteri presso Sua Santità godono nel Regno di tutte le prerogative ed immunità che spettano agli agenti diplomatici secondo il diritto internazionale.

Alle offese contro di essi sono estese le sanzioni penali per le offese agli inviati delle potenze estere presso il Governo italiano.

Agli inviati di Sua Santità presso i Governi esteri sono assicurate, nel territorio del Regno, le prerogative ed immunità d'uso, secondo lo stesso diritto, nel recarsi al luogo di loro missione e nel ritornare.

---

[1] Ex hoc articulo iam patet vi legis *praesidiorum* nullum esse locum intra fines Status italici ubi Romanus Pontifex sit revera princeps independens; quae enim hic conceduntur, precarie a Statu conceduntur, qui concessionem a se factam revocare posset, si vellet; ex quo iterum manifestum est legem hanc factam fuisse ad intolerabilem Romani Pontificis positionem occultandam et ad exterorum Statuum catholicorum remonstrationes supprimendas, non vero animo Romano Pontifici concedendi independentiam quae ei in sui muneris exercitio necessaria est.

Art. 12. Il Sommo Pontefice corrisponde liberamente coll'Episcopato e con tutto il mondo cattolico, senza veruna ingerenza del Governo italiano. A tal fine gli è data facoltà di stabilire nel Vaticano o in altra sua residenza Uffizi di Posta o di Telegrafo serviti da impiegati di sua scelta.

L'Ufficio postale Pontificio potrà corrispondere direttamente in pacco chiuso cogli Uffizi postali di cambio delle estere amministrazioni, o rimettere le proprie corrispondenze agli Uffizi italiani. In ambo i casi, il trasporto dei dispacci o delle corrispondenze munite del bollo dell'Ufficio Pontificio sarà esente da ogni tassa o spesa pel territorio italiano.

I corrieri spediti in nome del Sommo Pontefice sono pareggiati nel Regno ai corrieri di Gabinetto dei Governi esteri.

L'Ufficio telegrafico Pontificio sarà collegato colla rete telegrafica del Regno a spese dello Stato.

I telegrammi trasmessi dal detto Uffizio con la qualifica autenticata di *pontifici*, saranno ricevuti e spediti con le prerogative stabilite pei telegrammi di Stato e con esenzione da ogni tassa nel Regno.

Gli stessi vantaggi godranno i telegrammi del Sommo Pontefice, o firmati d'ordine suo, che, muniti del bollo della Santa Sede, verranno presentati a qualsiasi Uffizio telegrafico del Regno. I telegrammi diretti al Sommo Pontefice saranno esenti dalle tasse messe a carico dei destinatari.

Art. 13. Nella città di Roma e nelle sei sedi suburbicarie i Seminari, le Accademie, i Collegi, e gli altri istituti cattolici, fondati per la educazione e coltura degli Ecclesiastici, continueranno a dipendere unicamente dalla Santa Sede, senza alcuna ingerenza delle Autorità scolastiche del Regno.

Titolo II.

Relazioni dello Stato colla Chiesa.

Art. 14. È abolita ogni restrizione speciale all'esercizio del diritto di riunione dei membri del clero cattolico.

Art. 15. È fatta rinunzia dal Governo al diritto di legazia Apostolica in Sicilia e in tutto il Regno al diritto di nomina o proposta nella collazione dei benefizi maggiori.

I Vescovi non saranno richiesti di prestare giuramento al Re.

I benefizi maggiori e minori non possono essere conferiti se non a cittadini del Regno, eccettochè nella città di Roma e nelle Sedi suburbicarie.

Nella collazione dei benefizi di patronato regio nulla è innovato [1].

---

[1] Absurdum est, supposita separatione Status ab Ecclesia, quo tendit lex *praesidiorum*, comma huius articuli, quo Romani Pontificis potestas restringitur ita ut beneficia territorii Status italici conferre nequeat clericis non civibus; quo tamen non negamus rationes sat congruas haberi ne Romanus Pontifex, ipse sua utens libertate, huiusmodi collationes faciat. Item absurdum est, supposita eadem separatione, clericos etiam inferiores ad iuramentum Regi praestandum cogi; ad quod tamen ipsos teneri pro aliquibus Italiae regionibus declaravit *Consilium Status* 24 Oct. 1773. In praxi vero haec absurditas attenditur et iuramentum de facto a nemine exigitur aut praestatur (Cfr. Calchi-Novati, *l. c.*, pag, 36; Olmo, *l. c.*, n. 34).

Art. 16. Sono aboliti l'*exsequatur* e il *placet regio* ed ogni altra forma di assenso governativo per la pubblicazione ed esecuzione degli atti delle Autorità ecclesiastiche.

Però fino a quando non sia altrimenti provveduto nella Legge speciale di cui all'articolo 18, rimangono soggetti all'*exsequatur* e *placet regio* gli atti di esse Autorità che riguardano la destinazione dei beni ecclesiastici e la provvista dei benefizi maggiori e minori, eccetto quelli della città di Roma e delle Sedi suburbicarie.

Restano ferme le disposizioni delle Leggi civili rispetto alla creazione e ai modi di esistenza degli istituti ecclesiastici ed alienazioni dei loro beni [1].

Art. 17. In materia spirituale e disciplinare non è ammesso richiamo o appello contro gli atti delle Autorità ecclesiastiche, nè è loro riconosciuta o accordata alcuna esecuzione coatta.

La cognizione degli effetti giuridici, così di questi come di ogni altro atto di esse Autorità, appartiene alla giurisdizione civile [2].

Però tali atti sono privi di effetto se contrari alle Leggi dello Stato od all'ordine pubblico, o lesivi dei diritti dei privati, e vanno soggetti alle Leggi penali se costituiscono reato.

Art. 18. Con Legge ulteriore sarà provveduto al riordinamento, alla conservazione ed alla amministrazione delle proprietà ecclesiastiche nel Regno.

Art. 19. In tutte le materie che formano oggetto della presente Legge, cessa di avere effetto qualunque disposizione ora vigente, in quanto sia contraria alla Legge medesima.

Ordiniamo che la presente, munita del sigillo dello Stato, sia inserita nella Raccolta ufficiale delle leggi e decreti del Regno d'Italia, mandando a chiunque spetti di osservarla e di farla osservare come legge dello Stato.

Torino, 13 Maggio 1871.

VITTORIO EMMANUELE II.

G. Lanza - E. Visconti-Venosta - G. De Falco - Quintino Sella - C. Correnti - E. Ricotti - G. Acton - S. Castagnola - G. Gadda.

---

[1] Agnoscitur hoc articulo ex separatione Status ab Ecclesia logice sequi abolitionem *regii placet* aut *exsequatur;* attamen id non impedit quominus etiam ista absurditas iuridica de facto admittatur qua Status in Ecclesiam agit ad eam solummodo opprimendam. Articulus id iustificare nititur ex *destinatione bonorum ecclesiasticorum;* at id pro iure Status nihil probat; eo enim ipso quod de *bonis ecclesiasticis* agitur, Ecclesiae, non Statui, ius est ea libere administrandi.

[2] Evidens usurpatio his ultimis verbis habetur, quae eo minus iustificata est quod Status separationem introducit et dein de iuribus ecclesiasticis diiudicandi sibi potestatem usurpat. Atque ista est proprie theoriae hegemoniae Status applicatio, qua Ecclesiae quodlibet ius negatur.

INDEX ALPHABETICUS

NB. — Numerus Arabicus numerum marginalem indicat.

A

Acatholici — ipsorum ius publicum 27 sq., 93 sq.; relationes cum Ecclesia 96; cum statu catholico 97-98; concordata cum eis 131-132.
Acta et Regesta — Rom. Pont., SS. Congr. et SS. Tribunalium 184.
Actor — sequitur forum rei 147.
Administrativa potestas 22.
Africanae collectiones 176.
Alumni — promovendi ad ordines vel ad professionem religiosam; utrum sint exempti a servitio militari 155.
Analogia — legalis et analogia iuridica 192.
Appellatio ab abusu — notio 139; historia 140; refutatio 141.
Armata vis — quid 72; utrum Eccles. vi armata iure proprio gaudeat 72; iure devolutivo 73.
Asyli ius — quid 145; historia 148.
Auctoris opinio — de immunitatum origine 152-153; de natura concordatorum 125.
Auctoritas — necessitas in societate 18; origo auctor. socialis 19; quantitas in genere 20; in specie 21; partitio 22; subiectum 25; auctoritas societatis civilis 30.
Authenticae collectiones 173.
Authenticitas — iuridica 173; Decretalium 181 sq.; Codicis 189 sq.
Auxilium Status — erga Ecclesiam 85.
Avellana collectio 176.

B

Bona temporalia — Ecclesiae: triplex bonorum species 166; eorum natura iuridica 167; Ecclesiae iura in his 168; iura Status 169.
Bonifacii VIII liber sextus Decretalium n. 182.
Breviarium extravagantium 180.
Britannicae collectiones 176.
Bullaria — quid et quot 184.

C

Cancellariae regulae 184.
Canones Apostolorum 174.
Canones et decreta Concilii Tridentini 184.
Canonicum ius 5.
Canonis privilegium — quid 144; historia n. 147.
Capitula Algiramni 177.
Cappellani castrenses — utrum Status ad hoc servitium cogere possit 154.
Cardinalium iuramentum ante Conclave n. 162.
Catholicismus liberalis 92.
Civile ius 5.
Civilis societas — vide *Societas civilis*.
Clementinae — quid sint earumque authentia n. 182.
Clericorum — exemptio a servitio militari n. 154.
Coactio — directa et mediata quid sint 67; utrum Ecclesia cogere possit 67-68 et sq.
Coactionis finis — variae sententiae 23; in Ecclesia 66.
Coactiva potestas 22.
Coactivitas iuris — sumpti efficienter 11; obiective 12; subiective 13.
Codex iuris canonici — codificationis necessitas 186; historia: codificatores, collaboratores, consultores, Codicis elaboratio 187; promulgatio et vacatio 188; authentia 189; leges abrogatae 190; non abrogatae 191; personae quae ei subii-

ciuntur 193; principia generalia interpretationis 194.
Codex repetitae praelectionis 201.
Coercitiva potestas Ecclesiae 61.
Cognitionis fontes iuridici 172.
Collectiones iuris canonici — divisio 173; coll. pseudo-apostolicae 174; orientales 175; occidentales 176; spuriae usque ad saec. IX 177; extra corpus iuris canonici usque ad Codicem 184; *Collectiones iuris civilis* antiiustinianeae 197; iustinianeae n. 198.
Collisio iurium 15.
Commune ius 5.
Communismus — eius notio societatis civilis errata 27.
Competentia — Ecclesiae in res mixtas 87; in res temporales 82 sq.; Status in iudicio de facto spirituali 88; in legibus ferendis quae ab Ecclesia servari debent 89.
Competentiae privilegium — quid 144; historia 147.
Compilationes antiquae 180.
Concilii Tridentini canones 184.
Conciliorum collectiones 184.
Concordata — 99; notio 100; divisio 101; historia 102; subiectum 103; materia 105; forma 106; necessitas 107; utilitas 108; vis et natura concord. 109; principia a catholicis tenenda 110 seqq.; terminologiae explicatio 119; opiniones variae auctorum 122 seqq.; auctoris sententia 125 seqq.; obiectiones 127; interpretatio 128 et rescissio concordatorum 128; cessatio 129; concordata cum acatholicis 131; cum infidelibus 132; concordata vi, metu, dolo et errore inita 130.
Concursus — status catholici ad actus falsae religionis, negativus 97; positivus n. 98.
Conflictus — inter leges Ecclesiae et Status 85. Cfr. *Potestatis indirectae systema* — circa bona temporalia 169.
Congregatio — iurisdictionis et immunitatis ecclesiasticae 149.
Constitutionale ius Ecclesiae 55.
Constitutiones Apostolicae 174.
Contractus bilateralis — quid 119.
Cooperatio — vide *Concursus*.
Coordinationis absolutae — systema circa relationes Ecclesiae ad societatem civilem 81.
Corpus — iuris canonici quid, historia, authentia 183; iuris civilis 203.
Correctio — principum ratione finis spiritualis 86.

D

Decretales Gregorii IX — auctor, finis, titulus, authentia, citatio 181.
Decretalistae — vide *Doctores decretorum*.
Decretalium liber sextus Bonifacii VIII n. 182.
Decretum Gratiani — quid sit, eius auctoritas, modus citandi 179.
Defensio Ecclesiae 85.
Depositio principum 86.
Didascalia Apostolorum 174.
Digesta seu *Pandectae* 199.
Directivae potestatis — systema, circa relationes Ecclesiae ad societatem civilem 81.
Distinctio — societatum perfectarum inter se 26.
Divinum ius — quid 5.
Divisio — collectionum iuridicarum 173; immunitatum ecclesiasticarum 144; iuris efficienter sumpti 5; obiective 6; formaliter 7.
Doctores — decretorum seu Decretalistae qui sint 179.
Doctrina Duodecim Apostolorum 174.
Dominii ius — quid sit 7; Ecclesiae in temporalibus 166-168.
Dominium temporale Rom. Pont. — liceitas 159; historia 160; legitimitas 161; convenientia et necessitas 162; quonam iure sit 162; nota theologica doctrinae expositae 163; utrum Rom. Pont. renuntiare possit 164; Documenta Ecclesiastica de Dom. temp. 162.

E

Ecclectica opinio — de origine immunitatum n. 150.
Ecclesia — eius notio 38; distinctio a societate civili 39; iuridicitas seu legitimitas 40; perfectio iuridica 41 et seqq.; obiectiones contra perfectionem iuridicam 46; potestas legifera 47 et seqq.; iudicialis 50 et seqq.; exsecutiva 54; ius constitutionale 55; origo publicae potestatis 56; partitio publicae potestatis 57-58; potestas coercitiva 61; ius poenis temporalibus uti 67 et seqq.; vis armata 72; ius gladii 74; ius praedicandi in terris infidelium 94; defendendi sua bona ab iniustis aggressoribus 94.

Ecclesiae iura — in bonis temporalibus 166-168.
Ecclesiae relationes — cum aliis societatibus 79; ad societatem civilem catholicam 80 et seqq.; cum statu christiano acatholico 93; acatholico-infideli 94 (moralis obligatio ingrediendi in Ecclesiam 94); cum gubernio illegitimo 95; cum societatibus civilibus imperfectis 96; cum societatibus religiosis falsis 96; cum republica ex iure contingenti 98; officia erga civitatem 96; (Leges civiles ab Ecclesia servandae 89) separatio a Statu 91.
Episcopi — quonam iure exempti sint a servitio militari 154.
Epitome canonum 175.
Etymologia iuris 1.
Exemptio — clericorum a publicis officiis, ab oneribus personalibus et patrimonialibus, necnon a legibus civilibus 144 et 147; a servitio militari 154.
Exsecutiva potestas 22.
Exsequatur — vide *Regium Placet.*
Exsistendi fontes — iuris canonici 171; iuris romani 196.
Extensio — potestatis indirectae circa relationes Eccl. ad societatem civilem 85.
Extravagantes Ioannis XXII 182; Communes n. 182.
Extravagantium Breviarium 180.

F

Facultas moralis — quatenus est ius formaliter sumptum 4.
Febronius — eius doctrina de imperfectione iuridica Ecclesiae 41.
Finis — societatis civilis 31.
Finis coactionis — varia systemata 23; in Ecclesia 66.
Fontes iuridici canonici 170; exsistendi 171; cognitionis 172; *iuris romani:* exsistendi 196; cognitionis 197.
Fons iurium 8-9.
Fori privilegium — quid 144; historia 147.
Forma — concordatorum 106.

G

Gallicae collectiones 176.
Gallicani — eorum doctrina de Ecclesiae imperfectione iuridica 41.
Generale ius 5.
Gladii ius — utrum competat Ecclesiae 74.
Graecae — collectiones post Photium 175.
Gratiani decretum 179.
Gregorii IX decretales 181.
Guarentigie 165. — vide Appendix.
Gubernativa potestas 22.
Gubernium illegitimum — eius relationes cum Ecclesia 95.

H

Haereticorum relationes ad Ecclesiam 93.
Harmonici sensus — theoria de iurium origine 9.
Hegemoniae — theoria de relationibus inter Ecclesiam et Statum 81.
Hispanicae collectiones 176.
Historia immunitatum — personales 147; locales 148 — reales 149.
Humanum ius 5.

I

Immunitas — clericorum a servitio militari 154.
Immunitatis — notio 143; divisio: personalis 144; localis 145; realis 146; historia 147 et seqq.; natura iuridica: variae solutiones 150; animadversiones circa quaestionem 151; auctoris solutio 152 et seqq.
Inquisitio — in genere 77; hispanica 78.
Institutiones — iuris canonici 183; iuris civilis 200.
Ioannis XXII Extravagantes 182.
Isidori mercatoris collectio 177.
Italicae collectiones 176.
Iudicialis potestas 22.
Iudicium — meri facti spiritualis aut possessionis iuris spiritualis 88.
Iudicium discretionis 158.
Iura — Ecclesiae et Status in bona temporalia Eccl. 166, 168, 169.
Iuramentum Cardinalium ante Conclave 162.
Iuridica authenticitas — quid 173.
Iuridica perfectio Ecclesiae Catholicae 41 et seqq.
Iuris canonici Codex — vide *Codex.*
Iurisdictio — quid 7.
Iuris divini — theor. de orig. imm. 150.
Iuris Romani — fontes 195.
Iuris specialis — collectiones 176.
Iurium fons 8-9; origo 10; limitatio et collisio 14, 15.
Ius — etymologia 1; eius notio: efficienter sumptum 2; obiective 3; formali-

ter 4; divisio 5, 6, 7; origo et proprietates 8, 9, 10; coactivitas: efficienter sumptum 11; obiective 12; formaliter 13.
Ius asyli — quid 145; historia 148.
Ius constitutionale — Ecclesiae 55.
Ius gladii — Ecclesiae 74.
Ius nativum — quomodo distinguatur ab immunitatibus 151.
Ius praedicandi — in terris infidelium defendendique Eccl. bona contra iniustos aggressores 94.
Ius publicum — Ecclesiae catholicae 5 et 7.
Iustinianeae collectiones 198.
Iustitia — seu iustum, quatenus est ius obiectivum 3.
Iustitia S. Petri 160.
Ius strictum — quaesitum, precarium, 120; in re et ad rem 121.
Ius suppletorium 192.

L

Lectores — qui sint 179.
Legalis authentia 173.
Leges — abrogatae a Codice iur. canon. 190; non abrogatae 191; in materia temporali: utrum Rom. Pont. concedere possit 86; ab Ecclesia servandae 89.
Legifera potestas 22.
Legis civilis — theoria de origine immunitatum 150.
Lex — ius efficienter sumptum 2.
Liberalismus — absolutus, mitigatus, catholicus 92.
Limitatio iurium 14; immunitatum 151; Exemptionis Rom. Pont. 158.
Localis immunitas — notio 145; historia n. 148.

M

Magistri — qui sint 179.
Marsilius Patavinus — eius doctrina de imperfectione iuridica Eccl. 41; de potestate coercitiva Eccl. 61.
Materia — iuris 4; concordatorum 105.
Mathildes comitissa 160.
Media opinio — de immunitatum origine n. 150.
Mixtae res — quae sint 83; naturales et supernaturalizatae 87; Ecclesiae et Status potestas in his 87.
Moderatus liberalismus 92.

N

Natura iuridica — immunitatum: variae sententiae 150; Bonorum Ecclesiasticorum 167; Concordatorum 109 sq.
Naturale ius 5.
Nomo-canon 175.
Novellae 202.

O

Obligatio — moralis et physica 94; ingrediendi Ecclesiam 94.
Officia — Ecclesiae erga civitatem 96.
« *Odoardus* » *caput* 147.
Orientales collectiones 175.
Orientalis collectio chronologica 175.
Origo iuris — effic. 8; variae theoriae 9; sub. et obiec. 10; Immunitatum, vide *Natura iuridica immunitatum*; auctoritatis socialis 19.

P

Pacti bilateralis sententia — de natura concordatorum 124.
Pactum — quid 119.
Pandectae 199.
Particulare ius 5.
Partitio — auctoritatis socialis 22; publicae potestatis 57; eius necessitas 58; in societate civili 59; in Ecclesia 60.
Perfectarum societatum — divisio inter se 26.
Perfectio iuridica Ecclesiae 41 et seqq.
Personae — quae Codici iur. can. subiiciuntur 193.
Personalis immunitas — notio 144; historia 147.
Photii collectio 175.
Placet regium — notio 134; historia 136; refutatio 137.
Poenae — ab Ecclesia infligendae finis 66; utrum Eccl. infligere possit 67.
Positivum ius 5, 171.
Possessionis iudicium — iuris spiritualis 88.
Potestas — legifera, iudicialis, exsecutiva, quid 22; in Ecclesia 47 et seqq.; coercitiva Ecclesiae 61 et seqq.; in res mixtas 87.
Potestatis directae et directivae systemata — de relationibus inter Ecclesiam et Statum: eorum expositio et crisis 81; potestatis

indirectae system. 82; doctrinae expositio 83; probatio 84; extensio 85.
Potestatis publicae origo — in Ecclesia 56.
Praesidiorum lex 165 — vide Appendix.
Principatus temporalis S. Sedis 159 sq.
Principium iuris 4.
Principum — correctio et depositio 86.
Privatum ius 5.
Privilegii — fori, canonis, competentiae, notio 144; historia 147.
Privilegiorum sententia — de natura concordatorum 123.
Proprietas — seu ius dominii 7.
Protestantes — eorum doctrina de imperf. iuridica Eccl. 41.
Pseudo-Apostolicae collectiones 174.
Pseudo Isidoriana collectio 177.
Publicum ius — quid 5; Ecclesiae catholicae 37; internum 38 et seqq.; externum 79 et seqq.

Q

Quaestione (de) *Romana* 165.
Quantitas auctoritatis socialis 20-21.
Quinque compilationes antiquae 180.

R

Regalistae 122, 150.
Regesta — et Acta Rom. Pont. 184.
Regium Placet — vide *Placet regium.*
Regulae Cancellariae 184; generales Codicis iur. canon. interpretationis 194.
Reipublicae catholicae — relationes cum societatibus religiosis acatholicis: concursus negativus 97; concursus positivus 98; cum Ecclesia ex iure contingenti 98.
Relationes Ecclesiae — ad alias societates 79; ad societatem civilem catholicam 80; variae opiniones et eorum crisis 81; doctrina tenenda 82 et seqq.; cum Statu christiano-acatholico 93; cum Statu acatholico-infideli 94; cum gubernio illegitimo 95; ad societates civiles imperfectas 96; ad societates religiosas falsas exsistentes 96; officia Ecclesiae erga civitatem 96.
Relazioni dello Stato colla Chiesa — Appendix.
Religiosa societas — vide *Societas religiosa.*
Religiosi — eorum exemptio a servitio militari 155.
Renuntiatio — Rom. Pont. principatui civili n. 164.
Repetitae praelectionis Codex 201.
Res temporales — spirituales, mixtae, quid 83; mixta, naturalis, supernaturalizata 87; potestas in his 87.
Romana (de) *quaestione* — vide *Quaestione* (de) *Romana.*
Romani iuris fontes 195.
Romanus Pontifex — quonam iure exemptus sit a servitio militari 154; eius omnimoda exemptio a qualibet humana auctoritate 156, 157; limitatio huius exemptionis 158; eius dominium temporale 159 et seqq.

S

Sacerdotes — quonam iure exempti sint a servitio militari 154.
Scriptum ius 5.
Sensus harmonici — theoria de origine iurium 9.
Separatio — Ecclesiae a Statu 91.
Servitium militare — quomodo intelligendum et quinam exempti 154.
Sextus liber decretalium 182.
Singulare ius 5.
Societas — notio 16; divisio 17.
Societas civilis — notio 27; necessitas 28; origo historica 29; auctoritas soc. civ. 30; finis 31; errores circa finem et quid tenendum 31; catholica: eius relationes cum Ecclesia 80 et seqq.; imperfecta: eius relationes cum Ecclesia 96.
Societas religiosa — necessitas soc. religiosae perfectae 33; eius perfectio in statu naturae 34; soc. relig. naturalis in concreto 35; auctoritas soc. relig. 36.
Societates religiosae falsae — earum relationes cum Ecclesia 96; earum relationes cum republica catholica 97, 98.
Societatum perfectarum — distinctio inter se 26.
(*Sovranità*) Rom. Pont. 162-165.
Speciale ius 5.
Spiritualis res — quid 83.
Spuriae collectiones 173-177.
Status christianus-acatholicus — eius relationes cum Ecclesia 93; acatholicus-infidelis: eius relationes cum Ecclesia 94.
Status iura — in bona ecclesiastica 169.
Stylus Curiae 192.
Subiectum iuris 4; auctoritatis 25; concordatorum 109.

Superioritas — unius societatis prae aliis unde desumatur 80.
Suppletorium ius 192.
Synopsis — canonum 175; divinorum canonum 175.
Syntagma alphabeticum 175.
Systematica collectio — 60 titulorum 175; Ioannis Scholastici 175.
Systematicae collectiones 173.

T

Temporale dominium S. Sedis 159.
Temporalis res — quid 83.
Tentamina codificationis — ante et post Conc. Vatic. 185.
Terminus iuris 4.
Titulus iuris 4.
Tolentina pax 160.
Traditum ius 5.
Tribunal inquisitionis 76; hispanicae 78.

U

« *Unam Sanctam* » — Const. Bonifacii VIII 156.
Universale ius 5.

V

Vis armata Ecclesiae 72; ex iure] devolutivo 73.
Visura — vide *Placet.*

261.1 Conte, Matthaeus.
AUTHOR
C822 Jus Publicum Ecclesias-
TITLE
ticum.
DATE DUE | BORROWER'S NAME

261.1
C 822